

NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
ROMA
8
30 H
19 11

PROBLEMATA

EVANGELICA



Ut plurimùm

EMBLEMATIS

CORONATA,

SIVE

QUÆSTIONES

CURIOSÆ

In singula Evangelia Dominicarum

Totius Anni.

OPERUM AUTHORIS ULTIMUM

AUTHORE

P. PHILIPPO HARTTUNG,

Sacerdote Societatis JESU



Cum Privilegio Sac. Cæs. Maj. & permissu Superiorum

Egræ Typis Nicolai Dexter

ANNO M. DC. LXXXIX.

APPROBATIO

R. P. Præpositi Provincialis Provinciæ Bohemiæ.




EGo Mathias Tanner Societatis Jesu per Provinciam Bohemiæ *Præpositus* Provincialis, potestate ad id mihi factâ à P. N. Carolo de Noyelle Præposito Generali, Librum, cui titulus: Problemata sive quæstiones curiosæ à P. Philippo Harttung Societatis nostræ Sacerdote conscriptum, atque à deputatis ad id Societatis ejusdem Patribus lectum & approbatum typis mandari permitto. In cujus rei fidem has litteras manu propriâ subscripsi, consvetóque officij sigillo munitas dedi. Pragæ 13. Novembris 1686.

(L.S.)

Mathias Tanner.

S U M M A

VILEGII.



CUm ex Decreto Sacræ Cæsareæ Majestatis, omnibus ac singulis Typographis, Bibliopolis, ac omnibus quibuscunque Librariam Negotiationem exercentibus, seriò, firmitérque inhibeatur, nè quisquam Libros ullos à Societatis nostræ Patribus hactenus editos, aut in posterum edendos, intra Sacri Imperij, Regnorúmque & Dominiorum suæ Cæsareæ Majestatis hereditariorum fines, simili aliòve charactere, aut formâ; sive in toto, sive in parte, excudere, recudere; vel aliò excudendos seu recudendos mittere, vendere, distrahere, clàm seu palàm, citra supradictorum Patrum Societatis Jesu consensum ac testimonium, in scriptis obtentum, audeat, vel præsumat; Idcirco

Ego Mathias Tanner, Societatis Jesu per Provinciam Bohemiæ Præpositus *Provincialis*, potestate mihi factâ ad id ab Admodum R. *P.* nostro Thyrso Gonzalez, Societatis nostræ *Præposito* Generali, facultatem concedo Nicolao Dexter Typographo Egrano, Librum cui Titulus: *Problemata sive quæstiones curiosæ &c.* Auctore P. Philippo Harttung, Societatis nostræ Sacerdote conscriptum, imprimendi.

In quorum fidem, hoc ei Testimonium, manu propriâ subscriptum, & consveto Officij Sigillo munitum dedi. Romæ 8. Julij ANNO M. DC. LXXXVII.

(L.S.)

MATHIAS TANNER, S. J. per *Provinciam* Boëmiæ *Præpositus* Provincialis.

PRÆFATIO
AUTHORIS,

NUNCUPATIO OPERIS.



Roblema idem significat, quod *Quæstio Curiosa*, neque necessariò requirit, ut in utramque disputetur partem, prout in Resolutionibus Academicorum Problematum hodie fieri videmus; sed sufficit, si congrua assignetur responsio, quemadmodum in Problematis suis Aristotelem & Plutarchum fecisse legimus, qui neque multas, neque repugnantes attulêre resolutiones; sed simplici, apto tamen, & ferè inexpectato acquievêre responso. Quare & in Problematis hiscè meis vix ultra vicem simplicem, solutionem & solutionis refutationem attuli, sed responsione plerumque unicâ, quam informandis moribus, pietatíque promovendæ duxi aptissimam, contentus fui.

Quinque, ex omnibus, Problemata solos spectare Nobiles videbuntur; at possunt & ista variato tantisper titulo Patribusfamilias & minoribus dijs ità aptari, ut optatissimum proferant fructum. v. g. *Cur pauci Nobiles salventur?* reducatur hypothesis ad thesin, & fiat quæstio: *Cur pauci homines salventur?* sítque responsio: quia JESUM non habent præ oculis, nec verbum DEI in auribus &c. Cur à Dominica Pentecostes cæperim, præter aliorum Authorum consuetudinem, qui à prima Dominica Adventûs suas ordiuntur Conciones, causa multiplex intercessit, quarum postrema fuit, quòd cùm sœculum hoc Nostrum novitatis sit amantissimum, novi aliquid attentare placuit inchoando ab ea Dominica, quâ adveniens Spiritus Sanctus nova facit omnia renovando faciem terræ, éstque difficultatum omnium solutio, omniúmque Problematum ingeniosissimus Resolutor.

Nova vocitare Problemata non audeo, quia pleraque ab ingeniosissimo Joanne Sylveira in Quæstionibus Evangelicis insinuata fuisse comperio. *Pleraque*, dixi, quia sat multa hìc reperies, quorum nulla in Sylveira mentio. Et demus Authoris illius esse universa, deductio certè adscribi eidem nequaquam potest, quam ex Manuscriptorum meorum medulla congessi, ut multarum Concionum succum nervúmque in hæc Problemata collectum depromerem.

Non sunt æqualia fateor omnia, sed ut vetus fert versus: sunt bona, sunt quædam mediocria, sunt mala plura. iniqua enim valetudo passa non est, ut æquus singulis nitor cum rerum copia & conceptuum varietate afflueret. Æger Egræ infra trimestre pæne omnia combinavi, calamo pro lingua usus, cùm linguâ pro calamo per ægritudinem non possem.

Problematibus Emblemata apposui, & quidem in calce, seu fine orationis, ut facilè præteriri aut proteri possent, si non placerent. Quod si Mecœnatis non defuisset munificentia, in fronte operis sine dubio collocâssem, & quidem bono auctiora numero totam paginam implevissem, sed aliam fixit legem necessitas, & in fine stare Emblemata jussit, quæ fortasse in Fronte erubuissent. vocavi nihilominus Coronamenta, cùm ex communi adagio finis *coronet* opus.

Illud insuper addendum est, Emblemata hæc omnia intra unius diei spatium (quod sanctè assevero) nullius libri adminiculo, solius memoriæ beneficio, quâ lecta vel audita aliquando symbola reminiscebar, combinata esse. Quod cum ex singulari Tutelaris mei Genij favore mihi evenisse interpreter & gratus profitear, idcirco Eidem Custodi faventissimo, unáque omnibus Tutelaribus Angelis eorum, qui laborem hunc meum oculis auribúsve suis excipient, ad fructum quàm maximum in salutem animarum & Altissimi Numinis gloriam procurandum, cum Emblematis Problemata Dono, Dedico, Devoveo.

Vos ò Beatissimæ INTELLIGENTIÆ ob unius Problematis: *Quis ut DEUS?* felicem resolutionem, gratiâ & gloriâ immortali donati estis, favete ut & omnes qui Problemata hæc mea vestro Nomini devota, evolvere devotè & interpretari benignè dignati fuerint, Gratiæ vestræ participes, & Gloriæ coheredes reddantur. Ita mihi illísque in strenam apprecor, exile hoc verò Donativum Favori & Clementiæ vestræ submissíssimè commendo ac committo. Kalendis Januarijs 1682.



PROBLEMA I.

Utrùm majus beneficium Incarnatio Filii, an Missio Spiritûs Sancti?

DOMINICA PENTECOSTES.

Hæc locutus sum vobis apud vos manens, Paraclitus autem Spiritus Sanctus, quem mittit Pater in nomine meo, ille vos docebit. Joann. 14. v. 25. & 26.

§. 1. Pentecoste est festum festorum. Franc. Labata. tit. Spiritus S. Propos. 1.

NOn erravit celeberrimus Ecclesiastes Franciscus Labata, qui dixit Solennitatem hodiernam esse finem & coronam omnium aliarū per anni orbem celebratarum festivitatum; quæcunque enim Salvator noster dixit, egit, tulítque, in hunc destinavit scopum, ut doctrinâ suâ meritísque ad Spiritus Sancti adventum nos ritè disponeret. Nativitas ejus initium fuit Redemptionis, circumcisio initium fusi sangvinis, Epiphania initium suæ revelationis, Resurrectio initium nostræ immortalitatis, Ascensio initium aditæ hœreditatis, Pentecoste verò complementum est nostræ justificationis. Quid proderat nobis Verbum donari, nisi adderetur & lingua, quâ Verbum ritè enunciarem9? lingvas hodie attulit Spiritus Sanctus. Quid proderat vestimenta salutis nobis præparari, nisi iisdem indueremur? induit nos hodie Spiritus Sanctus *virtute ex alto*. quid proderat pretiosa in æternam animarum nostrarum salutem pharmaca præscribi, appararíque, nisi eorundem usus & operatio sequeretur? sunt fateor Christi vulnera animarum pharmaca, congruam tamen eorundem applicationem Spiritui Sancto debemus, qui datus est hodie, *& in cordibus nostris diffusus.* Ut proinde dubitari prudenter possit, utrùm majus sit beneficium Spiritûs Sancti missio, quàm filii Incarnatio? quam dubitationem ille nobis resolvat, qui docet omnia, missus à Patre in nomine filii, Spiritus Sanctus.

Paradoxa inprimis nonnemini videri potest hæc de majori beneficio proposita dubitatio, quid enim? Filius nos redemit, non redemit Spiritus Sanctus, sudavit & alsit in salutem nostram, sustinuit tormenta, suscepit vulnera, cruento funere pro nobis sublatus est Filius, non Spiritus Sanctus, majori proinde beneficio, per Filium, quàm Spiritum Sanctum affecti sumus. Finge Principem munificentissimum, qui im-

§. 2. Aliquot congruentiæ cur majus videri beneficiū possit Filii, quàm Spiritûs Sancti Missio.

menso pretio innumera mereatur munera, eáque per coæqualem Principem in subditos dispertit, cui quæso plus gratiarum debebit populus, an qui suopte ære comparavit populo munera, an qui liberali manu divisit? Finge iterum Regem aliquem, aut Cæsarem, qui unigenitum suum tui consolandi gratiâ ex regalibus sedibus dimittit, sed peditem, egenum, nudum, & per vias latronibus infestas, à quibus non sinè vulneribus excipitur, & cruentus totus à te dimittitur; si post Filium missum idem Imperator Consiliarium suum intimum, non minùs ac Filium suum Charum sibi ac dulcem ad te ditandum submittat, sed curru vectum, sed omnibus commoditatibꝰ abunde instructum, an non plus tibi benevolentiæ adstruit vulneratus pro te Augustus Filius, quàm absque ulla exhausta pro te ærumna missus amicus intimus? Finge denique captivum nescio quem ex Turcica servitute grandissimo lytro à Principe aliquo redimi, redemptum verò à Principis germano splendidè vestiri; imò & copiosè ditari, utrius tibi major videtur munificentia, an illius, qui redemit, an alterius, qui ditavit? non absimiliter de Patre & Spiritu Sancto erit pronuntiandum, majúsque in redemptione Filii, quàm missione Spiritûs Sancti collocandum beneficium. Verùm nihil obstantibus iis omnibus, quæ incongruâ satis similitudine (ob unitatem naturæ in divinis, diversitatem verò naturarum in humanis) hucusque allata sunt, fortiora argumenta suppetunt, quibus amplius missi Sancti Spiritûs, quàm Filii beneficium evincatur.

§. 3. Congruentiæ fortiores in contrarium.

Stat pro hac assertione Veritas incarnata ità definiens Matth. 12. v. 32. *Quicunque dixerit Verbum contra Filium hominis, remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc sæculo, neque in futuro.* Si ergò gravius est delictum, quod in Spiritum, quàm quod in Filium patratur, grandius quoque beneficium est censendum, quod per Spiritum missum, quàm per Filium hominibus confertur, huic enim sapientiæ, illi charitatis donum appropriatur. Assequor jam, quid velit Doctor gentium, qui dona individuæ Deitatis dividi hominibus solita exponens, Patri attribuit fidem, quâ homines in quandam omnipotentiæ suæ communicationem admittit, Filio appropriat Spem, quâ mortales immortalium bonorum per passionem & crucem comparatorum reddit participes, Spiritui Sancto verò charitatem assignat, quâ homines ad amandum infinitum bonum inflammat; de charitate; porrò divinam hanc subjungit clausulam: *major autem horum est charitas.* 1. Cor. 13. v. 13. Attribuitur Patri potentia, Sapientia Filio, Spiritui Sancto charitas; sapientiam suam nobis Pater donavit, cùm Sapientiam in carnem misit, charitatem verò misit, cùm Spiritum Sanctum donavit; si proinde communi omnium rectè sentientium suffragio majori habetur in pretio amoris concessio, quàm Sapientiæ exhibitio, concedi pariter debebit, majus humano generi donum fuisse in Spiritûs Sancti, quàm divini Filii missione collatum. Difficilem quæstionem Petro Discipulorum primo Incarnata Sapientia, priusquam crucis cathedram ascenderet, proposuit: *quem dicunt homines esse Filium hominis?* quam cùm absque hæsitatione Petrus resolvisset: *Tu es Christus Filius DEI vivi*, præconium vicissim suum audivit: *Caro & Sangvis non revelavit tibi, sed Pater meus*, quin & præmium recepit: *Tu es Petrus & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*

meam Matth. 16. v. 18. At verò diversam longè quæstionem eadem Sapientia increata Petro proposuit, posteaquam morte subactâ in vitam rediit nobiliorem, tum enim non de scientia, sed de dilectione formatur quæstio: *Petre amas me?* ad quam cùm ille tertiò reponeret: *etiam Domine, tu scis, quia amo te,* non jam spe supremæ dignitatis lactatur, sed ad ipsius dignitatis possessionem capessendam admittitur: *pasce oves meas* Joan. 21. v. 17. pluris nimirùm DEus homo fecit charitatis, quàm scientiæ declarationem, unde pro hac pontificia potestas promittitur, pro illa verò confertur; ex quo inferre libeat, si divina inter dona attollere liceat pretium, majori nos munere affectos, cùm dilectionem per Spiritum, quàm dum scientiam per Filium adepti sumus. Cùm Pater Filium mittit, æternam sapientiam nobis dat, inquit sapientissimus Sylveira, in die verò pentecostes suum amorem nobis concedit, unde hujus doni celsitudinem profundè licet conjecturare.

Sylveira tom. 5. l. 7. c. 13. q. 6. in fine.

§. 4. Christus venit ùt Judex, Spiritus Sanctus neminem unquam judicâsse legitur.

Accepimus Filium ùt Redemptorem, habituri eundem omnisciū judicem, & singulorum erratorum accuratissimum vindicem, at verò Spiritum Sanctum timere non habemus ùt judicem, qui reis ubique sese adhibet advocatum, ideo enim formam nubis in monte Thabor assumpsit, ut errores & ignorantias Petri contegeret, ideo in specie lingvæ apparuit, ut Verbum bonum pro nobis loqueretur, ideo ignem induit, ut peccata nostra exureret, & ignes ignibus restingueret, ideo tanquam ventus venit in mundum, ut æstuantes mortales refrigeraret, ideo columbæ specie delectatus est, ut se sinè felle, sinè amarore meros amores & delicias spirare testaretur. Eximia est Maldonati observatio de Spiritu Sancto, quòd ubicunque in divinis literis de judicio agitur, in quo causæ hominum discutiuntur, nusquam Spiritus Sanctus sedere ad judicandum dicatur, sed id muneris Patri aut Filio approprietur. Unde & Angelus tertius ad judicandam puniendámque Sodomam submissꝰ, comparuisse quidem apud Abrahamum legitur, cùm adhuc clementiæ spes erat, verùm ùt Sodomam ventum est, subduxit se tertius Angelus, qui personam Sancti Spiritûs obibat (non enim nisi duo urbem intrâsse perhibentur) *ut nobis daretur intelligi* inquit Franciscus Labata ex hom. 8. D. Gregorii in Evangel. *benignitas in nos, quæ tribuitur Spiritui Sancto.* Res planè admiratione digna, quòd persona Spiritûs Sancti non dicatur sedere ad judicandum, sicut de Patris Filiíque personis dicitur. *animadverte,* ait Maldonatus, *in sacris literis nusqam Spiritum Sanctum, sed solum Patrem & Filium dici sedere, quòd sedere ùt dixi gubernare sit, seu judicare.* Non sedet Sanctus Spiritus, quia *Paracletus* reorum advocatus est, postulans pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Non judicat Spiritus Sanctus, quia Amor est, quia Consolator est, quia dulcissima dulcedo est. In judicium venit Filius, ut ipsemet asseverat Joan. 9. v. 39. *in judicium ego in hunc mundum veni,* erúntque plures, quibus in ruinam Homo DEus, quàm in resurrectionem futurus est, unde & præsagus Simeon ruinam primo, resurrectionem altero loco collocavit: *positus hic est in ruinam & resurrectionem multorum in Israël;* at verò in vitam & præmium Dator ille munerum advenit, qui si mundum de peccato arguit, ideo arguit solùm & perstringit, nè judex inveniat quod plectat, & condemnet, nec infundit in vulnera nostra vinum cum oleo, sed meracissimum syncenæ consolatio-

Maldonat. ad c. 16. Marci.

Luc. 2. v. 23.

lationis oleum absque mordaci suppliciorum aceto. Vita & mors in manibus lingvæ seu Verbi incarnati sunt, sola Sanitas & vita in alis SanctiSpiritûs, *Sanitas in pennis ejus*, idcirco & Salvator de Spiritu, quem missurus erat, edixit: *Veni ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Quam abundantiam vivacissimè expressam vidit Ezechiel cum integro aridorum ossium exercitui dici audiit: *à quatuor Ventis veni Spiritus, & insuffla super interfectos istos.* Per hunc Spiritum, inquit S. Ambrosius, intelligebat Spiritum Sanctum. Antè ossa arida, ait Joannes Lopez Episcopus Monopolitanus, pòst exercitus grandis valde, quia ingressus est in ea Spiritus, qui vitam dat mundo.

Malach. 4. v. 2. Joan. 10. v. 10. Ezech. 37. S. Ambrosius lib. 3. de Spirit. S. Lop. tom. 4.

§. 5. Triplex circumstātia adventûs Sancti Spiritûs.

Juvat hoc loco meminisse triplicis circumstantiæ, quam suo in adventu vivificans Spiritus observavit, ut beneficii sui magnitudinem manifestiùs declararet, & imprimis quidem, cur post ascensionem Domini? deinde cur die quinquagesimâ, diei verò horâ tertiâ advenerit, videamus. Si Augustini statur judicio, ideo post ascensum Domini missus est Spiritus Sanctus, ut vices Salvatoris suppleret, navim videlicet Ecclesiæ, quam *fabri Filius* erexerat, ad portum salutis secundo vento appelleret; templum non manu factum, quod novus Salomon erexerat, solenni ritu encæniaret, deformatam divinæ similitudinis imaginem, quam sangvine & lachrymis pro rubicundis & candidis coloribus utens Christus restaurare cœperat, lineamentis ultimis donaret. Verba Hipponensis Oratoris sunt: adest vicarius successor Redemptoris, ut beneficia quæ Salvator inchoavit peculiari Spiritus Sanctus virtute consummet, & quod ille redemit, iste sanctificet, quod ille acquisivit, iste custodiat. Hæc Augustinus; sed Augustino altiùs Pontifex maximus D. Leo: *Domini ascensio, dandi Spiritûs fuit ratio.* Passionis Dominicæ fructus ex missione Sancti Spiritûs, missionis verò hujusce eminentiam ex passionis excellentia deducamus. Commendavit moriens Dei filius in manus Patris Spiritum, ut ex paternis manibus digitum (spiritum inquam Sanctum, qui *Digitus paternæ dexteræ* nuncupatur, nobis impetraret. Ex posuit super mensam crucis divinus institor vitales suos Spiritus, ut pretiosum *vitæ Spiritum* nobis mercaretur. Derelinqui â Patre sese passus est, ut Consolatorem Spiritum, qui nobiscum maneret in æternum obtineret. Quin & cœlos idcirco repetiit, ut ex æterni solis pectore vitalem nobis ignem feliciùs, quàm ex rota solis fabulosus Prometheus animando plasmati suo faculam, accenderet. Si ergo beneficium Redemptionis fuit propter Sanctificationis beneficium, adventus Christi ob impetrandum adventum Sancti Spiritûs, facilè concludet philosophus utrùm majus altero beneficium, si illud non fallit principium: *propter quod unumquodque tale, & illud magis tale.* Adde, venisse Christum adultâ hyeme, Spiritum Sanctum adulto vere, cui ver acceptius non est hyeme? Venit de nocte Christus, de die Spiritus Sanctus, an non dies nocte potior? venit in silentio & in incognito Christus, cùm *quietum silentium contineret omnia*, cum impetu Vehementi adest Spiritus Sanctus, ut nemini incognita esse possit gratiosa ejusdem præsentia, & præsentissima ad votum unius cujusque gratia.

S. Augustinus serm. 185. de temp.

S. Leo serm. 2. de pent.

Sap. 18. v. 14.

Adest verò die ab Ascensu Domini quinquagesimâ, quia hic numerus jubilæum significat, unde &

de & Hebræi annum quinquagesimum *jubilæum* vocabant, ùt patet Levit. 25. Sed cur quinquagesimũ? respondet Venerabilis Beda, quia numerus quinquagesimus conflatur ex septenario septies repetito, adeóque indicat septiformis munera Spiritûs. Quinquagesimus annus in lege Jubilæus appellari jussus est, in quo populus ab omni operatione quiesceret, omnium debita laxarentur, servi liberi redirent, annus ipse majoribus solenniis ac laudibus divinis eminentior cæteris existeret. Unde bene ejusdem Spiritûs gratia septiformis â propheta Isaia describitur, quia nimirùm per ejus inspirationem ad requiem & consolationem pervenitur. Certè (ut hoc obiter dicám) tanta vis est Consolatoris Spiritûs, ut infernalis ille epulo meritò crediderit, unâ stillâ totum sopiendum incendium, quid stillâ unâ plusquam Æthnæi restingvantur ignes? una gutta sufficiat immensæ miseriarum abysso sublevandæ? itá est. *appellamus Spiritum Sanctum dexteræ DEi digitum, habet digitus hic cœlesti aquâ intinctus vim ad consolandum maximam* inquit Barradius tomo 4. lib. 4. c. 7.

Beda homil. in c.4. Joan.

Et cur horâ diei tertiâ? an quòd tertia in Deitate persona est, tertiam quoque diei horam in distributionem suarum elegit gratiarum? an quia primâ diei horâ plerosque non in foro sed in lecto otiosos, & recipiendorum donorum incapaces offenderet, eam potiùs horam elegit, quâ ipsi quoque endymiones lectulorum pertæsi sunt? ingeniosiorem adhuc causam ex acuta Augustini observatione licebit eruere, qui Evangelistarum repugnantes inter se de hora Dominicæ crucifixionis sententias (Marcus enim horâ diei tertiâ crucifixum asseverat, cæteri verò horâ sextâ:) gratiosè concilians, verissimum esse ait, quod dixerunt singuli: crucifixus enim Salvator est, & horâ diei tertiâ & sextâ, sextâ quidem â Carnificibus Romanis, tertiâ verò â perfidis judæis, qui exacuerunt lingvas suas, ùt gladium, clavos, & lanceam contra innocuum agnum, eúmque dilacerârunt dentibus, crucifixerunt labiis, crucifixêre lingvis. *Intelligitur ergò fuisse hora tertia, cùm clamaverunt judæi, ut Dominus crucifigeretur, & veracissimè demonstratur tunc eos crucifixisse, quando clamaverunt: crucifige, crucifige.* Verùm dum lingvata gens in Filium DEI infixit lingvas suas, lingvas infigendo eâdem horâ perdidit, ùt apes & crabrones infixum perdere solent aculeum; dum rebellis populus Verbum incarnatum de medio sustulit, verbum bonum posthac loqui nescit; dum vociferando Præsidem ad iniquum damnationis calculum universa multitudo impulit, vocem pariter omnem & suffragium regni æterni æquissimè amisit. Quid agat Paraclitus Spiritus? totaut gens pereat, elingvis & vocis cum activæ tum passivæ ad regnum æternum incapax ut permaneat, patietur? non patitur, sed horâ eâdem, quâ lingvas suas & Verbum populus perdidit, tertiâ scilicet horâ adest, imò in lingvarum specie adest, quas universis inferat, & *magnalia DEi* proloqui, atque *Verbum bonum* doceat pronuntiare. Lingvas ergò & Verbum vocémque per gratiam Spiritûs Sancti accipimus, & quod oris aurei dixit Orator, non tam *vocem*, seu *jus* ad regnum æternum adipiscimur, sed ipsum cœlorum regnum in nobis possidemus, cùm Spiritum Sanctum in animam admittimus: *Spiritus Sanctus est regnum cœlorum, quod intra nos est*, ait S. Chrysostomus. Restituit proinde Spiritûs Sancti gratia, quod in passione huma-

S. Augustinus lib. 3. c. 23. de Concordia Evang.

S. Chrysostomus tomo 2. homil. de Spirit. S.

humanati DEI universa perdiderat natura.

§. 6. Argumento novo confirmatur ex parte mittentis Patris & Filii majus beneficiũ in missione Spiritûs S.

Ex quo novum assertioni nostræ robur accedit, unde majus in missione Spiritûs quàm Filii beneficium collatum demonstrem, gratiosissima videlicet mittentis Patris & Filii voluntas, posteaquam Filii missio ab ingratissimis homuncionibus non nisi odio & crudelibus maleficiis fuerat pensata. Ingens quis neget Patris æterni fuit dilectio, cùm unigenitum suum mitteret in mundum, at experimento nondum se prodiderat hominum inhumanitas; postquam verò experimento constitit, quàm acerbè & nefariè in Filium fuerit sævitum, mittere nihilominùs Spiritum Sanctum voluit! hoc certè omnem vim eloquentiæ, omnem captum ingenii excedit. Inter beneficia hebræorum populo collata, primum locum tenet elargitio mannæ, hoc enim ipsimet eductioni ex servitute Ægyptiacâ, & submersioni hostilis exercitûs teste *Lorino in c. 16. Sap.* longè præfertur, crebriúsque sublimiúsque commendatur. Cur ità? quia populum Ægypto DEus eduxit, cùm nullam adhuc ingratitudinem & pervicaciam expertus esset, manna verò cœlo depluit post iteratam ingratæ gentis rebellionem, de qua Exod. 14. & 16. terminus enim liberalitatis est, iis iteratò benefacere, quorum proterviam semel iterúmque sis expertus. Cùm itaque Pater misericordiarum Spiritum suum per manna olim adumbratum (*manna enim Spiritum Sanctum significat* ait Rupertus) miserit, posteaquam efferatam hominum crudelitatem in Filium exercitam cognovit, supremum, quis neget? apicem amoris attigit.

Rupertus lib. 5. in c. 15. Exod.

§. 7. Spiritus Sanctus

Quamvis autem Sanctus Spiritus passus non sit pro homine, sicut passum credimus Filium, non ideo tamen minor fuit ejus in nos beneficentia, tum quia passibile Filio corpus in Virgineo utero efformavit, ínque desertum, ut tentaretur â diabolo, Christum â baptismo eduxit, tum quia ab atrocissimis tormentis liberare Filium DEi potuit, nî benignitatem in nos perditos homulos exerere, quàm eximere ab infami morte Christum maluisset. Egit enim verò Spiritus Sanctus Angelum illum, qui Dominum in horto sudantem consolatus est, hic enim sicuti Moysi in rubo apparuit, ùt vult D. Augustinus, & Israëlem in columna nubis per rubrum mare eduxit, ùt docet S. Ambrosius, *columna nubis est Spiritus Sanctus*, ità & Redemptorem nostrum in sanguineum passionis mare induxit, eduxítq;, & tempestivum in agone solatium impertiit, ità pronuntiante Augustino: *quanquam Spiritum Sanctum alicubi Angelum dictum non recolam, at ex opere potest intelligi.* Solari siquidem proprium est Spiritui Sancto. Potuisse quoque â Spiritu Sancto suppliciis & infamiâ crucis Hominem DEum eximi, nec tamen exemptum fuisse sapientissimè adnotavit Salomon Sap. 1. v. 6. *benignus est Spiritus sapientiæ & non liberabit maledictum â labiis suis*, in quæ verba acutissimè Petrus Damianus opusculo 4. commentatur, per Spiritum Sapientiæ indubitatè intelligi tertiam in Trinitate personam, per maledictum verò JEsum Crucifixum, de quo Paulus Galat. 3. v. 13. *Christus nos redemit de maledicto legis factus pro nobis maledictum*, ut verò maledictum fieret, Spiritus Sanctus intercessit, quia benignus in nos, non liberavit â labiis suis, hoc est, â prophetiis, quas per ora prophetarum (hi enim Spiritûs Sancti labia sunt) prædixerat. audiamus Cardinalem: *Spiritus Sanctus non liberabit maledictum â la-*

Christum in horto consolatus est, & cùm liberare potuerit supplicio crucis non liberavit.

S. Augustinus de Trinit. lib. 2. c. 13. S. Ambrosius l. 1. de sacram. c. 6.

labiis suis, quia quæ per ora Prophetarum de Christi passione locutus est, non probibuit, sed super eum sinè diminutione compleri cuncta permisit. Cur autem ipsummet Sanctum Spiritum assumptâ mortali carne pro nobis mori minimè decuerit, illa mihi præ millibus una perplacet ratio, quam author recens assignat, nè si expirâsset in cruce Spiritus Sanctus, dici cum veritate potuisset, quòd Amor DEi, qui in persona Spiritûs Sancti significatur, mortuus sit & finem habuerit. nescit amor divinus habere modum & finem, nec ullam magis horret notam Deitas, quàm quæ Amoris inuritur integritati.

Padille in Habac. c. 3. v. 2. discurs. 4. Num. 56.

Sed jam finem modúmque dictioni statuamus, dicamúsque: si majus censeri debet beneficium missio Spiritûs quàm Filii, majores quoque gratias mittenti Patri & Filio persolvere tenemur. Misit Pater Filium, misit Filius & Pater Spiritum Sanctum, sit Mittenti & Misso major honor & gloria, benedictio & gratiarum actio in sæcula. Et quia æqualis tribus est gloria ac coæterna Majestas, sit ter maxima Patri & Filio & Spiritui Sancto gloria per omnia sæculorum sæcula.

Coronemus Problema Emblemate, in quo hinc Nativitatis, illinc Missionis Spiritûs Sancti adumbretur mysterium, in medio Libra è nubib9 protensa contineat in lance altera aureum Agnellum, in altera Columbam auream paris magnitudinis, ponderis, pretii. infrà in mensula aurea visatur Adamas cordis figuram referens, in duas æqualiter divisus partes, qualis fuit adamas Elisabethæ Anglorum Reginæ, quem divisum Mariæ Stuartæ Reginœ Scotorum dono misit; Symbolo utrique idem lemma inscribimus: *par munus utrumque.* quæ inscriptio fortè gratior accidet, si Misericordiam Divinam regali considentem throno fingamus, quæ Naturæ Humanæ dextrâ manu offerat par turturum, sinistrâ duos pullos Columbarum cum lemmate: *Par munus utrimque.* par donum Divinæ Misericordiæ fuit, cùm nobis dedit Filium duplici Naturâ præditum, & cùm dedit Spiritum Sanctum duplicis charitatis dono divitem, ut fieret in nobis, quem Elisæus ab Elia petebat spiritus duplex dilectionis Dei & proximi, quem ut nobis spiritum aspiret Divinissimus Paraclitus, per theandrica Salvatoris merita Patrem cœlestem invocemus, suspiremus, speremus.



PRO-



PROBLEMA II.

Cur DEUS in Essentia Unicus, Trinus in Personis?

DOMINICA I. POST PENTECOSTEN.

Docentes eos servare omnia. Matth. 28. v. 20.

§. 1. Quid Apostoli intellexerint per vocu- lam omnia.



SI quæram ex Apostolis, quidnam per *Omnia* intellexerint, cùm jussi sunt docere gentes, ut servent omnia, respondebit gentium Doctor, per Omnia à se intelligi DEum Trinum, per quem omnia, in quo omnia, ex quo omnia; hunc nôsse vita est, hunc observare sapientia est, hunc super omnia diligere, salus est æterna; *quoniam ex ipso & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* (Rom. 2. v. 36.) Paulò aliter respondebit dilectus Discipulus, & per *omnia* intelliget Eucharistiam, in qua videlicet omnes thesapri scientiæ & bonitatis & omnipotentiæ Divinæ sunt absconditi. Certè sub hoc titulo *omnia* idem Apostolus Eucharistiam expressit, cùm admirabile hoc mysterium descripturus dixit: *Sciens JEsus quia Omnia dedit ei Pater in manus.* (Joan. 13. v. 3.) Omnia dedit, cùm memoriam mirabilium, & magistrale Divinæ omnipotentiæ opus, Eucharistiam Pater Filio in manus dedit. Et cur non Eucharistiam vocemus *Omnia*, siquidem illius umbram Psalmographus vocavit omnem escam: *omnem escam*, hoc est, manna *abominata est anima eorum.* (Psal. 106. v. 18.) Adde, quòd non incongruè pro Eucharistia faciant verba immediatè sequentia: *ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi.* (Matth. 28. v. 21.) Doceantur gentes *servare omnia,* observare videlicet Eucharistiam, quia in ea nobiscum JEsus est usque ad sæculi consummationem. Realis præsentia Salvatoris omnimodam exigit observantiam, reverentiámque. Alium eorundem verborum sensum apud Jacobum Apostolum invenio, qui per *omnia* totam Dominicæ legis plenitudinem intelligit, asseverátque præcepta omnia unius ad instar esse servanda, & unumquodque instar omnium: *Quicunque autem totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus est omnium reus.* (Jacob. 2. v. 10.) Omnia præcepta servanda sunt, quasi foret unicum, quæ ideo ab uno legislatore emanârunt, ut eò faciliùs observarentur, hæc enim congruentissima ad morum instructionem mihi videtur esse causa, cur DEus unus sit in essentia, multus in personis, quia simplex in præcipiendo est, multus verò in remunerando, quod esto præsentis Dictionis argumentum.

§. 2. Ex unitate DEI probare inten-

Non tantùm necessitate naturæ, sed etiam ex convenientia nostra DEus triunus est, unus quidem, ut fa-

faciliùs ei serviatur, multiplex ut uberiùs nobis benefaciat. Cùm legem divinam Israëlitico populo Moyses promulgaret, hac usus est captandæ benevolentiæ præfatione: *Audi Israel & observa, ut facias quæ præcepit tibi Dominus*, Deut. 6. v. 3. atque nè durum nimis exaratæ in tabulis lapideis legis Sinaiticæ onus videretur, opportunè subjunxit: *audi Israël, Dominus Deus noster, DEus unus est* v. 4. quasi dicat: non potest intolerabile videri præceptorum jugum, quod ab unico imponitur Domino, & quidem pro capite legis requiritur, ut non pluribus quàm uni solíque Domino serviatur. Hoc enimverò incitamentum longè validissimum est, ad inviolandam Dominicæ legis observantiam, quia Dominus noster DEus unus est. Poterat quidem observandi Decalogi motivum à DEI immensitate, æternitate, liberalitate, ceterisque infinitis attributis desumi, sed ab unitate desumere Moyses maluit, unde ingens in ingenuis oriretur solatium, quòd unico serviendum esset Domino, qui unius voluntatis & simplicissimæ substantiæ, ex hoc ipso capite tolerabile atque perfacile onus redderet mandatorum. Hanc mihi cogitationem excitavit Oleaster, cùm annotationem ejusdem moralem in c. 6. Devt. perlegerem, ubi sic habet: Considera à quot laboribus nos Deus eripuit. Difficile est multis Dominis servire, quantò magìs diis? Nè ergò labores ô homo in multorum DEorum tam diversa poscentium cultura, ostendit tibi DEus suam unitatem. nemo, ait Christus, potest duobus Dominis servire, neque fortiùs duobus aut pluribus diis, quorum triginta millia in orbe fuisse historiæ produnt. Vide ergò quomodo pauper homo, qui uni DEO vix sufficit posset triginta millibus ministrare. Hucusque Oleaster. Immortàles proinde immortali Numini debemus gratias, quòd ex gentilitiarum superstitionum tenebris in admirabile lumen suum eductos, uni sibi servire voluerit, cujus unica est voluntas, svave jugum, & onus leve.

Matth. 6 v. 24.

§. 3. Sichimitis persvadet Abimelech ut se præ filiis Gedeonis in ducem eligant.

Ut Abimelech contribulibus suis, quorum ambiebat dictaturam persvaderet, quàm utile, jucundum, necessarium sit unicum habere foris ducem, cujus signa & ductum in hostes sequerentur, unicum domi principem, cujus nutui se submitterent, unicum cui parerent parentem, in hunc modum locutus legitur Jud. 9. à v. 2. *Quid vobis est melius, ut dominentur vestri septuaginta viri, omnes filii Jerobaal* (inter quos scilicet tanquam fratres rara concordia) *an ut dominetur unus vir? simúlque considerate, quòd os vestrum & caro vestra sum.* Quæ oratio tam fuit efficax, ut extemplò Sichimitæ collatis inter se capitibus in hanc pedibus manibúsque concesserint sententiam, satiùs esse uni servire Domino, quàm heros septuaginta tolerare, atque idcirco septuaginta libras argenti in subsidium bellicum obtulerunt, ut Marte sive argenteo, sive ferreo principatum sibi tyrannus vendicaret: *frater noster est, dederúntque illi septuaginta pondo argenti de fano Baalberit* v. 4. non poterat expugnandis Sichimitarum animis fortiorem Abimelech adhibere arietem, quàm dicendo, uni soli servituras, si ipsi servire placuerit, & quidem conterraneo, consangvineo, fratri. habere septuaginta viros inquit Tostatus in c. 9. Jud. in Dominos laboriosum est, & intolerabile, quia quilibet jubebit, & omnes extorquebunt aliquid à populo, & ut omnibus provideatur, necesse erit fieri magnas extorsiones & depauperationes.

B Fe-

Felices proinde nos, qui unicum habemus Deum, quem adorare, unum Deum, cui servire, meliorique titulo quàm Sichimitæ Abimelecho dicere possumus: *Frater noster* propter assumtam humanitatem, frater noster est. Argumentum hinc desumit Tertullianus ad DEo omnibus viribus serviendum, lib. de pat. c. 4. *meliora ergo erunt in obsequii disciplina, quæ nobis DEus subdidit? agnoscunt denique quæ obediunt. nos qui Soli subditi sumus, Domino auscultare dubitabimus?* quæ Tertulliani verba sic Delacerda noster explicat: si bestiæ quæ natæ sunt tantùm ad obediendum non ad imperandum, tot agnoscunt obsequia, quæ præstent infinitis Dominis (nam tot habent, quot sunt homines) nos dubitamus uni soli parere, cui subditi tantùm sumus? vah pudor! pudenda certè stultitia nostra, quòd cùm nati simus ad famulandum uni Domino, ejúsque voluntati obsequendum, innumeris nos tamen implicemus servitutibus, & innumerorum Dominorum tyrannidi scientes volentes mancipemus, tot videlicet Dominis, imò carnificibus, quot humanis respectibus, quot dæmonis instinctibus, quot rebellibus perversæ naturæ motibus consentimus. à quibus posteaquam dure ac diuturno labore obtriti fuerimus, pro stipendio mortem, & infinitam calamitatum abyssum recipiemus, sic justissimè statuente supremo illo Domino, qui ideo unus est, ut uni unicè serviatur, ideo unus est, ut eidem faciliùs serviatur, ideo unus est, quia Corrivalem non patitur, & in corde nostro solus vult esse omnia, aut nihil.

§. 4. Qui ab uno Deo deficit incidit in innumeros tyrannos.

Mulier illa Samaritana Joann. 4. frœnum pudendis cupiditatibus laxans, viro uni adhærere noluit, legitimi impatiens jugi, & in sena incidit juga cui falsè veritas reposuit: *quinque viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir.* en quot Dominos imò tyrannos habet, qui Dominicum sexti præcepti jugum excussit. Invitatus ad nuptiale convivium hospes venire renuit, & causam prætendit: *juga boum emi quinque* Luc. 14. jugum Christi rationabile suscipere noluit, & alia quinque irrationalium jumentorum sibi emit. *Vides excusationem hominis* (inquit Bernardus, & extremæ dementiæ hominem vocat serm. *ecce nos:*) *qui propterea Christum non insequitur, quia juga boum emerit quinque.* Sic mercantur quotquot unum jugum, unum obsequium, unum Deum detrectant, & sibi innumera fabricant idola. Coëgit refractarius Israël in deserto Aaronem, ut absente Moyse aureum vitulum efformaret in idolum; efformavit id Aaron, & adorandum proponens exclamavit: *Hi sunt dii tui Israël* Exod. 32. unicus erat vitulus, & tamen Deorum nomine insignitur, quia desinens ab uno vero DEo, in Deorum multitudinem incidit, próque divino jugo nefariè excusso, jugis boum plurimis oneratur. *unus factus est vitulus* (Oratoris aurei vox est, homil. 5. de pœnit.) *& clamat ingratus populus: Hi dii tui Israël, hi dii tui unum respiciens. Quare igitur dii? non quod videtur, indicat, sed Deorum pluralitatem annuntiat.* Vult dicere Chrysostomus, Aaronem in unico idolo plures Deos interpretatum fuisse, quia necessarium est, ut qui ab uno vero DEo recedit, ad innumeros accedat deos tyrannos. Subjugalem pullum asinæ sibi offerri Christus jusserat, qui cùm solveretur, apparuit pullum hunc non unius Domini, sed multorum fuisse, ità enim habet Lucas c. 19. *Solventibus autem illis* Discipulis geminis, Petro & Joanne, pullum, *dixerunt Domini ejus: quid*

quid solvitis pullum? in hoc pullo conditio peccatoris repræsentatur, cui non unus, sed plures Domini imperant, quando à Christo solvendus est. *nónne si mente præditus esset,* inquit S. Athanasius serm. de ramis, *sufficeret, si ei unus Dominus insideret? nunc autem plures sunt ejus Domini.* deterior asino esse debet, qui sub tali onere non ingemiscit; asininâ dementiâ laboras, inquit Baëza, si ab uno Domino ad plures confugis, multiplicibus premendus jugis.

§. 5. Ex imperantium multitudine ingens est populi afflictio; experti Israëlitæ.

Intolerabile enimverò jugum & ruinæ proxima servitus est, multos habere gubernatores. Posteaquam Rex novus, qui ignorabat Josephum, in Ægypto surrexisset, & incrementum Israëlitarum observâsset, consilio cum Palatinis suis inito sic statuit: *Ecce populus filiorum Israël multus, & fortior nobis est, venite; sapienter opprimamus eum. præposuit itaque eis Magistros operum* Exod. 1. v. 10. ruinam novus ille Pharao non ab exilio, non à carceribus, non à gladio quæsivit, sed à gubernatorum copia. *Præposuit eis Magistros operum.* hìc describitur ipsa afflictio populi, inquit Lyranus, quæ afflictio intolerabilis omninò fuit, est enim ultimæ calamitatis linea & omnium miseriarum centrum, pluribus Dominis subesse; quare ut svaviùs Deo nos nostro serviremus, unus per naturam est, & unus nobiscum esse desiderat per amoris unionem.

§. 6. Ideo DEus est unicus, ut minus imperet, plus donet.

Cùm in intimo Deitatis consilio conclusum esset, ut Adamus solitarius non maneret, sed alterâ sui parte augustior fieret, *non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adjutorium simile* Gen. 2. v. 18. data mox est executioni sententia & sopore in Adam immisso, *tulit unam de costis ejus & replevit carnem pro ea, & ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem* v. 21. & 22. cùm mulier formatur, nonnisi unius Personæ, mentio fit, at verò cùm eadem mulier decernitur, plurium personarum meminit sacer historicus *Faciamus,* etsi enim eædem simul personæ Evam formârint, qvæ formandam decreverunt, nihilominùs unius tantùm personæ in formatione mulieris fit mentio, quia in *decernendo* dandum aliquid erat, in *formando* verò aliquid accipiendum. Aliud est benefacere, aliud accipere, dum Deus intendit benefacere, multiplicem se in personis insinuat: *Faciamus*; cùm verò aliquid ab homine accipiendum est, unicam personam nominat: *tulit unam.* Si favores conferendi sunt, certant quodammodo inter se personæ, & nulla abesse vult, at verò cùm aliquid ab homine tollendum, inferendúmve supplicium, nunquam omnes tres nominantur. Patet id in Abrahamo, ad quem tres viros in valle Mambre divertisse & prandisse legimus, quia fœcunditas utrique vetulo sterilíque parenti conferebatur, & Messias ex eorum prosapia nasciturus promittebatur, at verò cùm ab iisdem angelis Triadem Personarum referentibus evertenda esset Pentapolis, etsi ab Abrahamo tres discesserint, non tamen tres Sodomam adventâsse & pernoctâsse leguntur. Nimirum multus in largiendo DEus est, non ità in plectendo. unus est, cùm præcepta imponit, Trinus cùm præceptorũ observantiam remuneratur.

§. 7. Ideo fatuæ Virgines nuptiis excluduntur, quia Dominum duplici corde & labiis, omisso Sancto Spiritu invocant.

Quinque Virgines fatuæ serò ad nuptias ex olei defectu venientes, validis vocibus manibúsque portam pulsant: *Domine Domine aperi nobis* Matth. 25. v. 11. ô stultæ & duplicis lingvæ puellæ, cur Dominum vobis multiplicatis, qui simplicis est essentiæ & cordis & oris. Scitis sponsum esse unum, & nunquid paulò antè audîstis: *Ecce Spon-*

Sponſus venit, exite obviàm ei. cur ergò multiplicatis illi nomina, & congeminatis dominia: *Domine Domine*? palpum is non amat, pſeudopoliticen non fovet, non favet duplicitati, cum ſimplicibus ſermocinatio ejus. Unus eſt Sponſus, cur ergò perſonam ejus duplicâſtis? reſpondet pro fatuis Virginibus Alphonſus Padille: opinor, quoniam etſi fatuæ, etſi imprudentes, id planè noverant, Deum ad accipiendum unum eſſe, unde dicitur: *ecce Sponſus venit*, venit enim ad ſponſas accipiendas, multiplicem verò ad beneficia conferenda, & idcirco cùm ejus auxilium implorant, perſonam ingeminant. Et fortasſis exauditæ atque ad nuptias admiſſæ fuiſſent, ſi omnes tres nominâſſent perſonas, & Spiritum Sanctùm pariter invocâſſent: *Tertius Domine deeſt*, ait Hugo Cardinalis, qvia ùt dixit Apoſtolus: nemo poteſt dicere: Dominus Jeſus niſi in Spiritu Sancto. Spiritum Sanctum omiſerunt, qui eſt dator munerum, atque idcirco nuptialia munera amiſerunt. Tertium *Domine* ignoraverunt, ideóque ignoratæ ſunt: *neſcio vos*. Spiritum Sanctum non invocârunt, unde & nomen Salvatoris ſuam in ſalutem ritè non protulerunt, quia nemo poteſt dicere Dominus JEſus, niſi in Spiritu Sancto. Diſcamus à fatuis cautiùs loqui, cúmque cœleſtia ambimus beneficia, totam invocare Trinitatem, Patrem per Filium, Filium per Spiritum Sanctum, hunc in nomine Patris & Filii, tota enim nominari gaudet Trinitas, quæ idcirco pluralitatem amat perſonarum, ut pluribus nobis titulis gratificetur.

Padil. in Habac.

§. 8. DE9 in lege veteri un9, in nova trinus invocatur. cur?

Ecce DEus magnus! exclamat Job. c. 36. v. 27. ſeu ùt ſeptuaginta verterunt: *ecce DEus multus*. multus omninò ad ignoſcendum, multus ad obſequium penſandum, multus ad dona naturæ, gratiæ, gloriæ conferendum. in lege veteri nominatur DEus unus, in nova Trinus, quia olim multa præcipiebat, & pauciora quàm nobis in lege gratiæ conferebat; jam verò quia pauciora præcipit (præcipit enim hoc unicum: *Ama & fac quod vis*:) & ingentia dona largitur, idcirco perſonarum detegit Trinitatem. Quod uni perſonæ in honorem præſtatur, ab omnibus benignisſimè acceptatur, ſolvitur, hinc illud: *qui diligit me diligetur à Patre meo, & ad eum veniemus & manſionem apud eum faciemus*. Joann. 13.

§. 9. Exemplo Dei ſit quilibet unus, & multus.

Quam ter beatisſimam Trinitatem, ut quisque in ſemetipſo exprimat, ſit unus & multiplex, unus quidem in ſimplicisſima intentione DEo ſoli placendi, totóque corde eidem ſerviendi, cùm DEus idcirco unus ſit, ut ſvaviùs eidem ſerviatur; & quia beneficentisſimus idem DEus ideo in perſonis trinus eſt, ut uberiùs nos proſequatur beneficiis, conetur unusquisque noſtrûm multus eſſe in ſeraphicis deſideriis ità colendi Sanctisſimam Trinitatem, ſicut ab omnibus ſimul creaturis colitur, & coli poteſt. Placebit hæc unitas, nec diſplicebit multiplicitas. Placuit Chriſto alienigena ille mundatus à lepra, de quo Lucas c. 17. *unus autem ex illis ut vidit, quia mundatus eſt, regreſſus eſt cum magna voce magnificans DEum*. ideo placuit, quia unus fuit, videlicet non in ſeipſo diviſus, ſed integer & ex toto oblatus eſt DEo. Divi Anſelmi hoc acumen eſt apud Baëzam tomo 1. lib. 3. c. 7. §. 19. Quòd dicitur unus, intelligendum eſt, non diverſis voluntatibus ſe varians, ſed in una perdurans. nimirùm qui DEo placere vult, uni illi placere ſatagat, & integrè ſe eidem donet, dedicétque. Et quia idem alienigena novem reliquorum á lepra emundatorum per-

personam supplevit, unus pariter ac multus fuit, ac plus omnibus placuit. Ut placeamus & nos, dicat unusquisque nostrûm corde potiùs quàm ore: Ter optime maxime DEus, si possem te tantum amare, adorare, oblectare, quantum omnes Sancti simul sumti & Angeli te amant, imò quantum ulla creatura, aut omnes possibiles cum omni gratia tua quā per totam omnipotentiam tuam illis dare posses, te possent amare, sic Te amarem. atque ut ostendam hanc voluntatem meam seriam esse, en omnibus quas nunc habeo viribus te amo & amare volo, ut declarem, quòd si plus possem, plus Te amarem.

Pro Emblemate Sol sit, quem innumeræ cingunt undique Stellæ: *Solus, lumina mille.* Unū Solem suspicimus, at mille luminib' respicimur, fovemur, recreamur. Unum respicimus, amamus adoramúsque DEum, sed qui mille nos vicissim gratiis ac favoribus respicit & reficit. Respiciant in te, ò Sol Clementiæ, oculi omnium, ut non tantùm in gratiarum tuarum semper oculis vivamus, sed tanquam pupilla oculi tui adversùs omnem Principis tenebrarum fallaciam custodiamur.



PROBLEMA III.

Quis Titulus DEO honorificentissimus?

DOMINICA EADEM.

In Nomine Patris & Filii & Spiritûs Sancti

Matth. 28. v. 19.

§. I. Honorificorum titulorum avidissimi sunt homines.



QUanto mortales studio in splendidos ferantur titulos, nemo est, qui non videat, audiat, experiatur. Vix panem à rustico impetraveris, nisi Dominationis eū titulo dones; pauci de nobilibus sunt, qui perillustres imò illustrissimi non malint appellari, nobilibus se cives æquiparant, quin & de sorte Altissimi seu clero quot invenies, qui Reverendos se absque adverbio *Admodum* aut superlativo nuncupare sustineant? primum quod scribitur, legitur, atteritur, titulus est; primum quod appetitur, quæritur, procuratur, titulus est; primum quod adolescentem in palæstra literaria excitat, militem in campo martio animat, palatinum in aula & curia conciliat, titulus est. processit eò usque insana Principum nonnullorum cupido, ut ab astris & astrorum principibus suos sibi titulos mentirentur.

Constantino Magno scribens Persarum Rex Sapor, hunc sibi mentitus est titulum: Sapor particeps siderum, Frater Solis & Lunæ Constantino salutem plurimam. major longè insania Regis Bisnagensis qui teste Jarrico tomo 1. rerum ind. Salutabatur: Sponsus bonæ sortis, magnarum Provinciarum DEus, Regum potentissimorum Rex, omnium equitantium Dominus, Magister & Doctor loqui nescientium, trium Imperatorum imperator, omnium quæ videt conquisitor, conquisitorum conservator, quem octo mundi partes metuunt, eques cui nemo par, & fortissimorum quorumque debellator, Elephantorum venator, Dominus Orientis, austri, septentrionis, occidentis & maris. Soldanus teste Drexelio prodr. c. 1. §. 1. epistolæ præmisit hunc laudum Syllabum: Salamander omnipotens ante Carthaginem, Dominus Jordanis, Dominus orientis, Dominus Bethleem, Dominus paradisi, Præfectus inferni, maxim' Imperator Constantinopoleos, Dominus ficûs aridæ, Dominus quâ Sol & luna meant, protector primi Sacerdotis Joannis, Imperator Rex Regum, Dominus Christianorum, Judæorum, Turcarum, Trapezuntinorum ac Constantinopolitanorum, & amicus Deorum. Solymannus verò: Carolo V. Imperatori semper Augusto Belgæ coævus Solyman, ex victrici nobilissimáque Ottomannorum prosapia ortus, Imperator Turcarum, Rex Regum, & Dominus Dominantium, Imperator Trapezuntinorum ac Constantinopolitanorum, Dominator mundi & terræ domitor. En quantus titulorum ambitus, Zelus quantus! & non Zelemus nos potiùs pro honorificentissimo immortalis Dei nostri titulo scrutando proferendóque? omnes de honore suo sunt soliciti, ait Divus Gregorius, de honore & titulo DEi nemo, quod nè sæpius exprobrari possit, solicitus ero hodie de honorificentissimo Dei titulo, ut sit, qui pro honore Zelotis DEi Zelet non nemo.

§. 2. Varii tituli & nomina Dei.

Primum DEo titulum ab immensitate depromtum Ancilla Agar supremo Domino contulit, & *videntem* ac *viventem* appellavit Gen. 16. v. 14. ipse DEus nomen Entis sibi assumsit Exod. 3. v. 13. *ego sum qui sum, hoc nomen mihi est in æternum.* Exod. 6. v. 3. Dominum se appellat: *nomen meum Adonai*; ab omnipotentia derivat titulum Exod. 15. v. 3. *omnipotens nomen ejus*, à Zelo verò Exodi 34. v. 14. *Dominus Zelotes nomen ejus.* Decem præcipua DEi nomina enumerat Divus Hieronymus, quæ vernatula fermè sonant, *El* fortem, *Elohim* providum, gubernatorem, judicem, vindicem, *Sabaoth* exercituum imperatorem, *Elion* excelsum, *Adonai* Dominum, *Saddai* munificum, omnipotentem, ens entium seu *Jehova.* Ex his alisque quodnam DEO acceptissimum, honorificentissimúmque nomen sit, controvertunt Theodidacti, ego pace omnium, quæstionem hanc facti esse pronuntio, illúmque speciosissimum divinitatis censeo titulum, quem supremæ intelligentiæ concinunt sinè fine dicentes: *Sanctus! Sanctus! Sanctus!* cur non immensum potiùs aut æternum, vel omnipotentem, aut providum, omniscíumve potiùs, quàm Sanctum proclamant? quia optimè nôrunt titulum Sanctitatis esse omnibus præcellentiorem.

§. 3. Titulus Sanctitatis est acceptissimus DEO.

Divum Dionysium appello, qui de divin. nom. c 12. Sic loquitur: *DEUS per excellentem cuncta excellentiam Sanctus Sanctorum prædicatur.* Hunc titulum acceptat DEus pro summo, ùt observat Sanctus Ambrosius lib. 6. de

de Spiritu S. c. 18. *nos quoque nihil pretiosius invenimus, quo DEUM prædicare possimus, nisi ut Sanctum appellemus, quodlibet aliud inferius est DEo, inferius est Domino.* Doctissimè Douterman in Amore creato pag. 364. licèt perfectiones omnes in DEo admirandæ sint, & infinitæ, nihilominus sinè sanctitate (si hæc separari ab iis posset) non æstimandas tanti, quanti sola sanctitas; ideò & supremi Spiritus sinè fine acclamant: Sanctus! Sanctus! Sanctus! quia in DEo nihil æquè venerantur & mirantur, quàm sanctitatem, non omnipotentiam, non sapientiam, non misericordiam, sciunt enim hunc titulum Deo charissimum. Titulus Sanctitatis præfertur ab ipsomet DEo titulo Potestatis, hunc enim habet in extremis vestimenti sacerdotalis partibus, illum ferri vult in fronte Apocalypseos 19. v. 16. *habet in vestimento & in femore suo scriptum Rex Regum, & Dominus Dominantium.* at verò Exod. 28. v. 36. *Facies & laminam de auro purissimo, in qua sculpes opere Cœlatoris Sanctum Domino, & erit super tiaram imminens fronti pontificis*; imò pontifex habito hoc titulo Sanctitatis abjiciebat quodammodo omnes thesauros humanæ sapientiæ expressæ per tintinnabula aurea, & omnes coronas humanæ gloriæ ac potestatis per malogranata adumbratæ. nimirum *magnificâsti super omne nomen Sanctum tuum*, non nomen potens, nomen nobile, nomen excelsum, sed Sanctum.

Psal. 137. v. 2.

§. 4. Cur prima petitio in Dominica oratione sit à Sanctificatione?

Nihil priùs orandum Christus docuit, quàm: *Sanctificetur nomen tuum* Matth. 6. v. 9. hoc est, cognoscatur Sanctitas tua, hæc enim prima est benedictio nostra si Sanctitatem divini Nominis bene apprehendamus. *& hoc benedictionis vice fungitur*, inquit Tertullianus lib. de Orat. c. 3. tunc maximè Deum benedicimus, quando Sanctum appellamus. Ingenioso affectu scripsit Sanctus Cyrillus Hierosolymitanus Catechesi 5. mystagogicâ, theologiam aliam Angelos nec scire velle, nec tradere hominibus, quàm quæ sit de Sanctitate divina, tanquam utilissimam simul & jucundissimam: *propterea traditam nobis hanc Seraphicam theologiam Sanctus! Sanctus! Sanctus! recitamus, ut in illa cœlesti hymnodia cum supra mundana militia communicemus, per hujusmodi hymnos nos Sanctificantes.*

§. 5. FiliumDei & Spiritum Sanctum titulo Sancti cur Angelus condecoret.

Archangelus Gabriel divinitatem Spiritûs Sancti simul & nascituri Filii DEi alio ex nomine meliùs indicare non potuit, quàm ex Sanctitate: *Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi* Luc. 1. nunquam amor ille increatus omnigenæ sanctitatis author Spiritus in divinis literis Sancti nomen accepit, donec divinitatis excellentiam in admirando incarnationis opere manifestavit dictus anteà est *Spiritus Domini, Spiritus Sapientiæ*, & *fortitudinis*, sed non Spiritus Sanctus. notavit id Rupertus in c. 1. Matth. *maximè ex hoc opere, quod in MARIA operatus est, claruit hic Spiritus Domini, quòd verè Sanctus sit*, puritatis amator & custos, ideo Sanctus. De Filio verò v. 35. addidit Archangelus: *Quod nascetur ex te SANCTUM, vocabitur Filius DEi.* ideo filius quia Sanctus, ideo DEus, quia non simpliciter Sanctus, sed *Sanctum*, omnem videlicet in se continens Sanctitatem. audiamus Bernardum homil. 4. super Missus: *ut quid ità simpliciter Sanctum & absque addidamento dixit? credo quia non habuit, quod propriè dignéque nominaret illud eximium illud magnificum, illud Reverendum, quod de purissima Virginis carne cum sua anima Unico Patris erat uniendum.*

dum. nominat priùs Sanctum quàm Filium, quia magnificentiorem Verbi titulum non habuit.

§. 6.
Agnoscunt ipsi dæmones titulum Sanctitatis omnibus aliis præcellere.

Ipsi dæmones cognomentum illustrius non habuêre, quo honorarent Deum humanatum, quàm Sancti titulum Marci 1. Lucæ 4. *Quid nobis & tibi JESU Nazarene? venisti perdere nos, scimus qui sis, Sanctus DEi.* cur Sanctum potiùs quàm Dominum, Regem, Judicem, omnipotentem nominant? respondet Euthymius, quia benevolum sibi Christum reddere volebant, nè ex possesso corpore ejicerentur, ideóque supplici suo libello honorificentissimum titulum, adulantium more præfixêre, nec alium repererunt quàm *Sanctum.* Ejusdem opinionis est Sanctus Cyrillus Alexandrinus apud S. Thomam in catena aurea. *Putaverunt dæmones, quòd per hujusmodi laudem, facerent ipsum inanis gloriæ amatorem, ut abstineret eorum contrarietate, utpote pro gratia gratiam compensans.* nota: inanis gloriæ amatorem. tanti est Sanctum esse, ut si in Deum cadere posset superbia, ex solo hoc titulo caderet, ut de excellentia Sanctitatis superbiret. Quodsi juxtà Maldonatum dæmones non fuêre tam rudes, ut putaverint cadere posse superbiam in Christum, credidêre nihilominus, hoc tam pulchro titulo eundem emolliendum, nè acerbius quidquam in eos statueret, quod & factum; impetrarunt enim gregem porcorum in quem ruerent. Nimirùm omnia à Deo facile exorant, qui sanctitatis divinæ titulum interponunt. Est & illud observatu dignum, quòd Dominus præconibus laudum suarum silentium indixerit, quia erant spiritus immundi, prædicatio autem sanctitatis non nisi à mundissimis Spiritibus nuncupanda est. insinuat hanc causam Tertullianus lib. 4. c. 8. contra Marcionem. *illius erat præconium immundi Spiritûs respuere, cui Sancti abundabant.*

§. 7.
Affectus erga Deum Sanctum.

Quare nè dæmonibus deteriores simus, imò ut supremis Spiritibus suppares simus, sæpissimè trisagium repetamus, & affectu quàm possumus ardentissimo ingeminemus: *Sanctus! Sanctus! Sanctus! Dominus DEus Sabaoth, pleni sunt cœli & terra gloriâ tuâ.* Sanctus Pater, Sanctus Filius, Sanctus Spiritus, semel & ter Sanctus. Sanctus ante tempus, Sanctus in tempore, Sanctus post elapsum mundi tempus in secutura felicitate, & æternitate! Sanctus in seipso, Sanctus in omnibus naturæ, gratiæ, gloriæ operibus, Sanctus in omnibus permissionibus suis! Sanctus in cœlo glorificans electos, Sanctus in terra justificans impios, Sanctus in inferno puniens damnatos! Sanctus in creatione, Sanctus in Redemtione, Sanctus in mortalium vocatione! Sanctus in beneficiis, quæ confert, Sanctus in suppliciis, quæ infert, Sanctus in donis & bonis, quæ aufert! Sanctus in Sanctis, Sanctus in reprobis, Sanctus in omnibus inanimis irrationalibúsque creaturis!

§. 8.
Opere & conversatione Deū Sanctificemus exemplo primorum Christianorum.

Nec ore tantùm sed & opere DEum Sanctum prædicemus, sanctâ videlicet & inculpatâ conversatione domum, urbem, regionem, orbem totum quodammodo sanctificantes, accurantésque, ut primum nostrum desiderium studiúmque sit majoris acquirendæ sanctitatis. Primi Christicolæ passim Sancti vocabantur unde Paulus Romanis scribens, hunc iisdem attribuit titulum: *omnibus qui sunt Romæ dilectis Dei, vocatis Sanctis* Rom. 1. v. 17. quin & Propheta Evangelicus universaliter de Christianis locutus: *vocabunt eos: Populus Sanctus, redemti à Domino* Js. 62. nomen sanctitatis videtur duo importare

ait

S. Thom. 2. 2. q. 81. a. 8.

ait Doctor Angelicus, uno quidem modo munditiam, ut intelligatur Sanctus quasi sangvine tinctus, eò quòd antiquitùs illi, qui purificari volebant, sangvine hostiæ tingebantur. græcè Hagios, hoc est, sinè terra. Alio modo importat firmitatem; Sancta dicuntur, quæ legibus sancita, ut violari non debeant. Si ergò integri vitæ sceleri̇́sque puri & in observandis Dei ac Ecclesiæ sanctionibus fuerimus firmi, sanctitatis titulo non carebimus.

§. 9. Sanctum Sanctorum cur mero vestiri auro debuerit.

Locus Sanctissimus in veteri lege dictus est *Sanctum Sanctorum*, de quo 2. paral. c. 3. v. 8. *laminis aureis texit eam* (domum Sancti Sanctorum) *quasi talentis sexcentis*, faciunt septem milliones & quingenta millia aureorum; *sed & clavos fecit aureos, ita ut singuli clavi siclos quinquagenos appenderent*; sunt ducenti quinquaginta coronati, vasa omnia ex purissimo auro, decem millia mensarum, totidem candelabra, thuribulorum viginti millia, craterum sexaginta millia, phialarum centum millia, ex purissimo auro omnia. Summa vasorum quæ vidit Josephus, quadringenta quadraginta millia; cur ex auro omnia? quia aurum Sanctitatis Symbolum est teste Magno Gregorio lib. 34. c. 13. in Job. *auri nomine Charitas intimatur & splendor Sanctitatis. Si vis honorare Sacrificium*, inquit homil. 60. ad pop. os aureum, *animam offer, hanc fac auream, si verò plumbea manet, quid utilitatis?* triclinium Justiniani totum fuit aureum. Cor nostrum totum fit charitate aureum eo potissimùm tempore, quo Sanctus Sanctorum per Sacratissimi Sacramenti sumtionem ingressurus est.

§. 10. Absq; Sanctitate nihil valent virtutes & dotes cæteræ.

Zelat præ cæteris titulis Deus principaliter pro titulo Sanctitatis, Zelemus & nos, & sicut in Deo nullum prædicatum valeret absente Sanctitate, ità & apud nos statuamus, sapientiam non prodesse, fortitudinem non valere, pulchritudinem non ornare, gratias alias nullas esse, si una absit Sanctitas. Sanctitas est decima illa drachma quâ deperditâ ceteræ novem, dotes inquam aliæ, non æstimantur, ità verba Salvatoris Luc. 15. *mulier habens drachmas decem, si perdiderit unam, nónne accendit lucernam*, interpretatur Sanctus Gregorius Nyssenus inquiens: *etsi omnes adsint virtutum facultates, una tamen remota sit Sanctitas ab animo illo viduo, nulla existit utilitas.* Libro octavo Constitutionum Apostolicarum apud Anastasium Sinaitam quæst. 18. dixêre Apostoli: *neq; quicunque prophetat, est pius, neque quicunque ejicit dæmones, est Sanctus, nam & Balaam Vates prophetavit, & Saul & Caiphas; multa autem dicit diabolus & ejus dæmones & non propterea sunt participes vel scintillæ pietatis.* Canticorum 5. v. 2. clamat Sponsus: *aperi mihi soror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea.* cur vocat amicam, postquam nominavit sororem? respondeo cum Luca Abbate, quia omnes humanæ creaturæ sunt sorores, circumferunt eandem carnem, quâ DEI Filius indutus est, sed non omnes sunt amicæ, quia Sanctitate non sunt præditæ. Psalmi decimi septimi titulus est: *in finem puero Domini David.* notat Evthymius, quòd se David non Regem, non bellatorem, non prophetam vocet, sed *puer Domini* audire malit, puerum enim Domini esse significat Sanctum esse, & hic est titulorum titulus supremus. Proverbiorum 30. v. 29. dixit Regum Sapientissimus: *tria sunt, quæ bene gradiuntur, & quartum quod incedit feliciter: Leo, gallus, Aries & qui stultus apparuit, postquam elevatus est in sublime.* Argutè Salonius Vi-

S. Gregorius Nyss. de Virg. c. 12.

ennensis quærit distinctionem inter *bene* & *feliciter*, respondétque: quia omne quod feliciter incedit, non semper bene incedit. illa bene incedunt, quæ ambulant sanctè & justè; illa incedunt feliciter, quæ in hac vita habent prosperitatem suam. per leonem, gallum, arietem intelliguntur Viriilli Sancti, qui pugnant, vigilant, mortificantur; stultus est, qui habet omnia ad votum, & hic graditur feliciter, non bene, non justè, non Sanctè. Secundo Regum c. 23. celebrantur fortissimi Duces, qui Davidis ævo floruerunt, quos inter Joab non censetur. Rupertus curiosè: quare Joab nec inter tres, nec inter triginta fortes numeratus est? videlicet, quia non vires corporis, sed virtutes animi spectantur in fortibus David. Abnerum proditoriè occidit, Amasam nequiter interemit, fortitudinem bellicam & felicitatem temporaneam sanctitati & beatitati æternæ præposuit, ideo inter fortes Davidis sive dilectos & electos numerari nequaquam meruit. Ut inter fortes Davidis & electos simus, illud nobis quàm frequentissimè dictum putemus: *sancti estote quia ego Sanctus sum.* Levit. 19. v. 2.

Coronemus Problema hodiernum sacrosancto quod Isaias & Joannes viderunt Emblemate, cùm Seraphini ante Majestatis thronum consisterent, & trisagium sine fine alternarent: SANCTUS SANCTUS SANCTUS, ex quo trisagio duas duntaxat accipio literas s & t, & canentibus in cœlo Seraphinis geniolos humanæ naturæ associo, qui imposito labellis digito, solum silentii signum proferunt: St! Nimirum ab humana infantia *Tibi DEus laus silentium.* nam præ admiratione & æstimatione tantæ SANCTITATIS nobis siluisse sat est.

* * * * *



PRO-



PROBLEMA IV.

Fuerintne Nobiles, qui ab adeunda Cœna se excusârunt?

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN.

Cœperunt simul omnes excusare

Luc. 14. v. 18.

§. I. Excusatores terni significant, ambitiosos, avaros, molles.



Vi cœnam magnam instruxit, nec Rex nec Paterfamilias nec Domino appellatur, sed homo quidam: *homo quidam fecit cœnam magnam.* è contra alius, qui nuptias fecit, Filio suo, & prandium adornavit, Regis honoratur titulo: *simile est regnum cœlorum homini Regi* Matth. 22. v. 4. quia videlicet magnificentior fuit cœna modimperatoris hodierni, quàm prandium alterum Regis, cœna námque *magna* dicitur, prandium verò simpliciter prandium appellatur. unde quia Amor liberalior est, quàm Majestas, idcirco regio supersedetur nomine, & humanitatis duntaxat titulus præfertur: *homo quidam fecit cœnam magnam.* ad quam invitati primæ notæ hospites comparere detrectârunt, frivolis ad sese exculpandos usi ratiunculis, quas à villa vel bobus, vel quod turpius est, ab uxoria servitute emutuârunt: *villam*, ait primus, *emi & necesse habeo exire & videre illam.* Stultus iste mercator fuit, qui priùs villam emit, quàm videret, ad eámque videndam vespertino tempore expatiatur; quia ambitiosi, ùt vult Augustinus, personam refert; ambitioso autem semper nox est, à tenebris incipit, & in tenebris perseverat, omnis námque ambitio cæca est, & excæcat. *In villa emta*, ait Sanctus Augustinus serm. 33. de verbis Domini, *Dominatio notatur, ergò superbia castigatur.* Alter Euclionem expressisse videtur qui suis sibi expensis emit juga boum quinque. omnis enim avarus laborem & dolorem sibi coacervat, séque pecuniæ devovet in mancipium. decuerat pecuniam exponere, ut jugum à se excuteret, ùt videmus jumenta excutere, ubi possunt; at hem Euclionem! auro suo multiplex sibi comparat jugum, comparatus idcirco jumentis insipientibus, imò deterior factus iisdem. Audiatur Censura Divi Bernardi in declamat. *an verò comparatum jumentis esse quis dubitet hominem, qui sibi juga emerit jumentorum? nisi quòd eò ipsis sanè quoque jumentis convincitur stolidior, & bestialior bestiis comprobatur, quòd juga necessitatis earum propriâ ipse subeat voluntate.* Absurdissimè tertius, non juga quinque sed quinquaginta & quinquagies millena in uno conjugio prætendit, ideóque non comparendi necessitatem ex necessitudine

dine uxoria fatetur: *& ideo non possum venire.* Audis? Cyrillum interpretem audio lib. 4. de adorat. audis? non possum. Etenim humanus animus ad mundi Voluptates propensus, infirmus est, & invalidus ad ea exequenda, quæ DEi sunt. Cuperem scire totâ mentis curiositate, utrùm terni isti excusatores nobiles fuerint, an ignobiles, qui frivolis de causis à magna se subducere cœna præsumserunt. ignobilissimos fuisse probabile est, sed videamus.

§. 2. Etsi nobili genere potuerint esse prognati, ignobiles tamen moribꝰ fuêre.

Quæ pro nobilitate eorum militant argumenta, sunt villa & in villa jugales boves, & boum jugalium domina conjux: *uxorem duxi*, ait hic ultimus, semel uxorem duxit, semper ducitur ab uxore *sicut bos ad victimam.* qui sunt qui uxores ducunt, nisi *qui ducunt in bonis dies suos*, & quæ sunt uxores, quæ manu duci Volunt, & dum ducuntur, seducunt animos, nisi nobiles heræ? quibus inserviendum plus quàm idolis, in earúmque gratiam necessariò DEus & divina omnia proculcanda sunt. Nec dubitandum de eo, qui villam emit, quin fuerit nobilis, in villa enim emta, ùt dicere me ex Augustino memini, Dominatio notatur; fuerit proinde nobilis de nova vel antiqua aut nescio qua alia villa; qui verò emta quinque boum juga probatum ivit, plusquàm villicum se exhibet, cùm fidem villici sui pergat exploratum. Demus proinde triadem istam invitatorum fuisse genere nobilem, genio tamen nimis quàm ignobilem se exhibuisse, imò in mancipiorum sortem degenerâsse, omnique nobilitatis excidisse privilegio, inde manifestè evincitur, quòd nobilissimam cœnam adire recusârint, quam videlicet soli concupiscunt nobiles, qui verò accedere renuunt, plusquam ignobiles redduntur juxtà divinum illud oraculum, quod ex cœnali tripode exauditur: *qui contemnunt me erunt ignobiles.* 1. Reg. 2. v. 30. Ignobilis est, quisquis Eucharisticam contemnit cœnam, nobilissimus verò qui invitanti paret modimperatori, & neglectis villis, excussis jugis, contemtis femineis illecebris cœnatum pergit, imò volat. Volat inquam, quia cœna hæc alites invenit aut facit, alas indit, vel addit, quibus ad cœnale corpus advolent juxtà id æternæ Veritatis oraculum: *ubi fuerit corpus*, corpus inquam illud, de quo Sacerdos in persona Hominis DEi asseverat: *hoc est enim corpus meum*, *ibi congregabuntur & aquilæ*, nobiles videlicet animæ alites Imperiales. Matth. 24.

§. 3. Ex aquilarum similitudine probatur nobilitas Eucharisticorum convivarum. S. Ambrosius lib. 4. de sacram. c. 2.

Aptissimè Divus Ambrosius ad convivas Eucharisticos dixit: *Bonæ aquilæ circa altare, ubi enim corpus, ibi & aquilæ. Forma corporis altare est, & corpus Christi est in altari, aquilæ vos estis.* nobilis esca nonnisi nobiles admittit convivas. Si aquilarum figura nobilitatis imago est, dubitari vix potest nobiles esse eos, qui non ùt Jupiter in fabulis, sed ùt Christus in parabolis asseruit, toti in aquilas abiêre. ubi corpus ibi aquilæ. Hæ sunt volucres, inquit de Eucharisticis convivis Anastasius Sinaita, quæ rapiuntur in nubibus obviàm Christo de quibus etiam dicebat: ubi est corpus, congregabuntur & aquilæ, quæ supplantatorem nostrum serpentem suffocârunt. perpetuum cum serpentibus bellum est aquilis, continua quoque pugna contra tartareos angves intercedit iis, qui nobiles à corpore Dominico spiritus hauriunt, ideóque stygios odêre serpentes, quia horum calliditate seducti protoparentes primævam perdiderunt nobilitatem, atque ad rusticana opera & comedendum in sudore vultûs panem sunt damnati. Esca vetita in

S. Anastasius lib. 7. in hexam.

in rusticos nos primitùs commutavit, esca cœlica vicissim in nobiles nos alites transformat. Siquid in animo serpentini genii, rustici inquam ingenii fortè residet, cœlestis virtute convivii quantocyùs tollitur, efficítque ut aquilinæ nobis succrescant alæ, quibus Christo obviàm in aëra rapiamur. Huc Divus Paulinus respexit, cùm scripsit: *cum hoc pane saginamur, serpens tabescit, cujus fames & pœna est cibus vitæ nostræ Christus JEsus, qui factus est nobis in escam.* Mulieri Apocalypticæ datas fuisse aquilinas alas legimus, ut septicipitis draconis rictum effugeret, securáque in desertum avolaret; non alæ tantùm animabus fidelibus per mulierem parturientem significatis conferuntur, sed totæ in aquilas commutantur, quoties ad desertum, hoc est, cibum Eucharisticum (hic enim ob annullatam panis substantiam deserti nomine potest nuncupari) convolant, ut septem peccata capitalia, velut septem tartarei draconis capita evadant, Quin & peccare nescios Angelos apud Eucharisticam cœnam deprehendo alatos, nec alatos simpliciter, sed sex omninò alis instructos, sive ut eò velociùs ad corpus Eucharisticum adsint, seu ut excelsiorem suam præ ceteris nobilitatem ex alarum numero declarent. *O miraculū!* exclamat Chrysostom' *ad mensam magnificè instructā, in qua agnus DEi pro te mactatur, assistunt Cherubini, descendunt Seraphini senis præditi alis.* non putant suam se mortalibus sufficienter probare nobilitatem nobilissimi Spiritus, nisi Sacrosanctæ Eucharistiæ assistant, ad eámque velut aquilæ ad corpus congregentur. Aquilæ ergò sunt & nobiles omnes, qui ad cœnam Eucharisticam congregantur; quo verò eos nomine compellabo, qui cum hodiernis excusatoribus recusant venire? canes sunt, & qui canibus nonnunquam deteriùs habentur, ignobiles servi sunt. Micam è mensa Eucharistica Samaritana postulavit mulier, sed pro mica *corbem* ùt dicimus tulit, repulsam passa à Christo: *non est bonum panem filiorum mittere canibus.* audísne? panem Filiorum dici Eucharistiam, quam qui sumere renuunt, non sunt filii, sed villici ùt hodiernus ille excusator villam prætendens: *villam emi*; non sunt hæredes, sed mancipia jugis boum alligata: *juga boum emi*; non sunt liberi sed herarum nutibus alligati: *uxorem duxi non possum venire*; verbo, non aquilæ sunt, sed canes digni catenis, & ad famem præsciti æternam; juxtà Psaltis vaticinium: *famem patientur ùt canes.* Appositè Divus Athanasius in ejusmodi canes: *Occisa est hæc hostia propter te, & tu deseris illam ipsam immolatam aspiciens: ubi cadaver, inquit, ibi & aquilæ; sed ùt canes accedimus, tanta nostra est impudentia.* imò quia non accedimus, canum in numero habemur, qui per divinissimi corporis esum in numero poteramus esse filiorum.

S. Paulin9 ep. 9.

Apoc. 12. v. 14.

S. Chrysostomus hom. de Sacra mensa.

Matth. 15. v. 26.

Psal. 58. v. 7.

S. Athanasius orat. in parasc.

§. 4. Filiꝰ prodigus ad paternam domum receptus dedignatur esse mercenarius.

Filiorum cùm memini, prodigus ille occurrit filius, paternæ decoctor substantiæ, conviva factus porcorum, qui siliquarum jam satur, imò nec de siliquis saturare latrantem stomachum ausus, sancta vitæ melioris consilia init, itaque secum statuit: *Surgam*, jacebat, enim in cœno vitiorum, *& ibo ad patrem meum*, quia sub principe erat porcorum, ait Sanctus Augustinus & dicam ei *pater peccavi in cœlum.* cœlum appellavit ipsam sublimitatem Patris, inquit iterum Augustinus, & coram te ubíque præsente & inspectante: *ostendit scriptura* (ait Chrysostomus) *hunc patrem, non hominem intelligi debere, sed DEUM,*

Luc. 15. v. 18.

S. August. lib. 2. quæst. Evang. c. 33.

S. Chrysostomus homil. 4. in Luc.



DEus enim est inspector omnium solus, à quo neque in corde meditata peccata abscondi possunt: *Jam non sum dignus vocari filius tuus*, quia servus esse malui idolorum (inquit Sanctus Hieronymus ep. 146.) *fac me sicut unum de mercenariis tuis.* ego perdidi quod erat filii ait Sanctus Chrysologus serm. 2. filii conditione indignum se prodigus agnoscit, quia ab excelsis cogitationibus degeneraverat, de cœna cœlesti ad cœnum scelestum, de ara Sacrosancta ad profanissimam haram trangressus. at verò ubi in se regressus, domum paternam repetiit, ínque paternos ruit amplexus, non petit fieri mercenarius, sed omisso tertio præmeditatæ orationis membro, prima duo duntaxat profert: P*ater peccavi in cœlum & coram te, jam non sum dignus vocari filius tuus.* ubi manet, & cur emanet tertium? *fac me sicut unum de mercenariis tuis.* an exciderat memoriâ, quod toto itinere toties repetendo tenacissimè sibi impresserat? mercenarius fieri non postulat, quia cum Patris acciperet osculum, subodoratus mox est cœleste convivium, quod ei à Patre ordinabatur. prævidens itáque sese sublimandum esse ad mensam filiorum, servilis mercenariorum status mente excidit. Eucharisticus enim panis non mercenariorum, sed filiorum, sed principum, sed Regum est. Dederat pius Pater pœnitenti filio dulce pacis osculum, ut os illud honoraret, per quod emissa de corde confessio pœnitentis exierat ùt censet Chrysostomus homil. 4. in Lucam, vel ut os illud præpararetur, per quod Eucharistiæ typus ingredi debebat, *Christus* enim *est vitulus saginatus* (inquit Beda in glossa interlin.) *omni spirituali virtute opimus, ut pro totius mundi salute sufficiat*; & Chrysostomus hom. de duobus filiis: *Christus vitulus dicitur, ob immolati corporis hostiam, saginatus, quia pro totius mundi salute sufficit.* Nec contentus osculum dedisse, addidit & stolam primam omnium pretiosissimam, quæ est purificatio, ait Euthymius, vestis Spiritûs Sancti, ùt habet glossa interlin. vel ùt Divus Asterius in cat. græca: prima stola est gratia DEi, quam in baptismo singuli accipiunt; stolæ addidit anulum, anulum videlicet honoris, qui esset titulus libertatis (verba Chrysologi serm. 5.) insigne pignus spiritûs, signaculum fidei: vel ùt habet Sanctus Augustinus cit. anulus in manu pignus est Spiritûs Sancti propter gratiæ participationem, quæ digito bene significatur. Sic itaque exornatus filius dedignatur gregi mercenariorum accenseri, quos bellè noverat ad mensam paternam non admitti.

§. 5. Zachæus à recepto Christo nobilitatur.

Prodigo filio jungamus Zachæum, non quidem pecuniarum prodigum, sed prodigium avaritiæ, charybdin scelerum, principem publicanorum. Zachæus *nulla nobilitatis ingenitæ dignitate sublimis*, ùt loquitur Divus Ambrosius lib. 8. in Lucam, vocanti Christo obtemperans domum illi suam cesserat in templum, mensam in altare, convivium in Eucharistiæ Symbolum. Et ecce uberem mox hospitii sui accepit mercedem, titulum videlicet nobilitatis, *eò quòd & ipse Filius sit Abrahæ* Luc. 19. v. 9. Filium Abrahæ esse, est nobilem esse, prout ex gloriantium judæorum ore audivimus: *Filii Abrahæ sumus, nemini servivimus unquam* Joann. 8. v. 33. in numerum Abrahamidarum adlegitur publicanus, quia Eucharistiæ umbram in convivio Salvatori exhibito attingit, quantò magis Abrahæ filii, nobiles inquam sunt, qui in cordis sui hospitium Salvatorem excipiunt, cúmque eodem dulciter epu-

epulantur. *fit Zachæus* (Chrysostomi est hæc oratio homil. de Zachæo) *Abrahæ filius meritò, non sobole, devotione, non stirpe.* in quam familiam omnes adleguntur, qui vocati ad cœnam cum Zachæo JEsum excipiunt gaudentes.

§. 6. Eadē doctrina aliis 4., figuris confirmatur.

Qui corpus demortui Salvatoris de cruce excepere, inque monumentum novum intulerunt, non servi, non rustici, sed nobiles fuère & principes. Joseph *nobilis decurio* Matth. 27. Nicodemus princeps Judæorum, *Magister in Israël* Joan. 3. quisquis enim Christum excipit, nobilitatis accipit insigne.

Sacrificium in monte Moria oblaturus Abrahamus, servos & Asinos inde excludit: dixit ad pueros suos: *expectate hic cum asino, ego & puer illuc usque properantes, postquam adoraverimus, revertemur ad vos.* Gen. 22. v. 5. cur servi sacrificio exesse jubentur, solíque Pater & Filius holocaustum apparant? quia in hoc sacrificio cœna Eucharistica præfiguratur, uti in solenni hymno agnoscit Ecclesia: *in figuris præsignatur, cum Isaac immolatur*, ab hac autem excluduntur viri ignobiles, nec nisi admittuntur principes, aut si priùs fuerunt ignobiles, admissi ad hanc mensam nobilitantur.

Participârant ab hoc sacerrimo convivio & conviviali sacrificio Apostoli, quibus mox Christus: *jam non dicam vos servos* quibus verbis discipulos suos Magister rude donat, & servulos suos Dominus supremus emancipat, atque ex servorum conditione in Amicorum transfert dignitatem, imò in Principum elevat celsitudinem: quia *omnia nota feci vobis*, Eucharistiam videlicet iisdem administrando. Qui ergò cœnam adit Eucharisticam, non jam servus, sed amicus, non ignobilis, sed princeps, non verna, sed filius est.

Joan. 15. v. 15.

Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias Cant. 2. v. 2. per spinas servi, per filias accipiuntur amici, & sunt iidem filii ac filiæ, qui priùs erant spinæ, virtute enim Dominicæ carnis ac sangvinis regenerantur in filios, & cœlestis paradisi hæredes constituuntur. Placeat interpres verborum Augustinus sic in persona sponsi locutus: *quas dicis spinas, ipsas filias respondes; spinæ sunt propter mores suos, filiæ propter sacramenta mea.* Nemo jam mihi objiciat pauperes, cœcos, claudos de trivio ad cœnam Evangelicam vocatos, adeóque ignobile vulgus fuisse; postquam enim vocanti annuerunt, séque stiterunt ad cœnam, nec pauperes ampliùs, nec ignobiles, sed divites & principes evasêre. Verùm quia hac super veritate fusiùs alibi à me actum est (Dominic. ante Epiphan. Conc. Aulicâ) rursúmque dicendi locus erit, abrumpo dictionem, & verbis Ignatii Martyris ep. ad Eph. concludo: *Festinate ergò frequenter accedere ad Eucharistiam & gloriam DEI.*


S. Augustinus in Psal. 99.

§. 7. Brevicula ad Nobiles parænesis. & Emblema.

O nobiles, ut verè nobiles sitis, ô ignobiles, ut germanam assequamini nobilitatem, ad corpus Dominicum ùt aquilæ, ùt Cherubini advolate, ad panem filiorum cum filio prodigo aspirate, in hospitium cordis vestri JEsum exemplo Zachæi admittite, servitutis probrum cum Apostolis ad hanc cœnam exuite, & cum nobilitate decorem, cum gratia induite gloriam; nec sit unus omnium, qui ignobile illud verbum repetat: *non possum venire*, quin potiùs dicant omnes, dicant singuli, possum, possum, possum venire! ecce venio! ecce adsum!

In Emblema undecim Regales Aquilas ad Corpus Dominicum con-

congregatas effigio, quæ aquilam duodecimam (Judam intellige) tanquam degenerem & spuriam ab hac Mensa abigunt, ceterásque volucres ignavas procul arcent: *degeneres procul estis aves.* Ex aperto Corporis Dominici latere sacræ Hostiæ profluunt, Aquilarum cuilibet in escam, quibus inscribitur: *Cibus sum Grandium.* Ad alterum mensæ latus Genium Regni Catholici colloco, qui pro suis Hispanis loquens Panem Eucharisticum indigitat: *hispanis* videlicet Hispanis: ad latus alterum Archiducalis Domûs Genium compono, qui de eodem diviniſſimo *Pane* seu *Eucharistia* vetus illud Anagramma refert: *Hic Austriæ.* Congregemur & nos ad Corpus Dominicum, si regales Aquilæ sumus; manducemus ex hoc Pane, si fieri *Grandes* & *Domini ab Austro* (ita Salvatorem vocat Habacuc) esse cupimus commensales.



PROBLEMA V.

Cur Ovis Centesima tanti fiat, quanti nonaginta novem?

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

Dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat.
Luc. 15. v. 4.

§. I. Quæstionis difficultas per similitudines exponitur.



SI ad humanæ prudentiæ trutinam factum parabolici Pastoris expendere velimus, plus illum violenti affectûs, quàm sani intellectûs habuisse deprehendemus, quòd desertis nonaginta novem ovibus Centesimam inquisiturus abierit, non absque gravi periculo, nè in Pastoris absentia grex totus aut prædonibus in spolium, aut lupis in victimam immolandus dissiparetur. Quis enim prudens institor nonaginta novem aureos relinquit in propatulo, ut centesimum, quem nescio ubi deperdidit, inquirat? quis sapiens belli Imperator in unius cohortis, imò gregarii militis gratiam exercitum universum destituit, furoríque hostium cedit in lanienam? quis dynasta centum oppidorum Dominus, ad retinendum ex omnibus unicum cetera deperdere non curat? quin potiùs ut cetera servet, oppidulum postremum non curat deperdere.

mira

mira proinde & imperceptibilis videri potest incarnatæ Sapientiæ quæstio Scribis hodie proposita : *quis ex vobis homo, qui habet centum oves, & si perdiderit unam, nónne dimittit nonaginta novem in deserto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inveniat eam?* hæc est Salvatoris quæstio, cui si ex humano sensu liceat respondere, dicemus nî fallor omnes: nullus ex nobis homo dimittit nonaginta novem, quin potiùs cautiùs residuas custodit, nè vel ullam ultrà deperdat. Verùm hæc ùt dixi responsio humano desumta est ex sensu, alius autem est sensus Domini, quem quis novit, quis consiliarius ejus fuit? *non est enim Sapientia, non est prudentia coram Domino.* exaltatus est (Augustini oratio) super plenitudinem scientiæ, ut nemo ad eum perveniret. Si tamen piè curiosum juvat esse, sensum hunc Domini inquiram, & cur desertis nonaginta novem ovibus centesima inquisita sit, causam de sensu meo proferam; erit hæc *exemplaris quæstio*, quia de bono potissimùm agetur exemplo.

Proverb. 21. v. 30. ex hebræo Sanctus Augustinus in Ps. 17. v. 11.

§. 2. Tres rationes, cur una ovis tanti, quanti omnes.

Tres ceteris ingeniosiores invenio sententias, cur à Pastore bono oves nonaginta novem deserantur, ut centesima ad gregem adducatur. Erat videlicet Pastori non minùs chara una ovicula, quàm grex universus, unam ùt omnes diligebat; Tertulliani hæc est ratio ità scribentis: *ergò & una Pastoris ovicula, sed grex unâ charior non erat, una illa requiritur, pro omnibus desideratur.* Sicut enim Isaac Patriarcha unicum Ecclesiæ florem tanti fecit, quanti agrum totum floribus odoratis plenum, cùm filio benedicto dixit: *ecce odor filii mei sicut odor agri pleni.* prophetícis enim Isaaci naribus ùt scribit Petrus Dam. tota præsens redolebat Ecclesia, cùm super unius filii sui personam dicebat: ecce odor filii mei sicut odor agri pleni; ità Pastor bonus in una sibi complacet ovicula, quasi in grege universo. grex unâ charior non erat. ingeniosè hæc Tertullianus, quem superâsse mihi videtur Divus Petrus Chrysologus sic aureè locutus: *hæc parabola plus divinæ pietatis quàm consvetudinis humanæ loquitur, & exprimit veritatem. Magna relinquere, amare minora, DEi potestatis est, non cupiditatis humanæ, quia DEus & quæ non sunt, facit esse, & perdita sequitur ut teneat quæ relinquit, & amissa sic invenit, ut quæ servata sunt, non amittat. ergò non terrenus pastor iste, sed cœlestis.* quo loquendi genere exsufflat Chrysologus ea omnia, quæ initio contra unius oviculæ indagationem protulimus, & singulari insuper acumine evincit, indubitatè colligi pastorem hunc plusquam hominem fuisse, quòd pauciora præ pluribus, minora præ majoribus, sequiora præ melioribus, oviculam unam præ grege toto eligat, contrà quàm humana solet avaritia, magna enim relinquere, *amare minora, DEi potestatis est, non cupiditatis humanæ.* Paulò aliter Basilius Seleucus & Divus Cyrillus ratiocinantur: quia præcipua Pastoris laus in eo erat, & totius gregis decus versabatur, quòd nulla deficeret ovis, nulla haberetur exclusa, ideo centesimam deserto grege oviculam fuisse indagatam existimant. Cyrillus loquatur: *nunquid sæviens in reliquas, motus est pietate unius? nequaquam, sunt enim illæ in tuto circumsepiente potentissimâ dexterâ, sed magis oportebat misereri pereuntis, nè imperfecta videretur residua multitudo, unâ enim reductâ sortitur centenarius propriam speciem.* quemadmodum vacuum natura, ità imperfectum divina horret gratia. sinè gratiæ plenitudine grex mutilus & imperfectus fuisset unicâ quæ

Tertullian. lib. de pœnit. c. 8.

Gen. 27. v. 27. Petrus Damian. lib. ad Leonem. ep. c. 5.

Sanctus Petrus Chrysologus ser. 168.

Sanctus Basilius orat. 26. Cyrillus in cat. S. Thom.

quæ omnes impleret numeros deficiente,quo circa Pastorem querulum ità inducit Basilius: *Ego sum Pastor bonus, venturam ex aliarum salute lætitiam unius extingvit exitium,& concepta de una tristitia,quod esse potuit de grege toto gaudium accidit. ubi mihi ovis unicè chara! ubi gregis decus!* ex quibus Basilii verbis alia mihi occurrit ratio, cur centesima præferatur ceteris omnibus, quia ovis centesima, cùm *gregis decus* fuerit, personam aliquam illustrem & Ducem gregis designabat. certè numerus ipse centesimus centuriatum aliquod caput, puta, centurionem, colonellum, Consulem, Cæsarem connotat, qui licèt unus, pro centum, imò mille, & centum millibus est; ab ejusmodi namque conversione,totius gregis incolumitas,honor, felicitas, velut à capitis sanitate corporis integritas dependet.

§. 3. Centesima ovis est figura conversi alicujus principis.

Centesima ovis fuit Centurio ille Evangelicus,Cajus Cornelius dictus, qui clamore morientis Boni Pastoris motus movit exemplo mox suo centenos alios, ut percutientes pectora Christum filium DEI vivi confiterentur. observavit centesimum hunc boni exempli à centurione dati fructum sacer historicus, qui ubi conversionem enarravit Centurionis: *Videns autem centurio quod factum fuerat,glorificavit DEUM dicens: verè hic homo justus erat,*mox subjungit: *& omnis turba eorum,qui simul aderant ad spectaculum istud & videbant quæ fiebant,percutientes pectora sua revertebantur.* tantum in omni turba fuit exemplum centurionis! Centesima ovis fuit Capharnaitanus ille Regulus, qui ex resuscitati miraculo filii fidem Christi amplexus, omnem momento aulam ad eandem traxit devotionem. *Credidit ipse & domus ejus tota* Joann. 4. v. 53. nec aula tantùm Reguli hujus exemplo, sed alter quoque centurio Capharnaitanæ urbis pro Cæsare Præsidiarius & Regulo familiaris, fidem in Christum concepit,ut Franciscus Lucas adnotat,paritérque thaumaturgam Christi opem pro servo paralytico imploravit Matth. 8. tantum possunt exempla regentûm! Ovis centesima fuit custos ille carceris Act. 16. v. 33. & Archisynagogus Act. 18. v. 8. *Crispus autem Archisynagogus credidit Domino cum omni domo sua, & baptizatus est ipse & omnis domus ejus continuò.* Quid multis? centesima ovis Constantinus Magnus Christianorum Cæsarum primus fuit,qui post ter centesimum vicesimum quartum à nato Christo annum baptismate sacro ablutus plures pœnè suo ad idem traxit exemplo, quàm suo centeni centenique Oratores eloquio.

Luc. 23. v. 47.

§. 4. Exemplo Principum suorum pleræque gentes ad fidem Christi sunt conversæ.

Triennio post baptizatum Constantinum Magnum, anno videlicet ter centesimo vigesimo septimo, Rex Iberorum Bacurius in venatione densâ oppressus nebulâ oberrabat ovis instar vagabundæ in Silva, cúmque frustrà idolorum suorum nomina invocâsset, Christi tandem Numen implorans, clarâ mox luce se circumfundi sensit, ad suos rediit incolumis,baptismóque suscepto totam Iberorum ad Caucasum nationem Christo subegit. Sic Gallia sub finem sequentis sæculi,anno 499. Clodovei Regis exemplo,qui ut victoriam contrà Germanos obtineret, baptismum se suscepturum voverat,votique compos factus cum tribus aulicorum millibus â Sancto Remigio baptismum acceptârat, Gallia inquam Christianissimè sapere cœpit. Sic Auximitæ Indiarum populi seculo quinto, anno seculi quadragesimo primo,Regis Adadi operâ; Sic Persæ seculo sexto,anno quadragesimo pri-

primo Cæsaræ Reginæ virtute, sic Saxones seculo septimo, anno octuagesimo quinto Widekindi Ducis hortatu. Sic Bulgari seculo octavo, anno quadragesimo quinto Bogoris principis industriâ. Sic seculo nono Hungari & Poloni, hi quidem exemplo Miezislai principis, illi Geizæ ducis sui ductu Christianam fidem sunt amplexi. Sic magna Tartarorum pars seculo duodecimo, anno nonagesimo octavo, Christo nomen dedit Regem Cassanum secuta; hic enim ex filia Armenorum Regis pulcerrima turpissimam prolem susceperat, ideóque cum prole matrem morti destinârat, verùm ubi hæc infantulum baptizare permissa est, ex turpitudinis monstro, in miraculum pulcritudinis infans evasit, suóque parentem decore ad baptismum, & cum parente magnam ùt dixi Tartarorum partem illexit. Fusiùs hæc apud Concionatorum celeberrimum legere, & exempli efficaciam licet admirari.

Matth. Faber trip. Dom. 20. post Pent. Conc. 6.

§. 5. Conviviû Christus apud conversum Matthæû celebravit ut hujus exemplo alliceret publicanos.

Quod Salvator noster toto prædicationis suæ triennio paucissimos converterit, obstinatio malorum principum fecit: *nunquid aliquis de principibus credit in eum* Joann. 7. v. 28. credidissent utinam principes, & Salva fuisset judæa. Refractariis itaque principibus neglectis convertit se JEsus ad publicanorum principem Matthæum, potentíque oculorum suorum magnetismo ferreum Matthæi cor attraxit & Salutari biverbii fulmine animum publicani fregit: *sequere me. & relictis omnibus surgens secutus est eum* Luc. 5. v. 28. ingens hoc divinæ misericordiæ fuit prodigium, quod ut gratâ mentis significatione neoconversus pensaret, opiparum Domino apparavit epulum: *fecit ei convivium magnum Levi in domo sua* v. 29. cui JEsus invitatus, non invitus, accubuit, & quamvis principum odium per hoc incurrendum videret, honori tamen Matthæi tantum detulit, ut convivam (pii instar parentis recepto filio prodigo) agere non dedignaretur. Convivii hujus admissi causas pœnè plures proposuêre Patres, quàm Matthæus fortè fercula apposuerit; placet præ ceteris illa, quam Divus Petrus Chrysologus serm. 29. assignat: *discumbebat JEsus plus in Matthæi mente, quàm sigmate: & epulabatur non cibis, sed reditu peccatoris*, ut revocaret convivio, colloquio, humanitatis affectu, dulcissimâ sua confabulatione discumbentes. Egit Christus in Matthæi convivio aucupem animarum, quemadmodum auceps escas in area dispergit, & illicem avem apponit, ut aviculas advocet, inescet, irretiat; ità Salvator noster, ut peccatores caperet ad salutem, escas quidem permisit corporibus, sed escas simul dulcissimi super mel & favum colloquii apposuit mentibus, Matthæo insuper usus ùt illice, cujus exemplo plures alii peccatores ad salutarem pœnitentiam inescarentur, fecundissimo quem ipse Matthæus testatur successu: *& factum est discumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes discumbebant cum JEsu.* Matth. 9. v. 10. Exemplum Matthæi peccatoribus animos ad resipiscentiam addiderat, ùt præclarè Paschasius observat: *unius peccatoris conversio multis exemplum præbuit pœnitentiæ, & in domo, ad quam priùs multos secum propter lucra conduxerat, ad veniam invitat.* Multos è cœno vitiorum Matthæi exemplo traxit CHRISTUS in odorem ungventorum suorum.

Sanctus Paschasius lib. 5. in Matth.

§. 6. Sponsæ in Canticis exemplum quàm efficax.

Audio Cant. 1. v. 4. balantem ovem centesimam (nisi columbam potiùs odoriferam vocare malimus, quæ suâ columbas ceteras attrahat svaveolentiâ:) *trahe me post*

D 2 te,


te, curremus in odorem ungventorum tuorum. trahi se solam postulat, & solam se nequaquam fore pollicetur: *curremus. nunquid sponsa indiget trahi* (mellei acumen est Abbatis serm. 21.) *adolescentulæ non indigent? ò pulchra! ò felix! ò beata! edisſere nobis hujus distinctionis rationem. nunquid majorem charitatem adolescentulæ habent, ut ipsæ non indigeant trahi, sed sola sponsa?* quærenti Bernardo respondet Sponsa: *non curram ego sola, etsi solam me trahi petierim, current adolescentulæ mecum, curremus pariter, cùrremus simul; ego odore ungventorum tuorum, illæ meo excitatæ exemplo atque hortatu. ac per hoc omnes in odorem ungventorum tuorum curremus.* tanta vis est exempli!

§. 7. Orandum pro principibus seu Capitibus Rerumpublicarum.

Patet proinde quàm bene optimus Pastor egerit centesimam requirendo oviculam, in qua totius gregis decus & Salutem reperiundam sciebat. Ex quo discant centuriata & coronata populorum capita, quanta iisdem incumbat necessitas, vocem Pastoris boni exaudiendi, ejusdémque sequendi vestigia, nè grex subditorum universus à via salutis aberret, & à pascuis vitæ excludatur. Quare nos qui subditi sumus & gregalium ovium figuram gerimus, pro centesima ove, capitibus inquam seu præsidibus familiæ, Reipublicæ, Regni, Imperiíve Pastorem bonum assiduè deprecemur, nè exerrare eosdem unquam permittat, sed conservet, vivificet, beatósque faciat in terra, nec tradat eos in manus inimicorum, sed divinis suis gestet in humeris, ferat in oculis, includat cordi omnes illos, qui multum possunt saluti animarum & decori gregis Dominici suo prodesse vel obesse exemplo.

§. 8. Emblema.

Problematis hodierni Corona sit Regina Concharum, quam ceteræ omnes, quòquò vergat sequuntur; ita ut unâ hac captâ, sine labore capiantur universæ: *integritas præcedentium, salus subditorum.* Item Regem Apum, quo intra saccum concluso examen totum captivatur: *ubi Rex, ibi grex.* vel ponamus Rotam primam in Horologio, quæ suo rotas ceteras commovet motu: *non sola movetur.* Serpentem quoque fingamus omni studio saluti Capitis sui incumbentem: *una salus.* Si Caput fuerit infirmum, inquiebat cum Innocentio 3. Pontifice Bernardus Abbas, totum corpus languidum erit. Ego semper Caput peto, dicebat Georgius Scanderbegus, victoriarum tantarum causam rogatus, Capite enim sublato robur militaris Corporis evanescit; nec victoria est facilior quàm cùm truncato Holoferne exercitus invaditur. Attendat, quisquis in politico vel ecclesiastico corpore Caput est, ut capite sit sano, nè omnia membrorum flagitia, & illa quidem capitalia, in suum redundent caput.



PRO-



PROBLEMA VI.

Cur pauci Nobiles salventur?

DOMINICA IV. POST PENTECOSTEN.

Totâ nocte laborantes nihil cepimus. Luc. 5. v. 5.

§. I. Ex iisdem causis pauci Salvantur nobiles, ex quibus nulli in præsenti Evangelio capti pisces.



Uod de captura piscium dixêre Apostoli, hoc de salute nobilium repetunt Angeli: *tota nocte laborantes, nihil cepimus.* piscantur tutelares genii, nec labori ulli parcunt ac industriæ, ut nobiles potissimùm animas in æternæ vitæ vivarium pisces capiant, verùm pœne omnis irritus cadit labor, tam paucos enim in Evangeliis salvatos invenio nobiles, ut vix excedant positos in Zodiaco pisces. Unicus certè Joseph Arimathæus testimonium Evangelistæ habet, quòd cum esset nobilis, ageret nihilominus Christi discipulum, quamvis occultum, ob innatum omnibus pœne nobilibus vitium, qui *humanus* vocatur *respectus.* non multi nobiles, inquit ad Corinthios Apostolus, (1. Cor. 1. v. 26.) quasi de iis interpretetur Doctor gentium illam incarnatæ Sapientiæ sententiam: *multi vocati, pauci electi.* sed cur tam pauci capiuntur salvantúrque nobiles? si bene expendo hodierni circumstantias Evangelii, easdem fermè causas deprehendo, cur tam rarò in rete salutis veniant nobiles, quæ ab Evangelista adnotatæ sunt, cur *totâ nocte laborantes* ceperint grande nihil. nimirùm de nocte piscabantur, totâ nocte laborantes, reti angusto non laxo utebantur, unde Petrus animadverso errore: *laxabo* inquit *rete* & quidem *in verbo tuo*, quod prius facere vel nesciêrat, vel neglexerat. ideo plerique nobiles pereunt, quia noctem vertunt in diem, diem in noctem, totà nocte laborantes, convivantes, ludentes, potantes, saltantes, dies verò totos dormiendo, otiando, nugando comburunt & dilapidant. Si quando eleemosyna pauperi, aut benigna auris subdito, aut cor inspirationi supernæ danda sunt, non laxant marsupia, aures, corda, sed neque in Verbo Domini laxant retia, sed temporanei lucelli cupidine aut inanis gloriæ ductu eleemosynas erogant, preces persolvunt, causas subditorum audiunt. Verùm hiscè ego hodie causis fusiori dictione proferendis non immorabor, sed geminas alias in medium proferam, cur piscatus nobilium minùs secundè succedere soleat, quia videlicet JEsum non habent præ oculis, non habent in auribus. Videte & audite in Verbo JESU, in quo rete dictionis laxabo.

§. 2. Nobilium Salvandorum paucitas eleganti figurâ exprimitur.

Triplicem invenio piscationem, quam Salvator noster aut demandavit, aut gratiosâ suâ præsentiâ cohonestavit. primam describit Lucas hodierno in Evangelio, asserítque conclusos fuisse, ut est in Syriaco

riaco multos admodùm pisces, ità ut disrumperetur rete eorum Luc. 5. v. 6. alteram enarrat Joannes c. 21. v. 10. numerátque centum quinquaginta tres magnos pisces, dexterrimè ad verbum Salvatoris captos; tertiam denique Matthæus c. 17. memorat, & unicum duntaxat pisciculum ex gurgite vasto extractum testatur, sed cui didrachma in ore fuit ad tributum exolvendum. In terna hac piscatura adumbratam videre videor divinæ prædestinationis seriem. Piscantur Apostolici operarii in plebe, & concludunt rationalium piscium multitudinem copiosam, *turbam* videlicet *magnam, quam dinumerare nemo poterat.* Piscantur iidem in Civibus & literatis, sed quantumvis multos & magnos dexterè capiant, numerum tamen ter ternum non excedunt, numerantur enim centum quinquaginta tres, quia numerus centesimus quinquagesimus tertius ùt explicat tract. 122. Augustinus ter habet quinquagenarium & insuper tria propter mysterium Trinitatis, quinquagenarius est jubilæus, in quo cunctus populus ab omni operatione quiescit, sive ùt computat Divus Gregorius homil. 24. quia per numerum denarium & septenarium, decem scilicet præcepta, & septem Spiritûs Sancti charismata salus æterna acquiritur, sicut per numerum decimum septimum ter multiplicatum numerus quinquagesimus primus evadit, per hunc verò ter multiplicatum numerus Evangelicus, centesimus quinquagesimus tertius apprehenditur, ut constet per invocationem Sanctissimæ Trinitatis corde, ore, & opere factam (id quod laureata eruditorum capita & urbica ingenia bono numero faciunt:) ad æternum jubilæum perveniri. at verò si in nobilibus fiat piscatio, vix unicus extrahitur piscis, cui stater in ore & Symbolum est nobilis alicujus bene nummati, paratíque juxtà Divi Hieronymi interpretationem, ad exolvendum pro JEsu & Petro tributum, & ad implendam omnem, quæ Christo & Ecclesiæ debetur, justitiam.

Apoc. 7. v. 9.

§. 3. Prima causa, cur pauci salventur, quia JESUM non habent præ oculis, ex cujus præsentia omnes oriuntur felicitates, quod probatur figuris.

Pauci in cœlo nobiles, quia rari fuêre in terra, qui Christi præsentiâ delectarentur, eundémque in oculis & auribus circumferrent. Oculatâ enim constat experientiâ, quàm rarò & serò ad quotidianum missæ sacrificium nobiles comparreant, quàm rarò & serò ad excipiendum DEi Verbum congregentur, quàm rarò nomen JEsu invocent, suásque eidem devoveant actiones; præsentem habere JEsum nolunt, à cujus tamen præsentia omnis omninò eáque præsentissima in corpus animámque felicitas redundat, ùt è sequentibus liquidò patebit figuris.

Figura I. Patres in limbo recreati.

Divus Synesius ducis Anysii præconia enumerans, miram ubivis felicitatem ad illius præsentiam extitisse testatur: *celeriter ubique locorum Anysius est; vincit autem quocunque adfuerit.* Veriùs ista de felicissima JEsu præsentia asserentur, ubicunque enim ille est, non in cœlis modò terrísque, sed apud ipsos adeò inferos, felicitas unà ingreditur & victoria. Quatuor amplius annorum millibus captivi hærebant lymbicolæ, & principis tenebrarum regionem, mortis inquam palatium incolebant; cùm ecce desideratissima tandem adest hora, quâ triumphatrix Christi anima in cor terræ penetravit, & mox evanescit captivitas, fugatur infelicitas, victoria exoritur & triumphus; qui enim sub potestate infernalis tyranni gemebant, victores evadunt nigrarum potestatum & lætum concinunt pœana. Et quamvis triduò

ad-

adhuc intrà eosdem terræ sinus & inferorum repagula persistent, nihilominùs non in carcere ampliùs, sed in paradiso versantur, quia JEsum habent præsentem, quicum esse paradisus est juxtà illam latroni converso factam pollicitationem: Luc. 23. v. 43. *hodie mecum eris in paradiso.* non reputâsset se latro in paradiso versari, quantumvis ad Eliam & Enoch translatus fuisset, nisi præsentem habuisset JEsum, qui ipsos etiam inferos in paradisi delicias beatissimâ suâ præsentiâ transmutat. Expendit Sanctus Augustinus versum decimum septimum Psalmi sexagesimi septimi, & omne gaudium ex præsentia Salvatoris redundare ostendit: *mirificè cùm dixisset: millia lætantium, continuò subjecit: Dominus in illis: nè miremur quòd lætentur, Dominus in illis.* Non sperent paradisum Domini nobiles, si Dominorum Dominum secum habere non curant.

Figura II. Energumeni duo liberati. Matth. 8. v. 28. Matthæi 8. recensentur duo energumeni de sepulcris egressi ad JEsum accurrisse: *& cùm venisset JESUS trans fretum in regionem Gerasenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes.* ad sepulcra iniquus possessor miseros homunciones detruserat, ut cùm mactare eosdem non permitteretur, mortificaret saltèm & Mezentii exerceret tyrannidem: *mortua* componens *corpora vivis.* Verùm ut regionem illam salutari suâ præsentiâ JEsus dignatus est, prosiliunt ex sepulcris dæmoniaci, & ad Salvatoris pedes accurrunt. Quid hoc quòd maligni isti hospites, jurati JESU hostes, ad JESUM recurrant? quæ conventio lucis ad tenebras, vitæ ad mortem, salutis ad damnationem? quorum priùs cum mortuis erat conversatio, jam authori vitæ cohabitare delectat. nimirum signanter Evangelista posuit: *habentes dæmonia*, non habebant ampliùs dæmonia hominem, sed ab homine habebantur, non jam ampliùs victores, sed victi erant dæmones, non jam ampliùs vindices, sed rei & vincti; hoc hominibus gratiosa JESU præstitit præsentia, dum seductos ex sepulchro ad salutem & libertatem jussit adesse. Conceptus iste Chrysologi est serm. 16. ità ratiocinantis: *ad præsentiam Christi homines exeunt de monumentis, & versâ vice captivos ferunt, à quibus fuerant captivati, sistunt pœnis, quorum cruciatibus torquebantur, aptant ad sententiam, à quibus addicti fuerant sepulcris.* Cur plurimi nobiles in vitiorum, hoc est, dæmoniorum hærent sepulchris? quia pulcherrimam nobilissimi JESU habere non curant præsentiam.

A sepulchro non abeo dum Lazarum quatriduanum accedo, omnémque ipsius miseriam ex JEsu absentia ortam fuisse pronuntio: Figura III. Lazarus resuscitatus. Joann. 11. v. 21. *Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* quomodo enim ad præsentiam Vitæ mors accedere potuisset? sed jam gratiosus adstas ò JESU hospes, fit denuò beneficio præsentiæ tuæ sospes Lazarus! jube illum ex tetro prodire carcere, & advolabit ocyùs. audiit humiles preces JESUS, & Lazarum de nomine vocat: *Lazare veni foras*, apponendum, necessariò erat nomen, nè mortui unà omnes prodiissent, si indiscriminatim vocati fuissent. ad præsentiam Christi homines prodeunt de monumentis. O si tuam quoque nobiles nostri ò svavissime JESU præsentiam admitterent, non tot supra quatriduanum Lazarum fœterent.

Parùm à sepulchro aberat David, quando clamavit Ps. 30. *eripe me de manu inimicorum meorum & à persequentibus me.* Figura IV. David ereptus. Ps. 30. v. 16. & 17 at quibus modis protegi te amas ò David? num legiones

giones Angelorum submittendæ? num ex aridis ossibus exercitus grandis suscitandus? num curru igneo in sublime tolli desideras? subjungit eliberationis modum optatissimum David: *illustra faciem tuam super servum tuum.* te videam, tuâ præsentiâ fruar, in oculis tibi sim ô exercituum Domine, & salva sunt omnia; præsentissimâ gaudebo felicitate, si tuâ me digneris præsentiâ. ità Psaltis interpretatur verba Sanctus Athanasius in cat. græca: *postulo ut in præsenti quoque ab hostibus eripiar. hic autem mihi solus salutis modus est, si mihi faciem ostenderis.* ad præsentiam Salvatoris non potest Salus abesse. *ubi enim bene erit sinè illo* (Bernardum recito serm. 2. de Adventu) *aut ubi malè esse poterit cum illo?*

Figura V. Joannes in utero Emauntini in Via Luc. 1. & 24.

Advertit JESU præsentiam Joannes materno adhuc clausus utero, & exsilire præ gaudio conatur quòd Domini præsentiâ se sentiat ditatum: *video enim Dominum,* ità Joannis nomine Divus Chrysostomus apud Metaphrastem, *qui imponit naturæ terminos, non expecto tempus.* Ingeniosè poëta apud Cornelium à lapide pag. 26. in Luc. de saltante canit, quòd morti suæ præluserit, quam saltando per ensem consummaturus erat. Ad JESU enim præsentiam mors non timetur, imò appetitur, quia cum JESU vita adest: *Usque adeò tibi dulce mori est, ut luminis expers*

Argumenta tuæ ludere cædis ames.

Luc. 24. v. 29.

Mane nobiscum Domine quoniam advesperascit exclamant Emauntini duo discipuli, JESU præsentiâ recreati vesperum non timent, noctem non horrent, dummodo JEsu non careant, quo cùm carere cœpisset Judas, in noctem incidit, unde acutè Joannes post enarratum Judæ è cœnaculo discessum subjungit: *erat autem nox*; illi enim nox est, cui JEsus deest, illi hora noctis insonat & potestas tenebrarum imperat, cui Sol justitiæ ampliùs non lucet, verbo, noctes totas frustrà laborat, qui præsentiâ Salvatoris est destitutus, *quandoquidem in nocte spes mala* ait Nazianz. vicissim verò spes optima ex luce divinæ præsentiæ, ad quam marcidæ virtutes reflorescunt, terra sterilis revirescit, & ùt Theocritus canit: *omnia tunc vernant, tunc omnia pascua florent.* Non exultant ad mortis memoriam cum Joanne nobiles, sed obrigescunt, non inardescunt cum Emauntinis in via salutis, sed congelascunt, non efflorescunt, sed marcent in paradiso Ecclesiæ. quid causæ? JESU præsentiam admittere nolunt.

Joann. 13. v. 30.

Nazianzenus orat in S. Baptism.

§. 4.

Utilior est JEsu præsentia quàm solis, de quo Ps. 163. à v. 20.

Quid in absentia JESU & quid in præsentia JEsu accidat descripsit filius Jesse sub Solis similitudine: *posuisti tenebras & facta est nox, in ipsa pertransibunt omnes bestiæ Silvæ, catuli leonum rugientes, ut rapiant & quærant à DEO escam sibi.* absente Sole insurgunt Silvarum bestiæ, absente JEsu omnes calamitates ex Silva mundi & inferni in nos prosiliunt; oriatur Sol, adsit JEsus, & malæ bestiæ dispergentur. *ortus est Sol & congregati sunt, & in cubilibus suis collocabuntur.* ubi Christus illucescit, nulla subsistere potest infelicitas. pulchrè Cassiodorus Psaltis verba ad Dominicam Passionem transtulit: cùm in passione Domini factæ fuissent tenebræ, dæmones ad escam sibi quærendam permittente Domino proruperunt, quia invenire poterant corda titubantium. tunc autem quando ortus est Sol, id est, Resurrectio Sancta declarata est, majestatem ejus minimè sustinentes, in suis se trepidi cubilibus abdiderunt. hæc Cassiodorus. non timeremus calamitates, sed timeremur ab iisdem, si JESU

præ-

præsentiâ saltèm ità delectaremur, quemadmodum hortos exortu solis delectari videmus. Delectarentur utinam nobiles ità JEsu præsentiâ, sicut suorum deliciis hortorum, ò quantis affluerent deliciis!

§. 5. Hortulanum agit JEsus, ut floridè nos recreet.

Redivivum Salvatorem cùm conspexisset Maria Magdalena, hortulanum esse censuit: *illa existimans, quia hortulanus esset* Joann. 20. v. 15. forsitan nec errando hæc mulier erravit (verba Magni Gregorii apud Baëzam tom. 1. lib. 5. c. 2. v. 16.) quæ JEsum hortulanum credidit, an non ei spiritualiter hortulanus erat, qui in ejus pectore per amoris sui vim summa virtutum virentia plantabat? ubi JEsus, ibi viror spei, ibi hortus voluptatis, ibi portus felicitatis. Adducta erat ad JEsum mulier in adulterio deprehensa, contra quam legis Doctores severè, JEsus verò in terram se inclinans condemnationis an absolutionis? nescio, sententiam *digito scribebat in terra* Joann. 8, v. 6. cur agricolam aut hortulanum mavult agere, quàm judicem? cur digito terram excolit, dum vibrandum esset justitiæ fulmen? nimirùm hortulanum JEsus amat agere, & ex sterili peccatorum solo cultissimos virtutum fructus educere. audio Augustinum serm. 37. de verb. Domini: *quid aliud vobis significat, Pharisæi, cùm digito scribit in terram, digito enim DEi lex scripta est, sed propter duros in lapidem scripta est. nunc Dominus in terra scribebat, quia fructum requirebat.* ideo scribit in pulvere, ut ex pulvere herbam bonæ spei producat. floridissimè dixit Divus Maximus: *ubique* D. Maximus hom. 2. in pent. *ex resurrectione Christi* (dixerim ex præsentia Christi) *aër Salubrior est, Sol candidior, terra fœcundior, ex eo surculus virescit in fruticem, herba crescit in segetem, Vinea pubescit in* Isai. 26. *palmitem. Expergiscimini itaque & laudate qui habitatis in pulvere, quia ros lucis, ros tuus,* in Hebræo: *quia ros olerum viridantium ros tuus.* Virent omnia & reflorent ad JEsu præsentiam magìs, quàm ad matutinum rorem virescant olera, & viridibus coloribus flores vestiantur.

§. 6. Figura VI. Fratres parabolici.

In floribus, ùt ajunt, vixit prodigus, quamdiu patria perseveravit in domo, ubi primùm autem ex oculis amisit patrem, omnem unà amisit felicitatem. secundior secundo fuit primogenitus, qui quia ex oculis paternis discesserat nunquam, idcirco ignoravit, quid sit esse infelicem; *tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.* Luc. 15. v. 31. ideo omnia patris bona communicantur filio, quia præsentem filius habet patrem. omnia habet bona & mala fugat, qui cum JEsu est. Idcirco pater pœnitenti prodigo dat anulum in manus, quia in anulo erat patris imago, ut præsentem posthac saltèm in imagine patrem nunquam non haberet filius, eâque arte omnem fugaret dæmonum incursum: *ut meum circumferens sigillum* (verba sunt Divi Chrysostomi in persona patris ista loquentis homil. 4. de prodigo) *formidabilis omnibus hostibus adversarisque appareas.* Haberent utinam omnes nobiles hunc in digitis suis anulum, certè paternæ substantiæ, quam per Christum accepêre, non forent *prodigi,* nec cum Patre cœlesti ullavis in fortuna malè contenti. sed jam hoc anulo primam dictionis partem signemus.

§. 7. Pretium Verbi Dei tantum est, ut ipsi Christo æquiparetur.

Satìs de oculis, ad aures pariter veniamus, à quibus si divinum exulet verbum, nihil ampliùs in nobilium auribus pretiosum reperietur, nec spes salutis ulla affulgebit. Quam veritatem etsi fusiùs alibi à me demonstratam meminerim, committere tamen hoc loco non possum, quin Verbi divini pretium auribus animísque trutinandum de-

denuò appendam. Verbum divinum quod David *super aurum & topazium* dilexit, filius Davidis JEsus *SANCTUM* & *Gemmas* appellavit: *nolite Sanctum dare canibus, neque mittatis margaritas ante porcos* Matth. 7. v. 6. sicut ipsemet Christus SANCTUM ab Angelo vocatur: *quod nascetur ex te SANCTUM vocabitur*, & ipse etiam margarita pretiosa appellatur, ità & verbum suum, hoc *Sancti* & *Margaritæ* nomine dignatur. sicut autem per Sanctum, ad Sanctum Sanctorum nec aliâ viâ accessus patebat, ità per divinum Verbum ad regnum cœlorum, templum illud non manufactum æternæ felicitatis pervenitur. *beati qui audiunt.* & cur quæso regnum cœlorum margaritæ assimilatur, nisi quod per Verbum divinum tanquam salutis æternæ pignus thesauros immortales mereamur.

Pf. 118. v. 127.

Luc. 1. v. 35

Luc. 11. v. 28.

§. 8. Margaritæ Reginæ erga Concionatorem reverentia.

Margaritæ dum memini, Christianissima illa in mentem venit Margarita Ludovici XI. Conjux, quæ Alanum super scamno dormientem accessit, & ori basium dedit, mirantibúsque cur homini tam deformi id honoris præstaret, reposuit: non Alanum, sed os DEi veneror, per quod tot gemmas, tot aurea flumina emittit Altissimus. agnovit Margarita Verbum Dei pretiosissimam esse margaritam, nec appretiari satis eos posse, per quorum ora in aures nostras DEus inaures suas transmittit & dispensat. *Qui enim verbum DEi libenter audit, inaures animæ de patria paradisi transmissas se suscepisse non dubitet.* Sanctus Augustinus homil. 27. ex 50. inauris Cleopatræ ducentis quinquaginta aureorum millibus æstimabatur, de qua ingeniosè Poëta:

- - *regna integra molli*
Aure gerit mulier, major Atlante
vir est.

At nec uniones Cleopatræ, nec omnes orbis utriusque gemmæ in ponderationem cum Verbi divini pretio venire possunt. Genes. 24. donavit Eliezer Rebeccæ inaures aureas duorum siclorum. *inauribus aureis significantur verba divina* ait Sanctus Augustinus, & explicat fusè serm. 75. de temp. *quomodo Rebecca inaures habere non potuit, nec anulos, nisi Isaac transmitteret per servum suum, ità Ecclesia nec verba divina in auribus, nec opera Sancta habere potuisset in manibus, nisi hæc illi Christus per suos Apostolos contulisset.* at pretiosiores multò inaures sunt, quas supremus cœlorum Rex, & animarum nostrarum sponsus. per servos suos Eliezeres (quæ vox *DEi adjutorium* significat, adjutores enim Dei sunt prædicatores) ad nos transmittit.

§. 9. Pretium Verbi divini quatuor aliis conceptibus cluci datur.

Pretium Verbi divini probat Sanctus Paschasius ex illo Matth. 26. v. 15. *constituerunt ei triginta argenteos*, tot argenteis emitur, quot annis peregrinatus est in mundo, at verò pro ultimis tribus annis nullum pretium appendi potuit, omne enim pretium excedit teste sapientissimo Regum: *& divitias nihil esse duxi in comparatione illius, nec comparavi illi lapidem pretiosum, quoniam omne aurum in comparatione illius arena est exigua, & tanquam lutum æstimabitur argentum in conspectu illius.*

Sap. 7. & 8.

Ut appretiare nos Verbum Dei doceret dilectus discipulus, verba hæc mysterio gravida in capite Evangelii posuit: *Verbum erat apud DEum*, cur potiùs apud DEUM, quàm in Deo Verbum fuisse Joannes dixit? respondent Divi Hilarius, Chrysostomus, Rupertus: ut hac loquendi formulâ significaret Verbum in magno honore & summa dignitate ac dilectione maxima apud DEum esse, erubesceréntque homines,

Joan. 1. v. 1.

mines, dum Verbum parvi pendunt, quod apud Deum tanto erat erítque in pretio. Certè si Rex Tartarorum verba sua à Duce Moscovitarum non nisi de genu excipi voluit, si Rex Sinarum literas suas ad Regem Japoniæ anno 1590. in quadrijuga lecticâ aurea misit, & Japones velut Regem ipsum, epistolam ejus accepêre, quâ reverentiâ deceret nobiles nostros, nisi barbaris barbariores sint, Verbum DEi excipere, quod viva quædam supremæ Majestatis est epistola è cœlis in terras submissa, juxtà id Magni Gregorii: *quid est Scriptura sacra nisi quædam epistola omnipotentis DEI ad creaturam suam.* Verùm hæc epistola à plerisque minùs cùm fiat, nè minimo vicissim loco nobiles apud DEum sunt.

Lib. 4. ep. 84.

Pretium divini Verbi exaggerans Sanctus Augustinus homil. 26. ex 50. hanc ponit quæstionem: *quid vobis videtur fratres, majus corpus Christi, quàm Verbum DEI?* respondebunt plerique nobiles, longè majoris pretii minutissimam consecratæ hostiæ particulam videri, quàm decem millia concionum. Contrarium docet Augustinus: *non est majus corpus Christi, quàm Verbum DEi.* hinc deducit: *unde non minùs reus erit, qui Verbum Dei negligenter audierit, quàm ille, qui corpus Christi in terram cadere negligentiâ suâ permiserit.* non retractavit hanc suam doctrinam Sanctus Augustinus, non reprobavit Ecclesia, quin imò canonizare illam visa est, cùm in canonicum jus retulit, & in decretorum librum imposuit Causa 1. q. 1. cap. *interrogo.* ubi glossa subjungit: *Verbum Christi, id est, prædicatio, quæ plures convertit & plus facit, compungit hominem ità, ut omnia peccata per eam tollantur, sed per corpus CHRISTI tantùm venialia tolluntur.*

Matth. 5. v. 2. de concionante Christo dicitur: *aperiens os suum docebat eos.* non sunt hæc superflua, quòd os aperuerit; causam dat Sanctus Bernardus serm. 1. de beat. *aperitur thesaurus desiderabilis, reseratur gazophylacium regni cœlestis, fons omnium bonorum panditur, indigentes ditantur,* thesauros suos aperit, cùm os aperit, se in cor nostrum immittit, cùm verba sua in aures nostras submittit. ideo Filius vocatur Verbum, quia dum in corde nostro recipitur exhortationis sermo, generatur quodammodo in nobis DEi Filius: per Verbum ad nos venit is, qui Verbum est, accedit verbum ad elementum & fit Sacramentum, accedit verbum in cor humanum, & fit cor divinum. De Abrahamo loquens Chrysostomus homil. 2. super verba Isaiæ, quòd nomen ei dilatatum sit interjectâ literâ *ha*, ut ex Abram fieret Abraham, & cum incremento nominis honor quoque cresceret Nominati, sic inquit: *unicum elementum adjectum tantum principatum vendicavit justo.* Admirare efficaciam Verbi divini! si enim una Syllaba potuit regnum conferre, quid non faciet integra constructio? Deplorat Adamum Ambrosius, quòd verbum divinum non observârit; consolationem tamen ex eo capit, quòd vocantem DEum: *ubi es?* patienter audîerit, subjungítque gnomulam hanc *auream*: *adhuc iis remedium sanitatis est, qui audiunt verbum DEI.* si non audiunt, desperatum propè est de salute, conclamatum de damnatione.

Matth. 4. v. 4. ait Christus: *non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore DEI.* ex quo sic infert. S. Bernardinus p. 2. Serm. 9. *sequitur, quòd qui non vescitur Verbo DEI, ille non vivit, quia sicut Corpus humanum non vivit*

§. 10. Mortuo deterior est, qui Verbum DEi non audit.

vit sinè terreno cibo, ità & anima vivere non potest sinè Verbo divino. plusquam mortuus est, qui non audit verba divina; nam: *mortui audiunt vocem Filii DEI* Joan. 5. v. 25.

§. 11. Ignobiles sunt, qui Verbum DEI non appretiant

Act. 17. v. 11. cùm Paulus & Silas in Bœotiam venissent: *nobiliores susceperunt Verbum cum omni aviditate.* Hi solùm nobiles qui æstimant & acceptant Verbum DEi, hinc Christus auditores suos nobilitans: *non jam*, inquit, *dicam vos servos, quia omnia quæ audivi à Patre meo, nota feci vobis* Joan. 15. v. 15. auditio verbi divini facit nos amicos, reliqua opera (ut Doctissimus Sylveira docuit) servos; ità ut post alia opera dicere debeamus: *servi inutiles sumus*, audito verò DEi verbo gratiosum illud audiamus: *jam non dicam vos servos.*

Sed jam arena horaria monet, ut laxatum dictionis rete ad littoris arenas contrahamus. Habetis ò Nobiles causas de ducentis duas, eccur non jam rara avis sed rarus piscis in cœlo sit Nobilis qui salvetur. JESUM præ oculis habete, & salutem habebitis in manibus. JEsum habete in auribus, nè à piscibus illis qui D. Antonium Paduanum, & Josephum Anchietam audituri convenerant, arguamini & cum malis illis piscibus, de quibus Salvator noster dixit: *malos autem foras miserunt* Matth. 13. v. 48. in lacum sulphureum mittamini; verbo: avidissimè DEi verbum excipite ò Nobiles, ut nobiliores sitis, iisque similiores, de quibus ex Apostolicis Actibus dixi: *Nobiliores susceperunt Verbum DEI cum omni aviditate.*

§. 12. Emblema.

Pro Coronide finge Phœnicem in cœlos evolantem, cui lemma: *Rara Avis in cœlis.* finge cœlestem Geniolum inter melopepones discernentem: *sunt mille reprobandi, ut unus approbetur*; alium, qui inter centum Uniones vix unum tandem candore & lævore præstantem reperit: *singulariter unus*: alium ex Gange hamos plurimos sed vacuos extrahentem, quibus ipsemet inscribit: *non capio, quia non capior.* Caperentur plures nobiles ad salutem & vitam, si verbum divinum velut escam in hamo amarent & caperent.

hoc capite ò Nobiles
& sapite.



PRO-



PROBLEMA VII.

Cur Domini proniores ad irascendum, quàm Servi.

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

Qui irascitur fratri suo, reus erit. Matth. 5. v. 22.

§. I. Utrùm Domino semper licitum irasci.



QVi irascitur fratri, reus esto. at nunquid etiam reus, qui irascitur famulo? si ira non fuerit, nec doctrina proficit, neque judicata stant, neque crimina compescuntur, inquit Chrysostomus. Magis necessaria Domino ira est, quàm gladius, cujus jus cùm à DEO, teste Paulo, acceperit, jus pariter irascendi accepisse censendus est, adeóque reus minimè futurus, si famulo irascatur. ità hodie ratiocinantur Domini, séque Davidis verbo exemplo tuentur, quem sæpenumero in iras erupisse, testibus sacris paginis, acceperunt, totiésque occini illud audiunt: *irascimini & nolite peccare*, quorum sensum verborum hanc esse ajunt: date locum iræ, & nolite putare peccatum committi, si efferveat herus in famulum, ira enim, teste Basilio, *cos virtutis*, custos virtutis, prærogativa est Dominationis. Verùm mitiùs ista ô boni! non omnis quidem ira peccatum est, rarò tamen Dominorum in servos ira peccatum non est, quia non vitiis famulorum, quos fratrum in numero haberi oporteret, irascuntur, omnes vos, Domini æquè ac famuli, ùt Princeps Regum terræ edixit, omnes vos fratres estis Matth. 23. v. 8. at at cur tantopere proni ad iram sunt Domini? rationem reddam triplicem, attendite.

S. Basil. Serm. de ira.

§. 2. Causa prima minùs memores mortis sunt.

Servitus civili æquiparatur morti, quam necessariò ante oculos habere coguntur famuli, ideóque minùs ad iracundiam propendent. Domini verò cùm nihil horreant magis, quàm de morte cogitationem, juxta illud decantatissimum: *ô mors quàm amara est memoria tui homini pacem habenti* Eccli. 41. v. 1. idcirco faciliùs iræ indulgent. *Quid servo irasceris*, exclamat Seneca l. 3. de ira c. ult. sustine paululùm; venit ecce mors, quæ nos pares faciat. Apes cùm inter se contendunt, & motu aliquo vehementi concitantur, jactu pulveris componuntur. Si Domini ad iram proni pulvere mortis se conspergerent, quàm citò à furore liberarentur. CAROLUS V. tumbam secum circumvexit, ut perennem mortis aleret memoriam, ex qua tantam hausit clementiam, ut sæpè indignarentur optimi quique CAROLO, quòd justo mansvetior esset, & indignos toleraret & beneficiis devinciret.

At prudentissimus Imperator illud solenne verbum suum repetere amabat: *& quâ charitate nos hactenus tulit Pater cœlestis? quid in morte expectabimus à Patre æterno solatii, si tam parùm clementiam ejus æmulemur?* Mortem recogitent patresfamilias, & mortem sibi non accelerabunt, in morte angores non coacervabunt, judicium divinum non reformidabunt. nam omnis qui irascitur fratri suo reus erit judicio. Componit mors uno in tumulo Dominum & servum, agonistam & antagonistam, componeret & vivos, si præ oculis haberetur. Narrat Gerardus de Rov. in histor. Austri. lib. 2. Adolphum ex Comite à Nassau Romanum Imperatorem omnibus ingratum & exosum, ideóque imperio exauthoratum, & in ejus locum ab Electoribus Albertum Austriacum Rudolphi Habspurgici filium suffectum fuisse. Non tulit ignominiam Adolphus, sed viribus exertis omnibus exercitum grandem conflavit, conflictum Alberto indixit, ingenti cum furia hostem invasit, sed in prælio Adolphus ab Alberto manu propriâ interemtus cecidit, & victor Austriacus pacificè tenuit imperium. Miro autem factum est casu, ut postquam annis multis regnâsset, occisus denique Albertus à quatuor conjuratis Basileæ & propè Adolphum sepultus sit, ità ut cadavera vix palmo à se distarent. Ecce qui in vivis convenire non poterant, à morte quàm leniter se comportant! ò quàm multi non tantùm Domini inter se, sed famuli cum Dominis, lupi cum ovibus, ursi cum pardis convenirent, si mortem præ oculis haberent. in lixivio pellionis omnes conveniemus dicebat agnus lupo, ùt est in fabula, & evasit mortem; multi non furerent lupis ferociùs, & sub agnina pelle lupum in pectore non alerent, si mortem cogitarent. Si in eandem foveam ursus & lupus prolabatur, non consumunt sese invicem propter mortis timorem, ità & multi Domini pacificè cum famulis convenirent, si sepulchri foveam & mortis, quam sibi accelerant, amaritudinem præ oculis haberent.

Sicut Vermis in pomo oritur, & pomum consumit, sic ira in corde oritur & cor consumit. sicut apes cùm infixêre aculeum moriuntur, plagula verò modico illita luto persanatur, ità iracundi cùm effudêre iram, pudore dein & mœrore sese conficiunt. Viperæ iram comparat Philo: *cogitationes irati partus sunt viperarum*; furor illis secundùm similitudinem serpentis ait Psaltes Ps. 56. ira in prægnante occídit fœtum, in omni iracundo animam interimit, multóque plus sibi officit, quàm cui iratus est. Ludovicus Severus Dux Bavariæ præventus irâ & suspicione malignâ, occidit conjugem suam Mariam Brabantinam Donavverdæ commorantem, at sedatâ postmodum irâ tanto est obrutus mœrore, ut intrà unius noctis spatium totus incanuerit, itáque ex juvene viginti septem annorum, senecio septuagenarius die posterâ apparuerit, nimirùm *ira interficit stultum* Job. 5. §. 3. [I]ra mortè accelerat.

Altera ratio cur Domini præ famulis citiùs & graviùs efferveant, est magni morum Magistri Senecæ qui lib. 3. de ira c. 11. curiositati & debilitati Dominorum causam iræ adscribit. curiosiores enim Dominos quàm famulos esse quis ignorat? unde sic monet: *non vis esse iracundus? nè sis curiosus.* Tenerioris quoque complexionis esse Dominos certum est, idcircò & faciliùs indignantur, ùt idem demonstrat lib. 2. c. 34. *imbecilla se lædi putant, si tanguntur*; *pusilli hominis &* mi- §. 4. Secunda causa quia famuli fortiores sunt Dominis.

miseri est repetere mordentem ut mures & formicæ, ad quas si manum admoveris, ora convertunt. Videmus certè debiliores naturâ semper esse iracundiores. cur feminæ citiùs irascuntur quàm viri? quia debilioris naturæ sunt. Cur senes citiùs effervescunt quàm juvenes? cur ægri faciliùs irritantur quàm sani? cur parvuli citiùs commoventur, quàm adulti? cur in rebus adversis citiùs indignamur, quàm secundis? debilitas naturæ est in causa, debiliores itaque cùm sint Domini quàm famuli, idcirco & proniores ad irascendum. neque enim iracundia generositatis est indicium, sed ignaviæ, sed mollitiæ, sed infirmitatis; sicut timor accidit ex magna imbecillitate in carne (Plutarchum refero) ità in mollissimis animis, siquis se præbeat dolori, hoc ipso quò major est imbecillitas, eò majorem efficit iracundiam; & hac de causa mulieres iracundiores sunt viris, ægroti sanis, senes ætate vegetis & felicibus infelices. ità Plutarchus, Seneca verò: *ille magnus & nobilis est, qui more magnæ feræ latratus minutorum canum securus exaudit.* Obtulerat Alexandro Magno Rex Albaniæ duos molossos, quorum alter oblatos ursos & apros ità sprevit, ut ignavo similis jaceret, quem idcirco occidi jussit Alexander. at qui donum obtulerant legati monuêre Regem, non ignaviam sed generositatem in causa fuisse, cur molossus prædam exilem dedignatus sit, impetrârúntque ut superstiti molosso objiceretur leo, quem absque mora interemit, mox viso elephanto mirabiliter exultavit, belluámque astu primùm fatigans, cum summo deinde spectatorum horrore in terram applausit. A canibus discamus animi magnitudinem, nec simus tanquam timidi catelli, aut quod Democritus monuit, non simus sicut fœtæ canes, quæ cæcos pariunt catulos, ita namque iracundia cæcas parit criminationes. Non est herilis animi, sed plusquam servilis cedere ad quemvis iræ impetum & levi mox verbulo ad serpentinum sibilum, taurinum mugitum, rugitúmque leoninum commoveri. Irato cuipiam Domino, & præ iracundia famulum suum flagellanti acutè dixit Democritus: *desine te servo tuo similem ostendere, servus enim est, qui suis cupiditatibus imperare non potest.* hoc enimverò regium & augustum est, sibimetipsi imperare, & exurgentis iracundiæ compescere motus. Aureliano Imperatori fuit tessera: *quò major eò placabilior.* accidit autem, cùm Thyanam urbem in Bithinia Aurelianus obsideret, ut pertinaciâ civium commotus asseveraret, se nec cani quidem in ea parsurum, tandem per proditionem acceptâ urbe non nisi unicum proditorem Heraclemonem passus est occidi. urgentibus autem spe prædæ militibus verbis staret suis. agite, inquit, & canes omnes occidite, negavi enim canem me relicturum. digna Aureliano vox, digna Imperatore tessera: *quò major, eò placabilior.*

Plutarch. lib. de cohib. ira.

§. 5. Contra irā pugnandum tanquam contra belluam.

Ponamus iram bestiam quandam esse monet sanctus Chrysostomus homil. 5. in Matth. contra hanc pugnemus sicut David cum leone & urso pugnavit, & apprehenso mento suffocavit. Si gloriosum Lysimacho juveni fuit leonem, cui ab Alexandro Magno objectus fuerat, insertâ in fauces dexterâ pallio involutâ, lingváque belluæ evulsâ exanimâsse, longè nobis gloriosius erit, domesticam belluam, iram inquam exarmâsse. si Constantino Magno adhuc adolescenti ob interemtum in amphitheatro leonem Senatus populúsque Romanus applau-

plausit, & imperii habenas bene precatus est, quantò spectabiliùs de triumphata ira cœleste nobis theatrum applaudet, & coronam æternaturi imperii gratulabitur. Si immortale nomen Henricus Comes Holsatiæ cognomento ferreus promeruit, quòd leonem cum rugitu ferocissimo sibi obvium generosâ hac voce fregerit: *quiesce canis ferox quiesce!* manúque apprehensum leonem in caveam reduxerit spectante & Stupente Anglorum sub Eduardo 3. aulâ, quantò admirabiliùs universa Angelorum curia jubilabit, si ferocientem compresserimus iracundiam?

Nieremb. histor. natur. lib. 1. c. 11.

At verò vehementissimè vereor, nè leones quàm plurimi plerosque nos agant in triumphum & adversario nostro, qui tanquam leo rugiens circumit, in spolium concedant. Fuit Leo Barcinone, qui ut corrigeret iram, tanto animo se compressit, ut subitò exanimaretur. ò pudor noster! cûm æstiment feræ virtutem pretio vitæ. Vidit Lanuza leonem ità instructum & cicuratum, ut nullum daret impatientiæ signum, quem si allatrarent & invaderent canes, nec oculos contorquebat. Cicurantur ità alii, ut & currum trahant Antonii & herile latus stipent, sicut Joannis Austriaci ex Africa reducis leo, & Maximiliani Ducis & Electoris Bavariæ latus leo stipavit. Testi Æliano lib. 17. si credimus, in India leones venatum, canum more, ducuntur. primus Hanno Carthaginensis leonem habuit vasa portantem, Berenice leonem habuit lingentem vultus & rugas lævigantem & lentè ac modestè convivantem. sed jam de leonibus satis, quos nisi frœnando iram imitemur, vel saltèm leunculi simus, magni Salomonis nostri thronum nequaquam stipabimus.

§. 6. Denique cur faciliùs Domini quàm servi indignentur, causa potissima est, quia majorem Dominum non timent, quem toties ad iram provocant, quoties citra justam causam, vel ultrà modum servis suis indignantur.

Tertia causa cur famuli præ Dominis minùs erumpant in iras timor est.

Jeremias edicere jussus quidnam vidisset, *ollam bullientem* à se conspectam testatur. rursùm alteram visionem prodere monitus, *vigilantem virgam* ait se vidisse, audiítque dicentem DEum: *bene vidisti, quia vigilabo ego super verbo meo, ut faciam illud.* bullientem ollam sequitur Virga, quia iracundiam humanam sequitur pœna divina.

Jerem. 1. v. 11. & 12.

Vigilabit DEus super verbo suo, quod hodie protulit: *Omnis qui irascitur reus erit.* Leonem agit Deus & dormit tantisper: *Catulus leonis Juda quis suscitabit eum?* Genes. 49. quisquis suscitare tentârit, impunè non feret. Leonem expertus est Dominum suum servus ille decem millium debitor, qui Conservum ob centum denariorum debitum non solutum strangulare & in Carcerem mittere ausus, vicissim traditus est tortoribus, quos Divus Hieronymus ait fuisse dæmones, horum enim servituti & equuleis sese subjicit, qui iræ suæ non dominatur.

Matth. 18.

Saulem aspicio iratum, proh quale monstrum! non Regem sed servum, & quidem dæmonis mancipium: *invasit autem Spiritus DEi malus Saul.* 1. Reg. 18. ingressam in Saulis cor iracundiam sequitur è vestigio spiritus malus. exclamet Nazianzenus; *ò fervor iræ dæmonis domus horridi!* in iratum velut in domum suam intrandi jus sibi fásque ducit horridus dæmon.

Sanctus Gregorius Nazianzenus carm. de ira.

quapropter ab iracundia dehortatus Ephesios Apostolus, postquam dixisset: *Sol non occidat super iracundiam vestram*, mox subjungit: *nolite dare locum diabolo*, huic enim locum dat, qui prodromam & hospitii apparatricem admittit

Eph. 4.

mittit iracundiam. De Saule observat Divus Petrus Damianus lib. 4. epist. 17. *in Saulis cor ira præcessit, & mox nequitiæ spiritum introduxit, qui abreptitium suum, in Zelum vesani furoris accendit. fremebat enim in vasculo suo auctor iracundiæ Spiritus.* Timeat proinde irasci, qui timet à dæmone possideri. nec unus duntaxat dæmon ingreditur in animum, sed legio integra, sicut enim in judicio Romano rei ab integra vapulabant legione, ità in judicio divino iratus (*qui enim irascitur, reus erit judicio*) integræ dæmonum legioni traditur excarnificandus. Legimus Luç. 8. energumenum quendam ab integra dæmonum legione tortum fuisse, quos Salvator ex homine ejectos in gregem porcorum ire permisit, quâ factâ potestate in grunnientem ocyùs transiêre gregem, eúmque in mare egêre præcipitem: *& impetu abiit grex per præceps in stagnum & suffocatus est.* Luc. 8. v. 33. egregius hic iracundorum typus est, ut eundem exponit Doctissimus Didacus Baëza, abripiuntur enim sicut grex grunniens, ínque perditionis profundum deferuntur suffocandi. non homo est, qui à tali tortorum immanissimorum supplicio sibi non cavet, quisquis enim aliquem hominis sensum adhuc retinet, nihil magis studet, quàm tantum à se malum depellere.

Baëz tom. 3. lib. 14. c. 5. ¶. 2.

Estote homines exclamat Origenes homil. 3. in illud Ezechiel. 14. homo homo de domo Israel, *estote homines, homines scilicet, quia non omnes homines, homines sunt. homo in honore positus non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, & assimilatus est eis; iste non est homo homo, sed homo jumentum. Generatio viperarum, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? talis non est homo homo, sed serpens homo. absit ergò à nobis, ut tales simus, qui mereamur audire non esse homines homines, si enim boni & mansveti simus, duplicamus hominis nomen, ut sit in nobis non simpliciter homo, sed homo homo.* hoc nimirùm facit mansuetudo, ut homo sit homo, iracundia enim non in unam, sed multiplicem feram homines transformat. Iratorum genium vivacissimè expressit Divus Basilius hom. de ira. *hæc hominem prorsùs efferat, ac nè hominem quidem esse sinit, ut qui jam rationis præsidio careat nam quod venenatis animantibus venenum est, hoc irâ percitis est excandescentia. Rabie laborant ùt canes, subsultant ùt scorpii, mordent ùt serpentes. si aliquem præ iracundia dentes acuentem videris, illud cogita, eum apro similem esse, ut qui per dentium constrictum, internum furorem ostendat.* Apro iracundum Camerarius quoque confert & in emblemate in truncum arboris sævientem proponit cum lemmate: *facti fortasse pigebit.*

Camerar. Cent. 2. emblem. 47.

In truncum furibundus aper desævit inermem,
Ira ultrix quoties in sua damna ruit!

§. 8. Ita hominis provocat iram Nominis.

Quæ damna si ob oculos sibi statuerent Magnates, nihil iis posthac clementius, nihil tractabilius, nihil foret mansuetius. non timent irasci, quia iram non timent Omnipotentis: *iratæ sunt gentes & advenit ira tua* Ap. 11. v. 1. iram ira suscitat, humana divinam. *sæpe rixam solvit conclamatum in vicino incendium, & interventus feræ latronem viatorémque diducit. colluctari cum minoribus malis non vacat, ubi metus major apparuit* ait Seneca citatus. solveretur in plerisque aulis rixa, furor, vindicta, si malum gravius, quod ob iras & diras nostras apud justitiæ tribunal incurrimus, expenderemus. *Omnis* qui plusquam belluinè *irascitur, reus erit* in hora

mortis,*judicio*; *reus erit* in novissima die *Concilio*, *reus erit* per omnem æternitatem *gehennæ*.

§. 9. Emblema. Pro Emblemate sit geniolus Furoris ater & audax, qui in diversos suppositos fomites, alterum delicatum & siccum, alterum grossum & humidum scintillas ex chalybe & silice excutit effectu dispari, facilè enim fomes delicatus, difficilius verò scintillam grossus concipit; lemma: *in vitio fomes.* Vis cur citiùs furoris ignem concipiant foveántque heri & heræ, quàm famuli & famulæ? fomes in culpa est, quem perversa herorum natura fovet, ut licere sibi putent quidquid libet; irasci, fremere, sævire generosum reputant, quasi hoc sit illustrem & nobilem esse, si naturam spirent igneam, si scintillent, fulgurent, fulminent, cùm ex his ipsis ignibus Vulcaniam prodant indolem, & Natales suos oriri demonstrent ex camino Mulciberi, & Luciferi regione.





PROBLEMA VIII.

Cur ex septem Panibus superfuerint septem Sportæ, ex quinque verò Panibus Cophini duodecim?

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

Sustulerunt quod superaverat de fragmentis, septem Sportas Marc. 8. v. 8.

§. I. Variæ causæ, cur ex quinque panibus duodecim cophini, ex septem verò septenæ sportæ remanserint.



EX plurimis convivii hodierni mysteriis illud mihi diligentiori inquisitione dignius videtur, cur ex septem panibus septenæ duntaxat sportæ fragmentorum fuerint collectæ, in altero autem Convivio, quod idem Salvator multiplicatis prodigiosè panibus celebravit, ex quinque panibus duodecim superfuerint cophini, cùm tamen in hodierno convivio tantùm quatuor millia convivarum, in altero verò quinque consedisse numerentur. Quæstionem assimilem apud Divum Ambrosium lego: *Cur quinq; millibus hominum plus redundat, quatuor millibus minus? quia quatuor millia ista triduo cum CHRISTO fuerunt, & ideo ampliorem cœlestis pabuli alimoniam receperunt.* (Sanct. Ambrosius lib. 6. in c. 9. Lucæ.) At non satisfacit hæc mihi Ambrosiana responsio, nec enim quæro, cur plures

res panes quater milleni acceperint, quàm quinquies milleni, sed cur ex pluribus panibus pauciores cophini, quàm ex paucioribus remanserint? dicunt alii cum D. Thoma: in primo miraculo tot reliquiæ, quot Apostoli, hic autem septem sportæ, ad indicanda septem dona Spiritûs Sancti. alii docent, ideo inter plures convivas plus remansisse, ut indicaretur; quò pluribus confertur eleemosyna, eò magis dona cœlestia crescunt & largitoribus suppetunt. aliis placet, ideo plus superfuisse miraculosi panis, quia quò plures ad postulanda cœlestia beneficia conveniunt, eò amplius singuli accipiunt, vel quia in primo convivio major erat accipiendi libertas, ait námque Evangelista oblatum fuisse singulis, *quantum volebant*. in hodierno verò nulla libertatis similis fit mentio, quare & minus remanet, experientiâ enim constat, minus cibi potionísque absumi, cùm portio sumentium non restringitur, sed sumentium finitur libertati. Verùm ex omnibus responsionibus unicam ego & maximè genuinam ex Evangelistarum verbis arbitror desumendam. Marcus enim ait panes septem à discipulis distributos fuisse: *dabat discipulis suis, ut apponerent, & apposuerunt turbæ* Marci 8. v. 6. Joannes verò aquilino oculo observat quinque panes in quinque millia hominum non per discipulos, sed ab ipsomet JESU fuisse appositos: *accepit ergò JESUS panes, & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus. similiter & ex piscibus quantum volebant* Joann. 6. v. 11. nimirùm in manibus Domini crescunt munera, minuuntur verò in manibus ministrorum, hiscè enim semper aliquid adhæret, ut minùs in subditos proveniat. Habeant ministri quantumcunque puras porrectásque manus, pauciores nihilominùs ex iis comedent & minus supererit, quàm si de manibus dona profluant Dominorum. quam si ego hodie veritatem tot expressero figuris, quot sportas impletas legimus fragmentis, sportulam meruisse putabo & sperabo.

Convivium hodiernum meditatus Basilius Seleucus orat. 33. liquidam in se non tam ventris quàm oculorum orexin excitari sensit, ideóque exclamavit: *ò quas tunc res videre fuit! panes pariebant panes, & mensæ alimento extemporario differtæ erant; panes absque rusticano sudore parti non de spicis erumpebant, sed de Domini manu efflorescebant.* Manus Domini divitis in omnes multiplicârunt annonam, eámque in tantum fecerunt excrescere, ut ex paucioribus panibus plures vescerentur, & copiosiora colligerentur fragmenta. quodsi per ministrorum manus transire debeant munera, semper fient minutiora. Quærebat amissas patris sui asinas Agazo Saul, cúmque easdem diuturno exantlato labore invenire non posset, consilium à comite servo accepit, adiret commorantem in vicinia prophetam Samuelem, ejusdémque super asinarum amissarum statu oraculum exploraret. Renuit Saul adire Samuelem, causam prætendens, quòd absque munere comparere rusticum & frustraneum censebat: *Sportulam non habemus, ut demus homini DEi, nec quidquam aliud.* at non despondet idcirco animos famulus, quin Saulem animans, quartam partem stateris (nostrates octo cruciferos) protulit, & tantillo æris animum Samuelis conciliari posse asseveravit: *ecce inventa est in manu mea quarta pars stateris argenti.* Habebat Saulis pater Cis familiam amplissimam, auri argentíque copiam non modicam

§. 2. Figura prima famulo Saulis 1. Reg. 9. v. 8.

cam, ùt vult Abulensis, dederátque dubio procul famulo liberale sustentando filio viaticum, cur ergo tam parùm pecuniæ superfuit ad munusculum Vati offerendum? patet causa ex verbis famuli: *ecce inventa est in manu mea quarta pars stateris argenti.* non in Crumena, sed in manu ait hic minister inventam esse pecuniam, unde mirum non est, tam parum fuisse, minuitur enim quidquid per ministrorum manus transit. *in manu mea.* quidquid servilis attingit manus, mancum reddit, minuit & arrodit, quod enim corvo rostrum est, hoc ministro est manus.

§. 3. Figura secunda. Corvus & Angelus Eliam pascentes.

Panem & carnes corvus Eliæ bis quotidie ad torrentem Carith deferebat, ùt videre est 3. Reg. 17. at verò Angelus sub Junipero non nisi semel panem detulit, quo ità Prophetam confortavit, *ut in fortitudine cibi illius* quadraginta diebus totidémque noctibus potuerit ambulare. Cur apud torrentem famem bis quotidie Elias patitur, sub junipero autem frugali merendulâ famem quadraginta dierum compescit? Causam in Ministrorum diversitatem refundit Divus Augustinus. *Panis iste sub Junipero erat confectus manibus Angelorum, & ob hoc habebat virtutem reficiendi per multos dies semel sumtus.* non erat minister iste famelicus, adeóque ab ejus manu dona quantumvis parva magnam imbibebant satietatem. at verò minister corvus ciborum avidissimus Solo cibi attactu vim quodammodo satiandi exsugebat; nimirùm quidquid per famelicorum transire debet manus ministrorum, penuriam quandam imbibit, itáque extenuatur, ut nec satiare possit, nec redundare.

S. Augustinus lib. de mirabil. Sacræ Scripturæ.

§. 4. Figura tertia Manna ministris ad distributionem nequaquã commissũ.

Ex pane angelicis manibus confecto & Eliæ allato cogitationem transferamus ad manna cœlo depluum, & saturandis tricies centenis hominum millibus præparatum, de quo ità Moyses Exod. 16. v. 16. *hic est sermo quem præcipit Dominus, colligat unusquisque ex eo, quantum sufficit ad vescendum.* Angelicis panis iste manibus pinsebatur, unde & *panis Angelorum* dictus est, & è nubibus liberalissimè destillabatur; cur ergo in ea non fuit æstimatione, ut per ministrorum manus distribueretur, sed jubetur unusquisque suis sibi manibus ad satietatem & libitum tollere & sumere? nolebat munificus DEus innatæ ministrorum cupiditati favere, per quorum manus, si manna dispensatum fuisset, ausim dicere, omnibus vix suffecturum ad vescendum. nulla enim Angelorum solertia, nulla cœlorum magnificentia sufficeret, nulla donorum redundantia expectari posset, si manna per ministrorum manus communicaretur; ut ergò deficiat nulli, sufficiat omnibus, *colligat unusquisque ex eo quantum sufficit.* Oculatissimè Sixtus senensis perspexit nullam in Rege sufficere providentiam, si in ministro regnet infidelitas: *cæcutit perspicacitas principis, quando in dispensatore regnat avaritia.* In eandem sententiam Cassiodorus scripsit: mutant quamlibet Regum liberalitatem ministrorum man', & sicut fontis puritas per limosa corrumpitur, sic affluentia boni Regis avaris distributionibus immutatur.

Sixto tom. 6. Biblioth. Cassiodorus lib. 12. Var. lect. 11.

§. 5. Figura quarta & quinta. Langvidus ad probaticam & populus in deserto.

Quamvis enim Rex aliquis Angelo similior quàm homini videatur, quod si tamen ministros sortiatur infideles commodíque proprii studiosos, exigua in subjectos felicitas redundabit. Expressam hanc insigni cum acumine veritatem in paralytico ad piscinam probaticam deprehendo, hic enim ipsos triginta octo annos prope fontem sanitatis ægrire coactus est, quamvis

Ange-

Angelus cœlo frequenter descenderet, & aquam in langvorum medicamentum moveret, quia hominem non habebat, à quo in piscinam demitteretur: *Domine hominem non habeo, ut cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piscinam* Joann. 5. v. 7. ò quot calamitosi subditi eandem hodie repetunt næniam: Domine hominem non habeo! etiamsi gratiarum mare moveatur, etsi munera in subditos effundi præcipiantur, etsi Tu sis sicut Angelus DEi, at hominem non habeo, fidelem ministrum non video, qui tuarum me participem reddat gratiarum. Angelum DEus constituerat Israëlitici populi ductorem, cujus consilio industriáque in terram promissionis induceretur: *ecce ego mitto Angelum meum, qui præcedat te & custodiat in via, & introducat in locum* Ex. 23. v. 20. & 23. nihilominus quadraginta annorum spatio oberrare populus in deserto debuit, cúmque Palæstinæ proximus esset, redire in solitudinem per viam maris rubri jussus est, eò quòd decem exploratorum verbis plus æquò credidisset. nimirùm etsi dux populi Angelus sit, nisi tamen ministri pariter probi sint fidelésque, omnis ad felicitatem aditus intercluditur, abeúntque retrorsum, & in pejus ruunt omnia.

§. 6. Figura Sexta Tributum Cæsari & non ministris reddendũ.

Cùm mitissimus cœli terræque moderator Homo DEus legem tributariam authoritate suâ confirmaret, hiscè usus est verbis: *reddite ergo quæ sunt Cæsaris Cæsari* Matth. 22. v. 21. cur non dicit: reddite exactoribus Cæsareis tributa, sed Cæsaris nomen interponit, & exactores per quorum manus tributa Cæsari redduntur, omittit? quia optimè nôrat longè tolerabilius jucundiúsque fore subditis, si tributa solverentur non ministris, inter quorum manus certius est naufragium, quàm inter duos scopulos & vortices aquarum, plúsque periculi à voraci & insatiabili exactorum charybdi imminet, quàm à quacunque sæviente æquoris tempestate. Regis Theodorici hæc phrasis est & sententia apud Cassiodorum lib. 4. ep. 19. *portus nostros navis veniens non expavesceret, ut certum possit esse naufragium, si manus exigentium non incurrerent, à quibus plura affliguntur damna, quàm soleant nudare naufragia*, evadi tempestas potest, à rapaci verò exactorum avaritia nullus est qui effugiat, ait Doctissimus Silveira. (Sylv. tom. 4. l. 6. c. 15. q. 8. Num. 50.) paucos reperire in aulis est Josephos, de quibus Sacer aliquis historicus possit attestari: *omnem pecuniam congregavit pro venditione frumenti, & intulit eam in ærarium Regis* Gen. 47. tam rarus minister est, qui omnem pecuniam inferat in ærarium Regis, ut velut prodigium quodpiam in Sacras referri debeat tabulas. *Omnem pecuniam intulit in ærarium Regis.*

§. 7. Figura ultima Stater in ore piscis.

Miraculum fuit, quòd cùm Dominus ipse tributum solvere ad occasionem scandali prævertendam decrevisset, Petrum ad mare miserit, ut ex capti piscis ore staterem exigeret: *vade ad mare & mitte hamum, & eum piscem qui primus ascenderit tolle, & aperto ore ejus invenies staterem, illum sumens da eis pro te & me.* Matth. 17. v. 27. unde stater in ore piscis? an in maris fundo repertus, an in ore piscis creatus est? creatum censet glossa interlin. *mira potentia, quâ hoc dicendo creavit staterem.* potuit quis neget à pisce inveniri, verùm etsi inventus fuisset, miraculo adhuc opus erat, ut voracissimum animal illicò staterem non deglutiret, ínque ventrem trajiceret, solet enim piscis quidquid ore apprehendit, stomacho transcribere. Mirum proinde staterem à pisce exhiberi ad solvendum tribu-

tum, quia res nova & admiranda est, inquit Ildephonsus, Padille, ministrum inveniri, qui pecuniam, quam principi extrahit ex subditis, in ore habeat, Syncerè fatendo, quantum à subditis contributum sit, & non potiùs trajiciat in ventrem, ínque proprium convertat emolumentum.

Padill. in Habac. 2. annot. 8. discurs. 1.

Observavit ex Sancto Gregorio Nysseno homil. 14. in Cant. Didacus Nyssenus sponsam in canticis ex hoc potissimùm capite dilaudari, quòd & caput & manus haberet aureas: *caput ejus aurum optimum* Cant. 5. v. 11. *manus illius tornatiles aureæ* Cant. 5. v. 14. quia videlicet ingens hæc raritas est, totóque altior mundo ea Curia cui & caput (sive princeps) est aureum, & manus, (seu ministri) aureæ, nec manus pice & visco ad confiscanda bona subditorum sunt illitæ, sed ad distribuenda principis munera tornatiles, promtæ scilicet paratæque.

Did. Nyss. Dom. 4. Quadrag. §. 6.

Sed jam manum ego de tabula, imò de sporta tollo, próque veritate quam dixi, sportam aliam non expeto, quàm illam Pauli ex manibus Aretæ Regis fugitivi, de qua ipse: *in sporta demissus sum per murum, & sic effugi manus ejus.* in sporta præstat fugere, quàm in sportulanos ministros Regis incidere, à quibus non septem sportas gratiarum colligas, sed unicum semper accipias corbem, in quo (ùt dicere solemus) grande nihil.

2. Cor. 11. v. 33.

§. 8. Emblema.

Problematis hodierni coronamentum sint multæ Manus, per quas farina aut Saccharum contusum datatim traducendum est, cum epigraphe: *hæret ubique aliquid.* Ardens item Cereus qui splendorem suum in sphæram diffundens, minorem semper minorémque lucem projicit cum lemmate: *decrescit eundo.* Habet se pecunia, non ùt fluvius qui eundo crescit, sed ùt lux quæ decrescit eundo, quò enim per plures iverit manus, eò minor evadet; probatum est.



PRO-



PROBLEMA IX.

Cur Arbor mala non possit bonos fructus facere?

.DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

Non potest Arbor mala bonos fructus facere. Matth. 7. v. 18.

§. I. Quo sensu accipienda verba Christi.

PAradoxum est, quod loquitur hodie Christus negans à mala arbore bonum fieri posse fructum. quid enim? nunquid arbor mala Latro in Cruce fuit, & talem tulit fructum, ut paradiso mox inferi meruerit? nunquid mala arbor Nabuchodonosor ità ut succidi debuerit, & tamen pretiosissimos pœnitentiæ fecit fructus? nunquid omnes Ninivitæ, Samaritæ, plurimi Isräelitæ, aliquot insuper Apostoli arbores malæ fuêre, & tamen quot quantósque ad gustum DEi fructus procreârunt? quin & hodie Turcæ, Judæi, Gentiles in malis habendi sunt arboribus, habent nihilominus fructus moralium virtutum tam sapidos, ut multi Catholici confundantur in eorum jejuniis, prolixis precibus, eleemosynis, & aliorum Virtutum exercitio. Quid multis? negari non potest ab ipsismet Sylvestribus Arboribus dulcissimos produci posse fructus, si videlicet ramis mitiorum arborum inoculentur juxtà id Pauli Rom. 11. v. 17. *Tu autem cùm Oleaster esses, insertus es in illis, & socius radicis & pinguedinis Olivæ factus es.* Respondet ad hanc difficultatem Imperfectus homil. 19. & AUGUSTINUS lib. 2. de Serm. Domini c. 24. *quamdiu quis malus est, non potest facere fructus bonos, si enim bonos fructus fecerit, jam malus non est.* quæ responsio irrefragabilis est, si dicamus cum Theophylacto, Beda, Alberto Magno, Divo Thoma, Cajetano, Hugone, per malam arborem intelligi malam Voluntatem. mala enim voluntas licet opus ex se bonum operetur, malè tamen per depravatam intentionem operatur. Aliter Jansenius ad verba Christi attendens, qui non dixit: *Arbor mala non potest bonum fructum* sed *bonos fructus facere*, sic ait: non potest fieri, ut hominis boni fructus omnes, vel plures vel potiores sint mali, nec etiam potest fieri, ut hominis mali omnes vel plures vel potiores fructus sint boni, malus enim ordinariè operatur malè. Abulensis q. 29. per verba *non potest*, non impossibilitatem, sed magnam difficultatem esse accipiendam putat. non potest arbor mala fructus bonos facere, cur non? propter malam consvetudinem, de qua jam nunc dicentem consvetâ accipite benevolentiâ.

Verissimum est, quod Aristoteles §. 2.

teles

Faciliùs pellem & vitam, quàm pravam exueris consuetudinem.

teles lib. 1. de memoria docuit: *consvetudo est quædam natura.* quàm difficulter Æthiops pellem, tam difficulter mutat pravus consvetudinem suam. *Æthiopem lavo* dicebat Diogenes, cùm depravatum corrigere studeret. Simili phrasi utitur Jeremias c. 13. *si potest mutare Æthiops pellem suam.* citius pellis & vita, quàm prava exuitur Consvetudo. *Tyrannis est consvetudo, difficilis quæ expugnetur* ait Sanctus Gregorius Nyssenus lib. de Virg. c. 19. & Sanctus Chrysostomus in 2. Corinth. 4. *magna est consvetudinis tyrannis, adeóque magna ut perinde cogat ac natura.* Lazarum vocat Epulo, invocàtque Abrahamum, ut illum suo ex sinu in infernum demittat; quo putas animo id fecit damnatus? crede Divo Chrysologo ità interpretanti Epulonis verba: *adhuc divitem malitia non deserit, quem jam possederat pœna, qui non se ad Lazarum vult deduci.* dedignatur Lazarum rogare & convenire, mallet illum socium pœnæ, quàm se ejusdem associari gloriæ. tanta vis est consvetudinis! & cur Abrahamus Epuloni supplici non consensit, ut Lazarus in domum Epulonis abiret, & quinque superstitibus fratribus prædicaret? quia inveterati malorum sunt, nec credituri, licèt mortui resurgant. Narrat Sanctus Gregorius lib. 4. Dialog. c. 36. militem Stephanum ad inferorum supplicia deductum reductúmque ad superos, post horrendorum visionem tormentorum vitam nihilominùs non emendâsse, sed in pristina relapsum scelera impœnitentem spiritum exhalâsse. De Cretensibus scribit Valerius lib. 7. c. 2. Cretenses cum acerbissima execratione adversûs eos, quos vehementer oderunt, uti volunt, ut malâ consvetudine delectentur optant. nimirùm sicut consvetudine bonâ nihil est melius, ità malâ nihil deterius.

S. Chrysologus serm. 122.

Daphnem deperibat Apollo, sed illa perire quàm amare malebat, ideóque fugiens in laurum abiit, quam Apollo ut lib. 1. Met. canit Ovidius basiari non cessabat: *Oscula præbebat ligno*, è contra laurus renuebat: *refugit tamen oscula lignum.* nimirum assuescere multum est. *fugiamus consuetudinem* ait Sanctus Clemens Alexandrinus, *est enim barathrum*: impius cùm in profundum venerit, contemnit prov. 18. v. 3. in profundum venire est peccatis assuefieri ùt explicat ep. ad Theodorum Divus Chrysostomus, huc cùm devenerit, contemnit *Conscientiam* ait Hugo, contemnit supplicia, contemnit correptionem, pœnitentiam, omnémque medicinam inquit Lyranus.

S. Clemens Alex. exhortat. ad gent.

§. 3. Peccator inveteratо similis est testæ vetulæ.

De inveteratis peccatoribus locutus David, figlino vasi eosdem comparat Ps. 2. v. 9. *tanquam vas figuli confringes eos*, quæ expendens Chrysostomus hom. 1. de illuminat. observat, quòd quando DEus populum ex captivitate liberare volebat, Prophetas jusserit ingredi in officinam figuli, ùt Jeremiæ 18. v. 2. videre est; at verò si captivitas esset perpetua & salus desperata vas fictile confringi mandavit: *nam confracta vasa fictilia jam nullâ emendatione corriguntur.* Tales erant Sodomitæ *homines pessimi*, à quibus ut abstraheretur Loth, necesse fuit, ut Angeli apprehenderent manum ejus, seu ùt Hebr. habent apud Oleastrum: *fortificaverunt se viri in manu ejus.* quasi novæ vires necessariæ sint Angelis ad hominem ex mala consuetudine retrahendum. imò ipsius Deihominis vires extendi oportet ad Lazarum aliquem ex sepulcro malæ consuetudinis provocandum, cùm enim dixisset Christus Joann. 11. *Lazarus ami-*

Gen. 19.

amicus noster dormit, subjunxit mox, *sed vado ut à Somno excitem eum.* malè phrasin Christi intellexêre Apostoli, quibus clariùs ille: *Lazarus mortuus est, eamus ad eum* v. 15. non dicit: *Vado*, sed: *eamus*, quia mortuus & fœtens Lazarus referebat habituatum peccatorem, cui convertendo Christum quodammodo multiplicari est necesse: *Eamus.*

§. 4. In peccatorem inveteratum exercet dæmon usucapionem.

Psal. 48. de iisdem inveteratis idem Psaltes differens: *hæc via* inquit *illorum scandalum ipsis, & postea in ore suo complacebunt.* Sanctus Hieronymus legit: *currunt*, quasi dicat: initio pedetentim ibunt vias difficiles, deinde velociter properabunt. ab initio erit ipsa via peccatoribus scandalo, offendentur enim super peccati turpitudine, postea verò complacebunt sibi in ipsa turpitudine. qui in via semel cecidit, aut membrum casu fregit, attendet sibi cautiùs, at in via peccatorum accidit contrarium: *multiplicatæ sunt infirmitates eorum, postea acceleraverunt* Ps. 15. post eadem peccata, ùt Genebrardus explicat, properaverunt, acsi novam fortitudinem à lapsu sicut Antæus à terra induissent. at dum currunt, verificatur Italorum proverbium: *cavallus currens sepultura aperta*; infernus in Scriptura idem sæpè significat, quod sepulchrum (*sepultus est in inferno*:) in hoc incurrunt, imò per postam approperant inveterati peccatores. unde quidam dixit: siquis tutò ad infernum mittere velit epistolam, committat eam homini inveterato malorum. Nec dæmones cum ejusmodi multùm laborant certi de præda. in quibusdam dæmonum Conciliis interrogatus fuit dæmunculus, cur & ubi tam diu emansisset? respondit: ego laboravi, ut homo ille, cui deputatus eram, malos habitus compararet, deinde apud eundem diutius mansi, ut ad actus malos habituatum tentarem, quibus auditis dæmonum princeps verberari dæmunculum præcepit inquiens: an nescis malos habitus esse dæmonibus pejores? an nescis habitus esse arbores adultas, quæ spontè fructificant? Sat erat efficere, ut arbores crescerent. Thomas Angelicus in Ps. 17. appositè: sicut homo præscriptionem acquirit possessione longi temporis super rem possessam, sic dæmon præscriptionem quandam videtur acquirere super peccatorem, cùm illum diu possederit, adeo ut non nisi per DEi virtutem posit homo liberari ab ea servitute.

Habitus pravi sunt instar restium seu habitûs corporalis, ex quibus vel nuptialis vel infernalis vestis conficitur, hinc Maldonato interprete conviva veste aptâ destitutus in carcerem mittitur. Hospes quidam vestibus suis gratias egit, & non Mecœnati, quòd admissus fuerit ad triclinium, priùs enim in vulgari vestitu fuerat exclusus, ità multi habitibus suis bonis gratias agere possunt aut in habitus malos causâm refundere, quòd ad convivium cœleste admittantur vel excludantur. *mos est bonus, mos est malus, hinc infernus, inde salus.*

§. 5. Tragicum peccatoris inveterati exemplum.

Malæ vim consvetudinis expertus describit Sanctus Augustinus lib. 18. Confess. c. 5. *ex voluntate perversa facta est libido, & dum servitur libidini facta est consuetudo, & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas.* en quomodo arbor mala bonum fructum ferre nequeat. exemplum non ità antiquum recentissimus ex Sancti Augustini ordine Concionator affert, cujus ipse „oculatus fuit testis. Dum ædes „alicujus nobilis transirem, de fe„nestra evocatus fui ad excipien„dam confessionem ægri; ascen-

„ di & inveni hominem jam expi-
„ rantem, ad latus mulierculam
„ concubinam, confessus mihi fuit
„ æger peccata omnia, & quantùm
„ judicare potui cum dolore. verùm
„ ante absolutionem monui, illam
„ bestiam esse exturbandam ex do-
„ mo, rescindendam illam pernicio-
„ sam amicitiam, adesse occasionem
„ proximam relabendi, magnam es-
„ se vim corroboratæ in malo con-
„ suetudinis, qualem in illo adver-
„ teram. quid putatis ægrum re-
„ spondisse? in supremo agone,
„ in lucta cum morte, in introitu æ-
„ ternitatis respondit, se id facere
„ non posse, nec velle. abii ergò,
„ cùm revocatus mox redii, spe ple-
„ nus aliam à cœlo, misero injectam
„ esse mentem, ipsum reperi sinè o-
„ mni sensu supremum trahentem
„ spiritum in manibus Concubinæ
„ tenentis ardentem cereum. Sic moritur, qui dum vita superest in malignæ consvetudinis hærere gaudet sepulcro. huic enim ingeniosè comparatam consvetudinem apud Augustinum lego ità de sepulcro Lazari discurrentem: *consvetudine malignâ pressi, tanquam sepulti, & ità sepulti, ut de Lazaro dictum est, jam putet, moles ipsa sepulcro imposita, ipsa est vis dura consvetudinis, quâ premitur anima,* nec resurgere, nec respirare permittitur, nisi JESUS succurrat & adjuvet.

§. 6. Symbolum inveterati peccatoris Lazarus. Egregia est observatio D. Chrysostomi, cur Christus de Lazaro recens mortuo cum discipulis locutus dormire eum dicat, & amicum appellet: *Lazarus amicus noster dormit* Joann. 11. v. 11. at non intelligentibus phrasin hanc discipulis apertè mortem Lazari exponens, non eum amplius vocitet amicum: Lazarus mortuus est. *Vides* inquit Orator Antiochenus *quomodo, quando dormientem vocat, amicum appellet, quando verò manifestè de morte meminit, jam pœnè amicitiæ obliviscitur.* Peccatoris ex fragilitate delinquentis Symbolum est Lazarus dormiens, & hic facilè redire potest in gratiam, ideóque amicus vocatur; at verò peccatoris ex consvetudine prævaricantis Symbolum est Lazarus mortuus, & hic non vocatur amicus, non quòd redire in amicitiam non possit, sed quòd redire non soleat, quidquid autem fieri non solet, necessitatem quandam inducit, nè fiat. Quod ingeniosè observat Nyssenus in tribus Evangelistis, quorum duo Matthæus & Marcus affirmant solitum esse Pilatum die Solenni vinctorum aliquem in Judæorum gratiam carcere eliberare, Lucas verò asserit necessarium fuisse aliquem à Pilato extradi. *per diem Solennem consveverat Præses populo dimittere unum vinctum* Matth. 27. v. 15. *per diem festum solebat dimittere* Marci. 15. v. 6. Lucas verò c. 23. v. 17. asseverat: *necesse autem habebat dimittere eis per diem festum unum.* quod consvetudo induxit, necessitas continuavit. similiter qui malè agere consvevit, impossibile sibi existimat agere bene: *non potest arbor mala bonos fructus facere.*

§. 7. Item Energumenus lunaticus. Vivam inveterati peccatoris imaginem exhibet miserandus ille energumenus, cui malignus Spiritus lingvæ aurium & oculorum usum ademerat, & jam in ignes, mox in aquas jactabat Marci 9. cujus sortem miserati Discipuli exorcizare iniquum hospitem tentârunt, sed frustrà. pertinacior enim fuit inimicus, quàm ut Apostolorum jussis obsequeretur. Recurrit proinde Pater Energumeni ad ipsum gratiarum & curationum fontem JEsum, ad cujus pedes abjectus calamitatem suam ex eo immodicam exponit, quòd à Discipulis JEsu malignus hospes exturbari non potuerit: *dixi disci-*

discipulis tuis, ut ejicerent illum, & non potuerunt. quid causæ? quòd simul sumti Apostoli post tot alios è miserorum corporibus profligatos dæmones hunc unum non expulerint? ex interrogatione Salvatoris facilè erit causam conjicere. sciscitatur proinde Dominus: *quantum temporis est, ex quo ei hoc accidit?* at ille ait: *ab infantia.* ecce causam, cur hospitio, quod longi temporis præscriptione suum dæmon fecerat, nolit decedere post tam diuturnam immorationem. jubetur nihilominus supremæ potestati cedere, nec unquam amplius reverti. ità enim JEsus intonat: *Surde & mute Spiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & ampliùs nè introeas in eum* v. 24. cur tantâ verborum severitate utitur, & expressum interponit de non revertendo mandatum? respondet Euthymius: *hoc dixit prævidens quod futurum erat, ut rursum ad eum reverteretur, probibet ergò.* licitum sibi putat Diabolus longáque experientiâ perfacilem esse comperit regressum à privatione ad habitum, quando videlicet in pœnitente diuturna peccandi Consvetudo prævaluit. pejus dæmone peccatum est, & faciliùs legionem dæmonum integram, quàm inveteratum peccatum expuleris, cùm hoc spontè admittatur, illi verò violentè sese in animam intrudant.

Gloriantes de sua nobilitate Judæos, quod semen essent Abrahæ, & nulli unquam servivissent, hisce verbis incarnata Sapientia perstringit: *Amen amen dico vobis, quia omnis qui facit peccatum, servus est peccati.* Joann. 8. v. 34. nemo de libertate glorietur, si libertate abusus suâ, consensit peccato; jam enim non liber ampliùs, sed servus est. quare servus? quia in castrum animæ suæ tyrannum admisit, qui tantâ libidine vexabit, tantâque vi exagitabit animum, ut pœnè cogat plura admittere peccata. audiamus præclarum Dominicorum verborum interpretem Cardinalem Cajetanum: *peccatum remanens dominatur in animo trahendo ad aliud peccatum tantâ & tali efficaciâ, ut oporteat hominem subjectum peccato, nisi pœniteat, denuò peccare.*

§. 8. Malæ consvetudinis vis variis similitudinibus exponitur.

Multis similitudinibus Doctrinam hanc venustat Chrysostomus, & inveterata scelera abolendi difficultatem ac quandam velut impossibilitatem verbis hisce insinuat: planta quidem humi consita facilè revellitur, per multum verò temporis radicibus firmata non itidem. Et ædificium recenter fundatum à vexantibus facilè subvertitur, bene verò firmatum, multa negotia diruere conantibus præbet. & fera quibus locis multum temporis est conversata, difficulter expellitur. & sicut febris ab initio aggressa non magnâ siti laborantes exurit, postquam autem invaluerit, & flammam extulerit, jam sitim inducit immedicabilem, sic & in vitioso accidit affectu. si se circa primordia in animam nostram inserentem non prohibuerimus, neque fores occluserimus, ingressus jam insanabilem susceptoribus morbum infert. Hæc ad verbum Antiochenus Orator. Comparant alii malam consvetudinem clavo Sisaræ; quo caput Archistrategi à Jahele terræ fuit affixum Jud. 4. conatus sinè dubio fuerit clavum Sisara eximere, sed frustrà. alii malam Consvetudinem vocant malam illam uxorem, quam qui duxit, impossibile sibi dixit cœnam Evangelicam adire: *uxorem duxi: non possum venire* Luc. 14. aliis hedera placet circumplexa quercum cum lemmate: *nec recisa recedet.* aliis asbestus, ùbi ignem conceperit, restingvi non potest: *semper ar-*

ardebit. aliis aquila à dipsade serpente maculoso morsa inextingvibilem nutriens sitim: *semper ardentiùs.* aliis crocodilus hominem devorans: *plorat & vorat.* nimirum propter Malam Consvetudinem commissa flemus, flenda committimus. aliis ursus ad mel fervens combustâ licèt lingvâ illicò rediens: *nocet & delectat.* aliis fomes accensus: *vivit ad extremum.* aliis fluvius ipso progressu crescens: *Vires acquirit eundo.*

§. 9. Duplex extirpandæ malæ Consvetudinis remedium.


Verùm nihil obstantibus hisce quæ diximus omnibus non est desperanda malarum consvetudinum extirpatio, si duo illa observentur præscripta: *Vigilate & Orate.* audiamus vocem Domini monentem, commonet Chrysologus serm. 43. Orate nè intretis in tentationem. *in tentationem vadit, qui non vadit ad orationem. verè novit rectè vivere, qui rectè novit orare* inquit D. Augustinus homil. 4. ex 50. Ingens præsidium est adversus omnes naturæ perversæ motus, vigiliæ conjuncta oratio. vigilâssent & orâssent Apostoli, nulla eos tentatio apprehendere potuisset: *tentati sunt Discipuli Dominum deserendo, qui somno potiùs indulserant, quàm Orationi* Tertull. lib. de orat Dom. Feliciùs Petro egit Paulus, de quo Act. 16. v. 25. *mediâ autem nocte Paulus & Silas orantes laudabant Dominum.* ecce vigiliam orationi conjunctam, cujus fructum mox ambobus licuit experiri. *subitò verò terræ motus factus est magnus, ita ut moverentur fundamenta carceris, & statim aperta sunt omnia ostia, & universorum vincula soluta sunt.* Præclarissima hæc est figura eorum, qui pravis consvetudinibus quasi vinculis constricti in carcere vitiorum hærent, à quibus ut absolvantur vigilent & orent. Paulus & Silas cùm in nervo pedes haberent, inquit Sanctus Ambrosius, mediâ tamen nocte surgebant mentis vestigio, exorabant Dominum & laudis Sacrificium offerebant, ideòque ubi non defecit devotionis officium, adfuit etiam solutionis remedium. facilè pravarum Consvetudinum solventur vincula, si orationum nobis non defuerint præsidia. Orandum est, & quidem per illorum Sanctorum suffragia, qui ex pravorum habituum vinculis feliciter expediti sunt: quales Latro pœnitens, Augustinus, Magdalena, centeníque alii fuerunt. Orandum est per Sanctorum omnium cineres & merita, per Virginis Matris dolores ac amores, lac & lacrymas, per JESU Salvatoris nostri Sacratissimum nomen, vulnera, sangvinem, & quidquid Sacrum ac Sanctum est. Orationi jungatur vigilantia, quâ juxtà consilium & phrasim S. Bernardi inducias à nobis impetremus, quas cum DEo ineamus, & à mala Consvetudine triduo quatriduóve sub mulcta in ære vel pelle certò persolvenda, si in vetitum relabi contingat, nobis interdicamus; adhibità insuper examinis ùt vocant particularis industriâ, per quam certo certiùs faciemus duraturam de priori necessitate virtutem.

S. Ambrosius in Ps. 118.

§. 10. Emblema.

In Emblema sit Sylvestris pyrus, in qua geniolus frustra dulcem inquirit fructum, nisi resectos ramos mansvetiori inoculet arbori; lemma Evangelicæ consonet sententiæ: *Non facit hæc Arbos aliter.* vel Gomorrhææ pomo inscribamus: *Manet vitiosa propago.* sub arbore Cancer sit, qui ùt velit, retrogrado nunquam abstinet gressu: *sic semper & ibat & ibit.* vel reducem ad mella muscam, licèt decies abactam hoc lemmate donemus: *nitimur in vetitum.* vel Prodigi de grege pecus ad suum rediens volutabrum hac epi-

epigraphe signemus: *nitimur in fœtidum.* Nimirum Consvetudo, altera Natura, de qua populari voce canitur: *expellas furcâ, tamen usque redibit.*



PROBLEMA X.

Quis diffamaverit Villicum?

DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

Diffamatus est. Luc. 16. v. 1.

§. 1. An Villicum iniquitatis diffamârint boni Angeli.

DIffamatum esse villicum audivimus, à quo diffamatus sit, à domesticis an extraneis, ab amicis hominis divitis, an inimicis, ab Angelis an dæmonibus? nescimus. Angelos bonos fuisse suspicor, qui clientum suorum injurias à villico iniquitatis irrogatas ferre diutius noluerunt, sed in sanctissimas accensi vindicias repræsentavere Divinæ Justitiæ injustissimi Villici fraudes & nequitias. Accedit quòd Evangelista, observet diffamatum esse villicum *quasi dissipâsset,* non quòd absolutè dissipârit Domini substantiam, sed quasi dissipâsse visus sit, quæ deferendi modestia in alios vix cadit quàm bonos Angelos, qui in ipsa delatione diminuere potiùs quàm exaggerare nostros solent errores, & ut verbis D. Athanasii utar *possibilitatem etiam relegant mendacii,* hoc est, ita speciem facti repræsentant, ut nec umbram falsitatis admisceant, ideóque non dissipatorem appellant, sed diffamatum duntaxat proponunt, *quasi dissipâsset.* Militat hæc quidem ratio pro bonis Angelis, sed fortior in contrarium urget, diffamatorem videlicet fuisse diabolum, qui juxta nomen suum *Calumniator,* & generalis titulus est *Accusator fratrum,* cujus una voluptas & indefessus labor, accusare servos ante conspectum DEI. & quia sæpissimè jam convictus est mendacii, non audet dicere, dissipata esse bona Domini, sed *quasi* dissipata ut majorem accusationi suæ adstruat fidem, quam tamen nec hoc astu impetrat, quin priùs prudentissimus Dominus reum accersat, & percontetur: *quid hoc audio de te?* quasi non libenter audiat Dominus, quòd delatus malè audiat servus, mallet enim illum in honore & optima apud omnes esse existimatione, quàm nescio cujus infidelitatis insimulari. hic nimirum semper fuit eritque DEi nostri & omnium DEO devotorum genius, bonæ aliorum famæ optimè consulere, quod lectissimis aliquot figuris expendendum dabo.

§. 2. Etiam impiorum famæ curam gerit DEUS.

DEI nostri personam in theatro Evangelico gessit bonus ille mali filii Pater, qui resipiscenti prodigo post paternam dissipatam substantiam, vestes priùs quàm panem adferri jussit, etsi panem is non vestem peteret; quasi doceret, honorem ma-

gis esse necessarium, quàm panem, & providendum priùs famæ, quàm fami. Ingeniosè Chrys. lo[illegible] Serm. de prodig. *antè vestiri voluit filium, quàm videri, ut soli Patri nota esset nuditas.* semper DEO curæ est fama nostra: *in memoria æterna erit justus* Ps. 111. v. Lorinus vertit: *in fama æterna erit justus. ab auditione mala non timebit,* Titelmann' legit: *neque conturbabitur à timore malo, quemadmodum impii.* quæ sic explicat Bellarminus: non timebit à detractionibus & reprehensionibus hominum impiorum, semper enim in hominum memoria vivet per famam gloriosam. nec apud mortales solùm memoria illius erit in benedictione, sed scriptum erit Nomen ejus in libro vitæ, eóque pacto verè ac propriè in memoria æterna apud Angelos in cœlo perseverabit.

Quid? quòd famæ impiorum quoque consulat DEus, ideóque villicum iniquitatis in hodierno Evangelio laudet, & in primordio mundi non Adæ sed terræ maledicat, *quò suæ ipsius imagini honorem conservaret* inquit Moyses Barcepha. Quærit Theodoretus q. 62. in Gen. cur Spiritus Sanctus recensens raptum Saræ à Pharaone factum non insinuet, an Pharao peccârit cum illa, sed satis habeat dicere: *flagellavit Dominus Pharaonem* flagellis maximis & Domum ejus propter Sarai uxorem Abrahæ Genes. 12. v. alterâ autem vice cùm ab Abimelech raperetur, non tantùm referatur supplicium: *morieris propter mulierem quam tulisti* sed insuper exprimatur Saram mansisse intactam: *Abimelech verò non tetigit eam* Genes. 20. v. 4. & respondet: *ut consuleretur famæ tam Saræ quàm Isaaci.*

Luc. 7. Pœnitentem Magdalenam depingens Lucas nomine eam proprio non indigitat, neque dum conversionem Matthæi recenset, sed illam *Mulierem*, hunc publicanum nomine Levi, nè quoquo modo nomen utriusque læderetur. *Dum agitur de peccatis,* inquit Ambrosius, *suppressit nomen,* ut bono eorum nomini consuleret.

§. 3. Cur Gabriel nullam mentionẽ faciat Conceptionis Baptistæ.

Exercitatissimi in hac sancta Politice sunt cœlestis aulæ Ephebi. Gabriel dum aram incensanti Zachariæ bona nova nuntiat, & filii prædicit ortum, conceptionis non meminit, sed solius partûs mentionem facit: *Elisabeth uxor tua pariet tibi filium* Luc. 1. v. at verò dum Nazaretanæ Virgini divinum annuntiat puerperium, conceptionis unà meminit & nativitatis: *ecce Concipies in utero & paries.* quæ est ratio disparitatis? consultum voluit Angelus famæ Joannis, ideóque conceptionis non meminit, cùm in ea maculam contrahere debuerit. animadversio hæc est Innocentii 3. Pontificis Serm. 1. de S. Joanne: *non Conceptum dicit, sed ortum Joannis, JESU verò prædicit ortum pariter & conceptum, quia Joannes fuit conceptus in culpa, JEsus autem sinè culpa conceptus, utérque verò natus in gratia.* Et cur idem Angelus Josepho in somnis apparet Matth. 1. cùm dedocet errorem, & Matth. 2. cùm jubet fugere in Ægyptum? utroque in casu revelandum erat aliquod piaculum sive Josephi leve, sive Herodis pergrave, id verò dormienti aperit, ut constet, quàm cauti in revelandis defectibus alienis sint Angeli. & merebatur certè Joseph sinè confusione propria instrui, quia & ipse cùm esset justus noluit traducere sponsam, sed occultè dimittere eam. *voluit prodesse peccanti,* inquit S. Augustinus serm. 16. de verbis Domini, *non punire peccantem.*

§. 4. Quomodo Joseph

Genes. 45. Joseph manifestaturus se fratribus, *præcepit ut egrederentur*

consuluerit fratrum suorum honori.

rentur cuncti (aulici) *foras*, dúmque se manifestat: *elevavit vocem cum fletu. ego sum Joseph frater vester*,, ut etiam foris aulici audire potuerint. at dum scelus commemorat, ego sum ille quem vendidistis, *ista dixit Joseph voce submissâ, nè eam audire aut intelligere possent, quia aliqui erant in domo, qui lingvam Hebræam ab ipso audierant & didicerant*, inquit Abulensis in c. 45. Gen. fol. 700. sed quare ista tacitè? exprobra errorem palàm, ut suffundantur rubore. non dico ut mineris supplicia, sed ut acerbè objicias scelus. at respondet ille: bonæ famæ fratrum meorum attendo, defectum celo, nè honorem lædam. vocem primam (pergit citatus Abulensis) in qua denotabatur fraterna cognitio, voluit Joseph omnibus esse notam. Patet, quia audierunt Ægyptii, & omnis domus Pharaonis. at secundam, in qua notabatur fratrum maligna venditio, voluit esse Ægyptiis occultam, nè eos viros contemptibiles & sceleſtos judicarent.

§. 5. Quomodo Christus Apostolorum bonâ famam defenderit.

Quod Joseph cum fratribus, Christus fecit cum discipulis. Matt. 17. *assumsit tres, & duxit eos in montem excelsum seorsum.* quare hos tres? respondet Jansenius: *tres ad hoc delegit, ut secundùm legem in ore horum trium Verbum hoc confirmaretur, & tres illos, quos inter duodecim Apostolos primo semper loco habuit, ut qui ob id, quòd primi & præcipui essent inter Apostolos præ aliis etiam perfectiori Christi cognitione donari debebant.* Causam aliam dat D. Thomas Villanovanus, cur non omnibus transfigurationem sicut resurrectionis gloriam voluerit esse manifestam, quia *hoc non esset fidem confirmare, sed destruere, non esset homines credendo ad se allicere, sed rei evidentiâ convincere.* Paschasius Ratbertus in Biblioth. veterum Patrum tom. 9. in hoc caput Matthæi, *tres* ait *assumuntur in montem, quia nemo potest resurrectionis videre glojam, nisi qui integrum mysterium Trinitatis incorruptâ fidei synceritate servaverit. nec immeritò Petrus, quoniam ipse prior claves regni cœlorum accepit: deinde & Joannes, cui Mater Virgo committitur ob privilegium Virginitatis, Jacobus quoque qui primus ex Collegio Apostolorum Solium Sacerdotale proprio purpuratus sangvine, & dealbatus in Christo victor ascendit.* In rem meam optimè Proculus in hoc caput. cùm Judas indignus esset hanc tremendam visionem videre, eum infrà reliquit cum reliquo Apostolorum Cœtu, nè tanquam Solo relicto hominis proderet pravitatem. nè videlicet alii sinistrum quid suspicarentur de Juda, etsi hic suam famam flocci faceret. at Dominus etiam aliis vicibus honorem Judæ, ubi potuit, tuitus est. interrogatus à Pontifice de discipulis & Doctrina Dominus: *JEsus dissimulans ad interrogationem de discipulis factam respondere, fugerant enim à se omnes, unus ipsum in mortem proditor tradiderat, & ideo ad secundam duntaxat interrogationem de doctrina respondit.* ita Joannes Lanspergius lib. 3. de passion.

§. 6. Cur Christus parvulum in medio Apostolorum statuerit.

Seminârant Apostoli semen discordiæ pessimum in agro cordium terreo: *facta est contentio inter eos, quis eorum videretur esse major* Luc. 2. jam messem litium parabant, cùm Christus parvulum (quem Jansenius c. 70. in Evang. putat fuisse S. Martialem, posteà à Petro ordinatum Germanorum Apostolum) statuit in medio eorum, sive ùt vult citatus Jansenius: accepit eum in ulnas quomodo fieri solet infantibus aut valde pueris. cur non adultum, maturum, canúmque advocat? quid cum puero, qui absque judi-

cio bonum inter & malum non potest discernere? prudentiùs litem senex dirimet quàm puer. sed placet Christo parvulus, ut quales sunt parvuli per ætatem, inquit Jansenius citatus, tales nos simus per voluntatem. non ut ætatem habeant puerilem, confirmat S. Paschasius hic, sed humilitatem atque innocentiam: quam illi per ætatem annorum possident, isti per industriam & virtutem habeant puritatis. acsi diceret (verba do Haymonis Halberstadiensium Episcopi) sicut parvulus iste, cujus vobis exemplum proposui, videns pulcram mulierem non concupiscit, non alienas divitias appetit, læsus non relædit, non aliud cogitat, aliud loquitur, & iratus non perpetuas tenet discordias, ita & vos nisi talem habueritis innocentiam in mente, qualem iste habet in corpore, regnum cœlorum nequaquam intrare potestis. Pœnè iisdem verbis Eusebius Emissenus apud eundem: Videtis hunc parvulum, nisi ab hac stulta dignitate, quæ vestros animos perturbat, ad hujus patientiam & humilitatem conversi fueritis, & sine odio, sine invidia, sine superbia, sine ambitione, in regnum cœlorum non intrabitis. Verùm optimè mihi S. Aëlredus Abbas Cisterciensis: *advocavit parvulum qui vix loqui noverat, qui aliis id quod audiret non proderet*, si enim adultum adhibuisset, facilè imperfectiones Apostolorum & resciviffet ipse, & cum aliorum infamia propalâsset. unde bene Aloysius Novarinus in c. 20. Matth. sect. 4. Num. 402. *Discimus quàm cautè aliena peccata tangenda sunt, ut aliorum nomini consulatur & alienæ famæ.*

Apud Alcuinum Serm. de S. Michael.

Certè idem Christus Martham infidelitatis ream Joann. 11. cùm diceret: *Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus*, acsi Christi omnipotentia se tam procul non extenderet, increpuit: *o Martha quomodo cum tanta fide diffidis*, verba sunt S. BERNARDI, credis hoc? Magdalenam verò etsi eandem iteraret cantilenam: *Domine si fuisses hic*, non increpuit, sed conticuit, cur? *CHRISTUS non loquitur Magdalenæ* inquit S. Chrysostomus, *sicut locutus est sorori, non erat tempus verborum. ibi enim erat turba.* nota. *ibi erat turba.* Martha erat Sola, periculum manifestandi defectûs & honoris lædendi non erat, ideo illi dixit dicturus longè severiùs veritatem Magdalenæ (cùm eam magis dilexerit) nisi honori ejus consuluisset, quia cincta erat magno comitatu.

Cùm itaque tantam famæ nostræ curam habeat DEUS, decet & nos (si quid divinioris in nobis est Spiritûs) pro bona fama alterutrùm Zelare, certissimóque nobis persvadere, parem cum infamibus Orci incolis habere genium, qui lubens alios denigrat, nec diffamari ullum magis, quàm qui alios diffamat.

In Emblema propono tricipitem Cerberum perpetuò obvios fatigantem latratu: *quemvis impunè lacesso*; ex parte altera serpentem colloco, trisulcæ telo linguæ triplex vulnus infligentem: *uno tria vulnera morsu.* Elegans certè detractoris typus, qui velut infernalis Canis allatrat, quos mordere non potest; si mordere potest, uno detractionis morsu triplex infligit vulnus, quo audientem, diffamatum, & suam lædit animam. Addamus & Æthiopem parvulum, ex furno reducem, qui suâ alios inficit fuligine: *tingit quos tangit.* similiter detractor cùm fuligine vitiorum totus nigricet, suam quibus quibus potest affricat fuliginem; sed Hic Niger est, hunc aure utrâque caveto. §. 7. Emblema.

PRO-



PROBLEMA XI.

Quæ Lacrymæ pretiosissimæ?

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

Videns Civitatem flevit. Luc. 19. v. 41.

§. 1. Deceátne Virum fletus.

INter Philosophos veteres solennis ventilabatur quæstio: deceántne Virum lacrymæ? negabant Stoici, quibus Plato annuit lib. de Republ. dial. 3. lacrymæ à viris claris removendæ sunt. licet lacrymari plebi, inquit Ennius, Regi honestè non licet. Unde Alexander Macedo tragœdum capitis damnavit, quòd funebri dramate Regi lacrymas excussisset. fortè ex hac quoque causa Davidem reprehendit Joab, quòd fleret Absalonem. Ezechias convertit faciem ad parietem, nè lacrymas assidentibus ostentare videretur, inquit D. Hieronymus. Aristotelici è contra affirmabant honestum esse lacrymari. est enim hoc naturæ conveniens, & deservit ad ejus conservationem; quam sententiam D. Thomas 1. 2. q. 29. multis tuetur. Certè heroes plurimos flevisse testantur Historici. Flevit exercitum suum ex integro virorum millione conflatum Xerxes, quòd intra sæculi non integri spatium à morte penitus difflandus esset. Flevit Carthaginem Publius Scipio, ut fumantes cineres suis restinguere velle lacrymis videretur. Flevit Henricus Imperator Trojam Apuliæ urbem obsidens, cùm pueros & puellas lacrymis madentes, ante tentorium Cæsareum supplices spectaret, quibus ipse collacrymatus, veteres iras in lacrymis suis extinxit. Quid multis? flevit Salvator noster. de quo Hipponensis Orator Serm. 35. flentem illum frequenter invenias, nunquam verò ridentem. Flevit super Civitatem, Luc. 19. flevit in suscitatione Lazari Joann. 11. flevit in cruce teste Apostolo Hebr. 5. v. 7. imò passionis rempore ait Petrus Calentinus flevisse Christum saxagies septies millenas & ducentas lacrymarum guttas. nec in passione solummodò, sed in omni vita flevisse Christum non dubitemus, ita ut de se dicire potuerit: totum pœnè meum vivere flere fuit. ex quibus Salvatoris nostri lacrymis elucidanda hæc venit quæstio, quænam pretiosiores sint lacrymæ, an quæ per oculorum crystallos eliquantur, an quæ à corde absorbentur, & lacrymæ siccæ vocitantur? Erit hæc *Pretiosa* quæstio, quia in lacrymarum pretium solvetur.

§. 2. Aquæ super cœlos sunt lacrimæ pœni-

Author recens adeò lacrymas sanctè fusas appretiat, ut dicere ausit: lacryma thesaurus est ipsam locupletans Sanctissimam Trinitatem,

tentium, quas ut augeret DEi Filius, Homo factus est.

tem, ita ut accedat ad omnipotentiam æterni Patris, efficaciam Sangvinis Verbi, & Virtutem tribuat fœcunditati Spiritûs Sancti. Dictum audax nisi eo sensu accipias, quem mitior effert pietas. Die alterâ ab orbe creato dixit DEus: *fiat firmamentum in medio aquarum & dividat aquas ab aquis* Gen. *1*. v. 6. sunt ergò super cœlos aquæ? ita est. expandit in has desideriorum suorum vela David, dum Spiritu illo plenus, qui ferebatur super aquas, exclamat Ps. 148. v. 4. *aquæ omnes quæ super cœlos sunt laudent nomen Domini.* quodsi Oratorem aureum, quid sibi velint aquæ super cœlos, interrogemus, respondebit esse thesaurum divinum. quot guttæ sunt, tot gemmæ sunt collectæ à pœnitentium maxillis, absterget enim DEus omnem lacrymam Ap. 7. v. 17. *de aquis fletûs & pœnitentium* (verba sunt Chrysostomi) *lacrymis cantabo illud David*: *aquæ omnes quæ super cœlos sunt.* Ipse cœlorum Rex ut has augeret aquas & cumularet thesauros suos in terram descendit, & propter lacrymulæ vel unius guttulam exinanivit semetipsum, vendidit omnia quæ habuit, & emit margaritam pretiosam. Sententia hæc est Sancti Bernardini Senensis de dignitate animæ asserentis ideo à Verbo assumtam carnem, ut flere posset; unde prima infantuli divini actio fuit lacrymarum profusio: *vagit infans inter arcta conditus præsepia.* flevit in vita. *videns civitatem flevit super illam* Luc. 19. v. 41. Si toties flevit quoties vidit, audeo dicere, nunquam non flevit, totúmque illius vivere flere fuit, siquidem in oculis suis, dilectam civitatem tulit, in perpetua recordatione piissimè circumtulit, nec abire diem passus est, quo non repeteret omnes illos Psalmos, in quibus Jerusalem fit mentio, quorum numerum curiosa pietas invenit decimum tertium. Certè qui memor quotidie passionis suæ fuit, immemor Solymæ suæ esse non potuit. flevit denique cùm vitæ dicendum erat Vale, quod dixit *cum Clamore Valido & lacrymis* Hebr. 5. v. 7. audiamus dulcem dulcissimi nominis cultorem: *quia DEUS propriè plorare non poterat, propterea assumsit naturam humanam, ut posset plorare.*

§. 3. Spiritui Sancto quàm gratæ Lacrimæ.

Spiritus Sanctus jam inde à primordio mundi super aquas ferebatur, ut suos in lacrymas testaretur amores. ideo columbæ formam assumsit, quando super Dominum in fluento pœnitentiæ stantem visibiliter comparuit: *in specie columbæ visus est.* Marci 1. v. 10. ut constaret mundo, quantum Spiritui Sancto placeant gemitus & lacrymæ, qui etiam *gemitibus inenarrabilibus postulat & interpellat pro nobis* Rom. 8. v. 26. Et verò cur idem Spiritus Sanctus in specie ignitarum lingvarum Apostolis sese communicaverit, causa non ultima fuit, quòd exigeret ab Apostolis aquam lacrymarum, siquidem lingva ignea nihil magis appetit quàm aquam teste ipsomet Epulone in tormentis, qui Veritatem istam fatetur, dum extremum digiti, & qualis digiti? Scabiosi & ulcerosi, qualis erat Lazari, in aquas intingi, suámque refrigerari lingvam anhelat. Nisi placeat potius ingeniosa illa ratio, cur in lingvarum ignearum specie venerit Paraclitus, videlicet quia lacrymis pleni erant Apostoli, præ desiderio Spiritûs accipiendi, & præ dolore discessûs Christi. Fundatur hæc opinio in illa S. Guerrici sententia Serm. 2. de pentec. quâ utrumque complectitur conceptum Columbæ & Lingvæ. *Nescio an Spiritui Sancto gratior sit alia vox, quàm gemitus Columbæ* (ecce primum) *& puto quod neque in Aposto-*

postolis locum invenisset Paracleti consolatio, nisi quia lugebant (ecce secundum de igneis lingvis) *se esse desolatos*:

§. 4. Cur lacrimæ mulieribꝰ quandoq; prohibitæ.

Sed si tam grata Divinitati est nostra lacryma, cur Magdalenæ dicitur: *noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem* Joann. 20. v. 17. dedisset certè Magdalena lacrymas, cùm ungventum aliud præ manibus non habuerit, flevisset si tetigisset. Cur viduæ in Naim dicitur: *noli flere* Luc. 7. v. 13. cur lacrymæ piis mulieribus interdicuntur Luc. 23. v. 28. *nolite flere super me*? Ad hanc quæstionem ut respondeam, confero me ad ascendentem in cœlos Salvatorem ubi invenio relicta in lapide vestigia pedum, attonitos & aperto ore ac oculis in statuarum morem obrigescentes video Apostolos, & vocem insuper percipio Angelicam: *Viri Galilæi quid statis aspicientes in Cœlum? hic JESUS, qui assumtus est à vobis in cœlum sic veniet* Act. 1. v. 11. nihil ad ista respondetis ò Apostoli? pace vestrâ, ego pro vobis. Parcite boni Angeli, nullus hic Discipulorum defectus est reprehensione vestrâ dignus, imò amoris excessus est omni vestrâ commendatione dignissimus. ubi oculi, ibi amor. amatur unicè amor cordium JEsus, quid mirum si in abeuntem defigantur oculi, ut dent comitivam Dilecto oculi, cùm pedes non possint? Sinite Apostolos cœlum potiùs aspicere quàm terram, ut porrò terra sordeat, postquam cœli gloriam aspexerunt. Ipsi vos in faciem tam amabilem desideratis prospicere, num gratiam tantam clientibus vestris, imò fratribus vestris minorennibus invidetis? non tacent ad ista Angeli, sed facundè respondent, cùm tacent. audio quid dicant in aurem: negotium Domini nostri agimus, qui cùm hodie triumphi sui solennem in Cœlos ingressum celebrare debeat, detineri amplius à vobis non potest; vestri enim oculi lacrymarum pleni procedere non sinunt, & nisi nubem cœlum interponat, nec hodie nec cras intra cœlorum tecta se recipiet. nimis quàm adamat roridos vestros oculos, & plùs lacrymis vestris constringitur, quàm funibus Samson. Considerat hæc Augustinus & exclamat: *ò lacryma tua est potentia, vincis invincibilem, ligas omnipotentem* Serm. in Ps. 41. ideo Magdalena flere prohibetur, nè regressum in cœlum, & mulieres illæ Solymææ, nè progressum in opere redemtionis retardent; vidua verò Naimitica, nè omnes suscitare cogatur mortuos Dominus Vitæ.

§. 5. Lacrima extinguit infernum.

Arbitrium penes vos sit Auditores, uter Doctorum plus in lacrymarum laudem contulerit Petrus Cellensis dicendo: *Lacryma aut facit aut invenit paradisum*, an S. Bernardinus Senensis Serm. 2. de pass. Dom. *Si anima unius damnati posset habere unam guttam lacrymarum, DEus illam salvaret.* infelix ille helluo Luc. 16. dum ab Abraham vel unam aquæ guttam petit, totum sibi extingvi infernum volebat. equidem si totum mare in infernum influeret, scintillam unicam non sopiret, quid ergo gutta faciet? imò ait Petrus Cellens. lib. de pan. c. 15. non intellexit epulo aquam elementarem, sed pœnitentiæ guttulam salutarem: *parum petiit sed non impetravit, quia non aquam elementarem poscebat, sed guttulam lacrymarum, cujus tanta est vis, ut etiam valeat Gehennam exstingvere.* putabā hoc licere soli Christi Sangvini, quomodo ergò & lacrymæ privilegium Conceditur: respondet dubio meo S. Augustinus Serm. 11. ad fratres in Cremo: *lacryma est passionis Christi vicaria.* adeò sanctificavit Christus

lacrymam, ut constituerit sangvinis sui vicariam. potest vicarius per gratiam, quod principalis ejus per authoritatem debitam.

§. 6. Lacrima pœnitentiæ adimplet passionemChristi; ideo aqua cum sangvine profluxit è Latere.

Scandalizaret me illa Pauli sententia Coloss. 1. v. 24. *adimpleo ea quæ desunt passionum Christi*, nisi lumen ex dicta Augustini accepissem sententia adimplet ea Paulus quæ desunt; quid ergò deest passioni Christi? nunquid *copiosa est redemtio?* excessus est in omni genere infinitus? ad infinitum autem sicut nulla proportio est finiti, sic nec complementum passionis Christi potest esse mortificatio Pauli. at quis est, qui Doctorem istum gentium in ipsa universitate cœli tertii promotum arguat erroris? qui arcana verba audivit, arcana etiam locutus est, ideo adimplere se ait quæ desunt, quia sinè cooperatione nostra, sinè dolore & pœnitentia nostra non est efficax in nobis sangvis Christi. peccavit Petrus, peccavit Judas, pro utroque passus est Christus, sed quia Petrus lacrymas, dedit & *flevit amarè*, Judas lacrymas non dedit, idcirco non fuit Christi sangvis efficax in Juda, sicut in Petro. lacryma tua ò peccator facit tibi passionem Christi esse efficacem.

Matth. 26. v. 75.

Pulcrum mysterium, quòd ex latere Christi exierit sangvis & aqua juxtà oculati testis assertionem Joann. 19. v. 34. *exivit sangvis & aqua*, quasi sangvis Christi nolit esse sinè aqua, sitque certissimum signum in illis completæ & efficaciter applicatæ passionis Dominicæ, si conjungatur aqua cum sangvine. priùs sangvis, postea aqua, priùs Christi passio, postea nostra compassio, & syncerus de peccatis dolor. qui pro Christo dàre non pòtest sangvinem, fundat aquam & hanc illi commisceat. ipse Christus sangvinem non dedit sinè aqua. pulcrum iterum mysterium! si quæram ex Magno Cypriano qualis illa aqua sit, respondebit lacrymarum: *in oblatione pro redemtione mundi è latére Christi exivit sangvis & aqua, hoc est, sangvis & aqua lacrymarum.* lacrymas pœnitentium & dolentium in thesaurum cordis sui abscondit Christus, eásque commixtas sangvini suo Patri obtulit, & ut vicariæ passionis forent, impetravit. exauditus est pro sua reverentia, & tunc exauditus, quando preces obtulit cum lacrymis. Certè quòd aquam illam ex latere profluam lacrymarum aquam vocare potuerit Cyprianus gratiosum fundamentum in Ps. 55. invenio, ubi sic propheta: *posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.* alii vertunt: *in thesauris tuis.* Hebræus: *in utero tuo.* ubi thesaurus ibi cor, ubi cor, ibi oculi. lacrymas pœnitentis Davidis in utero, in pectore suo Christus posuit, eàsque cum sangvine obtulit, oblaturus & nostras. ò lacrymas pretiosas!

§. 7. Lacrima est Sponsa Spiritûs Sancti.

Hæc ipsissima causa est, cur Spiritus Sanctus dicatur pro nobis postulare *gemitibus inenarrabilibus*, non quòd ipse gemat, sed gemere nos faciat, ut pretium addat lacrymis. Dixit author ingeniosus tres Sponsas habere Spiritum Sanctum. prima est Virgo Virginum. Secunda, aqua baptismalis quæ nos Virgines facit. tertia, aqua lacrymarum, & hæc videtur Sponso quoque gratissima. *congregationes aquarum vocavit* MARIA Gen. 1. v. 10. *nomen Virginis MARIA* Luc. 1. v. ut videas, quomodo Spiritus Sanctus non contentus possidere MARIAM in Sponsam & viventium omnium matrem, aliam sibi insuper nascituris prolibus Sponsam addiderit Aquam baptismalem, de qua Veritas Joann. 3. v. 5. *nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non introibit in regnum DEi.* Desponsavit se MARIÆ ut in ejus visceribus efforma-

formaret humanitatem Verbo. Desponsavit se Aquæ baptismatis, ut reformaret humanitatem nostram & regeneraret adoptivos DEi filios. *nisi quis renatus fuerit.* quisquis à baptismate in mortale peccatum cadit, vitam gratiæ amittit, quam per baptismum recipere non potest, quid ergò faciet? ad Aquas lacrymarum deferendus & immergendus est, inde renascetur in spem filiorum, adeóque & tertiam hanc suam fœcundus salutis nostræ genitor, Sanctus Spiritus voluit habere Sponsam, aquam scilicet lacrymarum, quæ vicem obeunt baptismatis juxtà id S. Chrysostomi: *Anima lacrymis baptizatur.*

Chrysost. homil. 6. de pœnit.

§. 8. Lacrima baptismo efficacior.

Quin majorem nonnunquam conferunt gratiam, quàm baptisma ipsum juxtà id S. Bernardini Serm. 1. in Octav. Paschæ. *puriores aliquando exeunt mentes ab aqua lacrymarum, quàm aqua baptismali*, nam hæc primam gratiam communicat, illa autem & primam restituit, & novam insuper infundit, eóque largiorem quò ardentior fuerit cordis affectus. Largitas verò illa in eo consistit, quòd peccatori insuper palmam martyrii conferat, & ad altiorem dignitatis gradum evehat. primum asseruit Chrysostomus, secundum in lacrymante Petro demonstravit Ambrosius. ille verbis sequentibus: *si grandis est gloria Martyrum, cùm hi pro Christo sanguinem fundunt, non est minor gloria peccatorum, cùm hi pro Domino lacrymas spargunt.* quid clarius? iste verò lib. de pœnit. Petri: *Vide quantùm fletus profuit Petro: antequam fleret, lapsus est, postquam flevit, ereptus* (firmatus, & confirmandis fratribus Luc. 22. v. 32. destinatus) *est. ante lacrymas prævaricator extitit, qui post lacrymas est pastor assumtus: & alios regendos accepit, qui antea seipsum non rexit.* imò & Corollam Virginitatis in lacrymis probat iterum Chrysostomus, & Magdalenam statuit in exemplum.

S. Chrysost. in Ps. 50.

Non satis est Magdalenam suis baptizari in lacrymis. quid? interpellas, baptizari? itâ omninò reponit S. Laurentius Novariensis: *fontem traxit baptismatis de pedibus Salvatoris.* patrinus fuit Christus, qui eam de Sacro fonte levavit: *Vade in pace*: non defuit fax, quam Amor prætulit: *dilexit multum*; adfuit & unctio, quia *attulit alabastrum unguenti.* & quia adulta fuit fidem actualem elicuit: *fides tua te salvam fecit.* accepit nummum gratiarum, indulgentiam plenariam: *remittuntur ei peccata multa.* non satis, inquam, fuit Magdalenam baptizari in lacrymis, nisi & perditam Virginitatis aureolam reciperet in his aquis. loquatur os aureum: *accessit meretrix & facta est virgo; accessit lugens & facta est prima Virgo*, ideo in Litaniis omnibus Virginibus præponitur.

§. 9. Resolvitur primaria quæstio.

Satis jam de liquidis lacrymis, sed quid dicemus de siccis? sunt multæ animæ steriles, ad lacrymandum omninò ineptæ; vellent flere, non possunt. ex pumice aquam citiùs elicies, fontem aquarum ex silice Moyses priùs educet, quàm ut lacrymulæ guttulam suis ex oculis lucrentur. num tales infelices? imò verò terque quatérque felices, quia majus habent meritum, eò quòd careant solatio & fructu lacrymarum, quæ est voluptas quædam: *est quædam flere voluptas: lacrymæ meæ Solatia mea: bis pascor, bis recreor*, ait Symmachus lib. 9. Ep. 79. Deinde diutius servatur, quem alioquin lacrymæ exhauriunt: nam: *egeritur lacrymis digeritúrque dolor.* Indicium prætereà est intensissimi & virilis doloris, unde de Deipara, cujus contritio instar maris, ait Gregorius: *stantem lego, flentem non invenio.*

venio. Cœlum quamdiu atra sub nube prægnantem servat tempestatem, omnibus horrori est, posteaquam verò flere, pluere inquam, cœpit, bonam securuæ serenitatis spem facit. Similiter *post lacrymarum pluviás*, ùt habet S. Chrysostomus, *serenitas mentis atque tranquillitas*. Magni Basilii maximum est effatum; *novimus non paucos, vi, nè distillarent lacrymas sibi temperâsse, hi quidem in varios & immedicabiles affectus inciderunt, ceu sunt apoplexia & paralysis.* nimirùm ùt eleganter frater Basilii Gregorius Nyssenus: *vulnerum animæ tanquam sangvis lacrymæ sunt*; non illi soli Martyres, qui fuderunt sangvinem, sed magìs Martyres, qui suo suffocati in sangvine. Martyrium animæ est dolor siccus. dolet enim ob rem charam, & dolet se non dolere magìs. Sicco pede transire mare miraculum est, ausim dicere miraculum doloris est dolor siccus.

Homil. 47. in Matth. Basil. homil. de grat. act.

§. 10. Lacrima sicca superat liquidam.


Quare nemo desperet, nemo mœreat, quòd flere non possit. Perfecta contritio sinè lacrymis est, non requiritur ad perfectam pœnitentiam dolor sensibilis, sufficit voluntas aversa à peccato & detestans illud. Latro in cruce non flevit & citiùs quàm Magdalena obtinuit remissionem. publicanus non flevit & plusquam plorans Petrus à Christo laudatus est. Christus non nisi ter flevisse legitur, intensissimè tamen nunquam non doluit nostris de peccatis. DEus ipse defactò detestatur omnia peccata, & Sancti omnes cum illo peccata sua & aliorum, (quæ detestatio si in nobis foret, sufficeret ad nos Sanctificandos,) & tamen non flent neque flere possunt, quia DEus abstersit omnem lacrymam ab oculis eorum. Flevit Esau & gratiam non invenit, prout de eo Apostolus Hebr. c. 12. v. 17. *non invenit pœnitentiæ locum, quanquam cum lacrymis inquisisset eam.* Similiter flent multi crocodili lacrymas. lacryma terræ admixta fit lutum. Sordidantur lacrymæ, quæ vel ex futili causa funduntur, vel postquam fusæ sunt, seriam pœnitudinem & morum emendationem non inferunt. *qui admissum plangit, nec tamen desert, ante DEi oculos sordidas ipsas etiam lacrymas facit.* S. Gregorius 3. pastoral. adm. 31. de quibus Petrus Blesensis & Guil. Pepinus illud accipiunt Ps. 31. v. 6. *in diluvio aquarum multarum ad eum non approxinabunt.*

Non fidamus proinde lacrymis, sed dolori serio assvescamus & sæpè repetamus: Doleo Domine quòd toties impudenter peccando causa fuerim dolorum tuorum, & magìs doleo, quòd non satìs doleam, non satìs amem, quem tamen totis viribus amare desidero, & ecce conor! suppleant dolores tui defectum meum, & accipe odium illud tuum locò illius, quod non habeo, sicut deberem ac vellem. Peccavi! amplius dicere volo, sed non valeo: miserere! ah ampliùs lava! & miserere.

§. 11. Emblema.

Pro emblematio fingamus scriniolum regium gemmulis foris exornatum, intus verò unionibus & altissimi pretii clenodiis refertum cum lemmate: *quæque latent, meliora puta.* vel apud Chymicorum foculos profluentem aut evaporantem liquorem & spiritum perpendamus cum epigraphe: *quod manet, hoc melius.* Meliores lacrymæ sunt quæ latent in cordis penetralibus quàm quæ patent in genis; efficaciores lacrymæ sunt quæ ad focum Amoris servantur in evaporatorio pectoris, quàm quæ per oculos destillant ac evaporant.

PRO-



PROBLEMA XII.

Quis Situs Orantis optimus?

DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

Duo homines ascenderunt in templum, ut orarent.

Luc. 18. v. 10.

§. 1. Diversitas hodiernorum Oratorum.



Odierni duo Oratores quamvis in situ orandi similes sibi fuisse videantur, eò quòd de utroque dicatur, stantem oràsse: *Pharisæus stans hæc apud se orabat* v. 11. & *publicanus à longè stans* v. 13. nihilominus diversissima fuit utriusque compositio; Pharisæus enim cervice erectâ & oculis apertis, publicanus dejectâ & oculis humo affixis; ille manibus vel in altum jactatis, vel lateri suppositis, iste decussatis aut tundendo pectori cum impetu admotis; ille prope aram, iste proximus portæ consistebat, ideóque diversum omnino in orando gestum sitúmque observabant. Quo ex spectaculo problema mihi suboritur: quis in orando situs sit convenientissimus, sedentis an stantis? ambulantis, an flectentis, humíne jacentis? nullius situm reprehendam, sed in cujusvis laudem intendam, dummodo ab attentis intelligar.

§. 2. Sedendo orari posse probant exempla Sanctorũ.

Quòd sedendo orari possit, probat exemplum Davidis, approbat situs Christi orationem Dominicam in Monte præorantis: *sic ergò vos orabitis: Pater noster* Matth. 6. v. 9. comprobat toti' ecclesiæ tolerata consvetudo, quâ & Pontifices ad aram, & Monachi Canonicíque in Choro Davidicos Psalmos sedendo decantant. Davidem sedisse cùm satis prolixam ad DEum funderet orationem ex illis liquet Scripturæ verbis 2. Reg. 7. v. 18. *sedit coram Domino & dixit.* Quin & Rex Ninivitarum pœnitens alio situ usus non est, teste Jonâ c. 3. v. 6. *sedit in cinere.* Job. acceptissimas DEO preces obtulit non flectens, non jacens, sed sedens in sterquilinio Job. 2. v. 8. Dilecta quoque Sponsa subumbra illi9 quem desideraverat, non flexit, non jacuit, sed sedit. Cant. 2. v. 3. quin & dilectus ipse discipulos suos orare docens & orationem Dominicam præorans sedendo id fecit in monte. ait enim Euangelista Matth. 5. v. 1. *videns autem JESUS turbas, ascendit in montem, & cùm sedisset, accesserunt ad eum discipuli ejus, & aperiens os suum docebat eos.* inter præcipua verò doctrinæ continuâ serie traditæ capita fuit: *Sic ergò vos orabitis: Pater noster qui es in cœlis* Ibid. c. 6. v. 9. quin & ultimam orationem, quam in cœnaculo ad Patrem habuit, & Joannes toto cap. 17. fideliter consigna-

signavit, non flectens aut stans, sed sedens habuit, nec corpus à sede, sed oculos solùm in cœlum dicitur levâsse: *hæc locutus est JESUS & sublevatis oculis in cœlum dixit: Pater venit hora.* Verùm perfectissimum hunc orandi modum non esse inde liquet, quòd nec subditi coram Rege (nisi grandes Hispaniæ, aut pares Franciæ sint) nec mendicabula coram Mecœnate (nisi pedibus destituantur) stipem rogare soleant sedendo. Nemo Sinarum Regem, nisi de genu audet alloqui, nemo ad Imperatoris audientiam, nisi factâ ter priùs profundâ genuflexione admittitur, & DEum pejoris Conditionis esse putabimus? ut coram eo sedere & preces offerre non licitum modò sed perfectissimum putemus? sederit David, sed prolixitas orationis & corporis debilitas eum excusavit; sederit Sardanapalus, sed consvetudo gentium hoc illi indulsit, servabat enim illud Pythagoræ: *adoraturus sede.* sederit Job, invaletudo flectere non permisit; sederit Sponsa, langvor amoris id effecit; sederit Christus, sed docens in templo; sederit in monte & cœnaculo, sed circumstantiæ loci & temporis aliud non permiserunt; at verò Christianos vegetos & robustos, adde & peccatorum gravissimorum sibi conscios in templo coram exposito Venerabili sedere & oscitando preces offerre, prorsùs intolerabile est. Viginti quatuor seniores Apoc. 4. visâ Majestate Agni surgunt de throno, coronas capitibus demunt, procidunt, adorant, & tu juvencule, tu Vermicule, debebam dicere, tu haudmorate trunce sedebis, & tempore tremendi Sacrificii sedebis? sedere in cœlo voluit Lucifer & cecidit; & tu post tremendum Luciferi casum adhuc sedere præsumes? Authorem habeo, qui docet non teneri illum ad Missæ Sacrificium Dominicis festísque diebus audiendum, qui eidem aliter interesse non potest, quàm sedendo.

Bautius pag. 98. apud Henr. Engelgrav. p. 2. lucis Evang. Dominic. 9. post Pent. §. 2.

§. 3. Orare stando melius est, non tamen optimum.

Non est ergò perfectissimus orantis modus sessio. fortè statio erit? *Stationes* enim Romæ dicuntur loca Sacra, ad quæ Christiani orationis gratiâ convenientes jam inde â primis Christianismi temporibus ingenti Spiritualium gratiarum ex Ecclesiæ gazophylacio donantur copiâ; & hìc non flectitur sed statur, unde & *stationis* nomen desumtum est. Stat hodiernus cum Pharisæo publicanus, stat non flectit ad aram Sacerdos, & pro circumstantibus, non circumflectentibus deprecatur, nullibi enim in sacro missæ Canone invenies flectentes, sed circumstantes DEO commendari. Stantem orâsse Christum, cùm solenne illud *Confiteor* protulit Matth. 11. v. 25. *Confiteor tibi Pater Domine cœli & terræ*, & cùm Lazarum resuscitaturus infremuit Joann. 11. & sæpiùs aliàs sufficienter ex Evangelicis colligitur oraculis. Stare jubentur Christiani ad Evangelium in Sacrificio, ad *Benedictus* in laudibus, ad *Magnificat* in vesperis, *Nunc Dimittis* in Completorio; stantes orare paschali tempore jubentur in Nicæno 1. Num. 20. ob resurrectionis divinæ memoriam, & nostræ quam speramus resurrectionis expectationem. Stando oravit Judith ad lectum Holofernis *velut fiduciam habens in DEO* c. 13. Stantes Deo assistere ministrare & orare Angelos ex Apoc. 7. Daniel. 7. accepimus. Erit proinde optimus orandi situs statio. Verùm neque hunc hominibus peccatoribus in lacrymarum valle degentib⁹ convenientissimum esse situm vilissima nostra conditio & status præsentis ratio convincit. Stant Angeli, at nunquid tu par Angelis es? stetit per occasionem Christus,

stus,ut hunc orandi situm approbaret, non verò perfectissimum esse pronuntiaret, aliter enim eundem orâsse videmus, cùm in horto Olivarum misericordiam paternam exorare satagit. Stat ad aram Sacerdos, at nunquid semper stat? quoties eum genua profundissimè flectere rubricæ admonent! quoties sacratioribus temporibus monentem audimus: *Oremus, flectamus genua!* jubetur fateor nonnunquam stare populus, qui flexis genibus preces fundere, & divinis supponitur interesse, tum ob varietatis quæ gratissima est, delectationem tum ob singularis significationem mysterii, unde tamen nequaquam inferre licet, semper aut potissimo tempore standum. sed neque *Stationum* tituli antiquæ pietati quidquam præjudicant, ex quibus perseverantiam potiùs in oratione, & mentis ad DEUM erectionem illâ phrasi significamus, quàm situm decentissimum adstruimus. stare enim & de genibus dicimur, stare tanquam servi ad perficiendam DEi voluntatem accincti, ad perferendam pro DEo omnem calamitatem parati jubemur.

§. 4. Nec ambulando orare decentissimum est.

Audire hìc mihi aliquem videor, qui ex meis memet verbis arguat & convincat: si optimus orandi situs est, qui conditioni nostræ convenientissimus, ergò ambulando in hac vita perfectissimè orabitur, quamdiu enim vivimus, viatores sumus. ambulando Abraham Sanctissimam Trinitatem in trium Angelorum persona adoravit, séque pulverem professus est, etsi nec genu flecteret, nec prono corpore pulverem terræ lamberet; ambulando concepit David Psalmos illos, quorum titulus extat: *cùm fugeret à facie Absalon.* nec dubitandum de humillima Domini Ancilla ambulando per montana, magnificum illud canticum concinnâsse: *Magnificat anima mea Dominum.* At transeat ferventiùs quandoque ambulando quàm jacendo orari posse, certissimâ tamen constat experientiâ orationē quæ ambulando fit, plerúmq; fieri per transennam.

§. 5. Flectendo orare sanctum est.

Perfectior orandi situs est genuflexio, quàm suo à nobis jure Deus exigit Js. 45. *mihi curvabitur omne genu*, eáque lege post Filii DEi incarnationem ac mortem magis nos adstringi Paulus declarat: *in nomine JESU omne genu flectatur* Philip. 2. v. 10. non speret se exaudiendum à Patre, qui non orat in nomine Filii, nec nomen Filii sufficienti cum reverentia pronuntiat, qui genua non incurvat; clamat ad nos Pater, ut in nomine Filii genua flectamus, quem si nos clamorem non exaudimus, non obedimus, non flectimus, frustrà exaudiendos nos à Patre, eúmque nostris flectendum precibus speramus. Utrumque genu flexit Salomon 3. Reg. 8. *utrumque enim genu in terram fixerat*, utrumque genu Daniel. c. 6. flexisse legitur, utrumque Stephanus ùt observat Sanctus Augustinus Serm. 237. de temp. *positis genibus orabat*, utrumque Petrus Tabitam resuscitans Act. 9. utrumque Paulus Milesiis valedicens Act. 21. & Eph. 3. *flecto genua mea ad DEum Patrem Domini nostri JESU Christi.* flectit Camelus ut onera suscipiat, & homo non flectet, ut gratias æternas consequatur? Elephanto similes sunt, qui genua incurvare nesciunt, certè si humilitatis miculam, si fervoris scintillulam, si agnitionis divinæ stillulam haberemus, non genua tantùm, sed corpus totum submitteremus.

§. 6. Prono corpore orare perfectum est.

Corpore toto prostratus oravit frequenter David: *adhæsit pavimento anima mea* Ps. 118, & exemplo Regis aula urbs, regio tota: *adhæsit*

I in

in terra venter noster Ps. 43. quin & exemplo Davidis pœnitens Theodosius Imperator teste Baronio ante altare prostratus, lacrymis perfusus, singultibus tantùm non strangulatus veniam exoravit. Situs iste divinorum est Oratorum, ut adeò neminem cùm veteris, tum potissimùm novi testamenti Sanctorum inveniam, de quo legere non sit, quòd prono corpore adorârit. nimirum sciunt theodidacti DEUM non minùs ad parcendum pronum, quàm Leo sit, qui solet *parcere subjectis*. sciunt cœlestes aquas decurrere in valles & loca depressa, ibidémque colligi. sciunt & catellos, si loco & hero suo carere nolint, humi se prosternere & vel ab invitis gratiam eblandiri. Præstantissimum orandi situm (quis neget?) exemplo suo Homo-DEUS docuit, cùm in horto Olivarum Patrem adoravit, & quis ille orantis fuit habitus? *procidit in faciem suam super terram* Matt. 26. v. 39. qui sedet super Cherubim & ambulat super pennas ventorum, procidit super terram; qui cœlum & terram creavit in principio, & tribus digitis appendit molem terræ, procidit super terram! sub quo curvantur qui portant orbem, & cui omne genu flectitur cœlestium terrestrium & inferorum, procidit super terram! Observat hunc orationis situm Cæsarius Arelatensis & exclamat: Orat Misericordia, & non orat miseria? prostratus in terra orat Medicus, & non inclinatur ægrotus? orat Innocentia & non orat nequitia? orat qui peccatum non fecit, & non se posternit multis peccatis obnoxius? orat Judex & desiderat parcere, & non orat reus ut indulgentiam mereatur accipere? orat Judicaturus, & orare dissimulat judicandus? ah quantâ possumus reverentiâ modestiáque oremus, nè oratio fiat in peccatum, ùt hodierno facta est Pharisæo, néve mereamur aliquando projici, non dico super terram, sed infra terram, ad imum centrum terræ, ubi jacent æternúmque jacebunt in suppliciis, qui supplices DEO preces offerre in tempore opportuno noluerunt. DOMINI est terra, in terram cadamus, tunc præsertim cùm soli sumus, ut Paternis illius oculis placeamus, qui videt in abscondito. Misericordiâ Domini plena est terra, in terram cadamus si Misericordiam volumus invenire; terram amplectamur brachiis, basiemus labiis, si assequi cupimus regnum, non terrenum ut ille Junius Brutus de quo Livius l. 1. in fine, sed regnũ cœleste, ad quod viam monstravit qui vestigia sua terræ impressit piissimus Servator, ut cognoscamus in terra viam ejus & sequamur vestigia ejus. Cæsarium denuò perorantem audiamus: Vellem scire, qui nec genua flectunt, nec inclinare capita volunt, si aliquid sibi necessarium aut à judice, aut ab aliqua potenti persona expeterent, utrùm stantes & tecto capite, negligenter & tepidè supplicarent? rem terrenam ab homine terreno quærimus, & prope ad terram nos humiliter inclinamus; & à DEO remissionem peccatorum, & æternam requiem inquirentes, nec capita inclinare, nec genua submittere dignamur. hactenus ille Homil. 30.

Cæsar. homil. 29.

§. 7. Resolvitur Problema.

Verùm neque hunc ego humi jacentis situm semper & ubivis adhibendum censeo, neque aspernor ceteros, sed doctrinæ ter maximi in Spiritu Magistri & Patriarchæ Ignatii inhærens, illum unicuique situm convenientissimum esse pronuntio, qui feliciùs ad devotionem & finis intenti consecutionem conducit. Verba Sancti Doctoris sunt in aureo Exercitiorum libello Annotatione quartâ ad Exercitia melius agenda:

ipsam

ipsam aggrediar contemplationem nunc prostratus humi & pronus, aut supinus jacens, nunc sedens aut stans, & eo me componens modo quo sperem facilius id consequi quod opto. Ubi adverti hæc duo debent: primùm, quod si flexis genibus vel in alio quovis situ, voti compos fiam, nil requiram ultra. secundum quod in puncto, in quo assecutus fuero quæsitam devotionem, conquiescere debeo sine transcurrendi necessitate, donec mihi satisfecero.

Perquam ingeniosè observavit Sylveira, nullam ab Evangelistis mentionem fieri adorationis alicujus, quam Centurio pro servulo suo apud Dominum deprecaturus exhibuisset, sicut Archisynagogi aliorúmque pressissimis verbis meminere, quòd adoraverint & procidérint. Rationem dat, quia Centurio magnus erat in fide, teste Veritate: *non inveni tantam fidem in Israël*, debilis Archisynagogus. Fides magna interioribus charitatis, humilitatis, obedientiæ actibus contenta, de exterioribus adorationibus non multum curat neque agit. At ubi fides est valde tenuis ac remissa, hæc exteriora sibi quærit, ut illis interiorem defectum suppleat. Ita ille To. 3. l. 5. c. 11. q. 9. Num. 41.

Sit itaque fides magna, cui si experientia accedat majori te devotione affici cùm sedens quàm stans vel ambulans precaris, sede cum Davide, sed *coram Domino* in cujus te oculis versari memineris; si deambulando orationem melius succedere animadvertis, ambula sed cum Emauntinis discipulis, ut JESUM merearis Socium, è cujus præsentia cor tuum inardescat in via; si stando placet orare, sta per me licet, sed tanquam reus coram Judice, discipulus coram Magistro, coram Patre filius, Angelus coram Domino. Si pronum humi litare preces Divinus svadet Spiritus, humilia coram DEO, cum DEI Filio, animam tuam, memor illius in finem, quod in fine hodierni Evangelii Divina asseverat Veritas: *qui se* humi prostratus *humiliaverit, exaltabitur.*

§. 8. Emblema.

In Emblemate diversos orantium situs propono. Sit itaque inter lucidas nubes Thronus divinæ gloriæ Tetragrammate insignis, coram quo stant Angeli, jacent abjectis Coronis viceni quaterni Seniores; David prono corpore adorat, Salomon posito utroque genu orat, Ezechias in lectulo lectissimas fundit preces, Job in fimeto, Latro in patibulo exorat, Publicanus stans gratiam impetrat; inscribamus uniuscujusque situi: *suus cuique pulcher.* ille situs cuique pulcherrimus, quem svadet Amor, suggerit Fides, permittit necessitas.





PROBLEMA XIII.

Cur JESUS iverit per medium Decapoleos?

DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

Venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos
Marc. 7. v. 31.



IN quocunque situ viatorem DEUM hominem quæram, semper medium tenuisse invenio. si jacet, in medio duorum animalium Bethlehemi jacet; si sedet, in medio Doctorum Solymæ sedet; si stat, in medio discipulorum, imò
Joann. 1. v. 26. in medio populi stat teste Joanne Præcursore: *medius vestrûm stetit.* si recumbit, medius inter Apostolos recumbit, ità enim ipse de se in cœna ultima affirmat: *Ego autem in medio vestrûm sum,* si pendet, in me-
Luc. 22. v. 27. dio pendet latronum; si ambulat inter medios fines ambulat, ùt hodierno audivimus in Evangelio: *venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos.* atque ut ceteros Mediatoris nostri situs prætercam, placet solius Evangelii hodierni inhærere sententiæ, & cur per medios fines Decapoleos JEsus iverit, paucis investigare. Vocari hæc poterit quæstio Aurea, quia de aurea aget mediocritate.

§. 1. Nimietatem officere variis

Taceo ingeniosissima variorum Authorum super hac quæstione responsa, meum duntaxat depromere mihi liceat sensum, cur per medios fines Decapoleos Magister noster incesserit, ut auream in rebus omnibus nos doceret servare mediocritatem: sive enim per decapolim decadem divinorum præceptorum intelligamus, ut vult glossa interlinearis, sive cum Antonio Paduano decem illas Virtutes in Simeone Sacerdote Magno Eccli. 50. à v. 1. enumeratas accipiamus; illud nobis semper est observandum, ut nec in observatione Decalogi, nec in exercitio cujusvis virtutis, medium, exemplo Mediatoris nostri, excedamus. Luc. 5. *concluserunt Apostoli piscium multitudinem copiosam,* quam dum è longinquo spectat Sanctus Ambrosius in c. 5. Luc. exclamat: *Sed mihi cumulus iste suspectus est, nè plenitudine sui naves pœnè mergantur.* nimirùm & spicæ nimiæ faciliùs decidunt, & rami nimii arborem frangunt, & vela nimia navem mergunt, & cibi nimii valetudinem lædunt. dicebat non nemo Athenæo authore, cùm à lauto convivio surrexisset: si semper ità comedissem, modò non manducâssem. ipsa adeò Sanitas nimia periculosa est teste Hippocrate lib. 1. Apho.

probatur similitudinibus.

Apho. 3. & rationem dat, quia si summum attigit *non possunt corpora proficere in melius, reliquum est igitur, ut decidant in deterius.* & alibi: *plurimum atque repentè evacuare, vel replere, vel calefacere, vel refrigerare, sive quovis alio modo corpus movere periculosum, omne enim nimium naturæ inimicum.* Hispanus valetudine firmus, ut sanitatem augeret, purgationem sumsit, sed hac humores alterati morbum conciverunt, quem post dies paucos mors ipsa est secuta. moriturus itaque hoc sibi Epitaphium hispanicè incidi jussit: *Bene habebam, sed dum meliùs habere volui, hic jaceo.* & certè ex mente Hippocrat. lib. 2. Aph. 51. *non pura, hoc est, infirma corpora quantò plus nutries, tantò magis lædes.* unde Euripides: *morbos parit nimium, quod est mortalibus.* Quid sangvine nobilius, utilius, charius, sive ùt ait Petrus Blesensis Serm. 16. *quid amicabilius est humanæ naturæ quàm sangvis? quid jucundius homini quàm Virtus? virtus ergò quandoque minuenda est,* sicut sangvis.

Hipp. lib. 2. de rat. victûs.

§. 2. Divitem Evangelicum Copia facit inopem; & primorum concordiã Christianorum numerus turbat; & nimia dulcedo facit dissipere manna.

Ut cœlestis Magister nimietatem noxiam Discipulis dissvaderet, hominem prædivitem Luc. 11. proposuit, de quo eleganter D. Basilius apud Jansenium in concord. Evang. c. 85. in 12. Luc. *quis non misereatur hominis tantoperè obsessi implicatique & ipsâ agri felicitate infelicis, præsentibus bonis miseri, futuris miserioris. quid terra illi? segetes generat? non; sed gemitus. annonæne illi uberem messem congregant? nequaquam, nam curas, dolores, miserias angustias coacervat, non gaudet quòd domi omnia repleantur, sed pungitur animo ex affluxu divitiarum.* Primis Christianis erat cor unum, omnia omnibus communia, & tamen factum est murmur. cur? *crescente numero,* Act. 4. ùt notavit Dionysius Carthusianus in c. 6. Act. *quomodo in tam sancto collegio inventa est dissensio? respondendum quòd numero discipulorum crescente orta est murmuratio.* nemo inter eos malus, boni omnes, sed multitudine crescente nimietas ipsa pervertere poterat. quod enim ex natura sua bonum est, ab excessiva multitudine bonitate exui potest: *Fata secunda nimis, fata secunda minùs.* Ingens malorum initium est bonarum rerum copia inquit Philo lib. de Abr. hinc est cur DEus per Moysen Exod. 16. populo significârit, ut colligat unusquisque ex eo (manna videlicet) quantum sufficit. cur non amplius? an caritas erat? absit, sed scivit Moyses illud Phocyllidis: *quod nimium est, miserum est.* cavere voluit Moyses nauseam, quam tamen impedire non potuit, paulò post enim querulati sunt: *nauseat anima nostra,* vel ùt legit Oleaster: *anima nostra angustiis affecit se propter panem levissimum.* DEum bonum! quæ causa murmuris? panis quò levior, hoc melior. cibus iste delicatissimus, stomacho congruentissimus, prorsus medicus, facilis insuper acquisitu, exiguo labore parabilis, cur movet stomachum? vultis causam? Salomon insinuat: *panem de cœlo præstitisti eis omnem dulcedinem & omne delectamentum in se habentem.* quia omne excogitabile delectamentum habuit, nauseam ingessit, & quia omnis saporis svavitatem habuit, idcirco dissipuit. allegat hanc causam Apollinaris Scriptor antiquus apud Franc Zefirum in cat. *unum denique multiplex erat, neque dissimilis cibus ei, quo noster animus pascitur, qui cùm unus sit, multis viribus præstat.*

Numer. 21. v. 5.

Sap. 16. v. 20.

§. 3. Nimius favor exitiosus Amani.

Esther Assueri cor & oculos formâ ceperat adeò, ut Rex diceret, si dimidiam partem regni petieris, dabitur tibi. at illa hoc solum postulat, ut Rex veniat ad convivium,

& assumat secum Aman. quid plebejus Aman, inimicus Aman? hanccíne illa gratiam medietati regni præponit? DEUS tibi faveat Aman. gratia quia nimia est, suspecta est: honor iste quia excedit rationem statûs tui. vereor, nè te elevet supra statum & staturam. *favor ille*, inquit S. Ambrosius *suspectus est*, & ecce finem: *hostis & inimicus noster pessimus iste est* Aman Esth. 7. vix tam citò Crux te ò Aman extulisset, nisi ad convivium pedem intulisses.

§. 5. Petrus reprehenditur, scriba verò à Christo amandatur, quia plus nimio justi volebant esse.

Joann. 13. cœpit JEsus lavare pedes discipulorum. stupet inauditum exemplum Petrus & renuit, sed cùm severum audiret verbum, nè ad scopulum suam allideret naviculam, & æternæ naufragium faceret salutis, non tantùm pedes præbet, *sed manus & caput*. Subintrat hic Rupertus Abbas, & quærit, num hæc Petri actio laudabilis? & resolvit: *erravit Petrus*. at ego errorem non adverto. quòd enim ante non admiserit, comitatis fuit officium: quòd manus & caput offerat, charitatis est exemplum. Contentare vult Magistrum, assecurare salutis negotium, & habere magnam partem cum Christo. Ambrosius sanè lib. 3. de Sacram. c. 1. laudat utramque actionem: *vide fidem. quòd ante excusavit, humilitatis fuit, quòd posteà se obtulit, devotionis fidei.* Albertus Patavinus Serm. 5. in fer. 5. Maj. hebd. nodum solvit: *pedes suffecisset porrigere, sed ad extrema declinat, unde & excessum Petri Christus temperat*, & svaviter reprehendit, svaviter inquam, quia severiùs & graviùs à se amandat illum, qui Matth. 8. omnia sua obsequia Christo promittit, ad omnia quantumvis ardua promtissimum se offert, famulatum Christi, & admissionem in discipulorum numerum ardentissimè expetit: *accedens unus scriba ait illi: Magister, sequar te quocunque ieris.* sed Christus, non modò non acceptat obsequia, sed ùt vulpem malitiosam tractat: *vulpes foveas habent.* Domine si jubes omnes venire ad te, si deliciæ tuæ sunt esse cum filiis hominum, si tanto labore quæris ovem quæ perierat, cur hunc qui se ultrò offert, quique nec extraordinariâ & crebriùs repetitâ vocatione uti Petrus & Andreas, sed ultrò currit ad te, non admittis? non laudas? non amplecteris? sed insuper tam severè accipis? augetur insuper difficultas, quòd immediatè antè discipulorum alius ad Apostoli cum munus & sequelam Christi vocatus, cùm veniam ad exercendum misericordiæ, & pietatis opus, videlicet ad parentandum patri demortuo rogâsset, minimè obtinuerit, sed vetitus potiùs sit à Christo recedere. quænam igitur hæc partialitas est Salvatoris nostri? iste abire vult, nec permittitur, iste sequi vult, nec admittitur? Paschasius Ratbertus Abbas lib. 5. in Evang. utramque difficultatem solvit: quòd ire non permittat ad parentandum, causa est, quia dixerat juvenis: *permitte primùm*, hoc enim ei non primum esse debuerat sed secundum, quia prius est in prima legis tabula DEum diligere, *in secunda verò patrem honorare.* quòd autem Scribam repellat, tres causas assignat: *accessit non fide sed tantùm labiis dicendo: Magister sequar te.* Secundò, *vult sequi, non ut imitetur, sed ut de miraculis & virtutibus lucrum aut vanam quærat gloriam.* deinde quia excessit in promissis: *sequar te quocunque ieris*, si ad pœnas, in medios ignes & rotas iveris, & ego. si sangvinem spargas, corpus feris, aut feritate omni ferocioribus Judæis laniandum objicias, & ego. si per centum traharis tribunalia, si mille cruces conscendas, & ego. æqualis

lis tibi ero, & nec unguem latum discedam à vestigiis. hoc profectò fuit nimium, terminos transilis, mediocritatem excedis, alium tibi proinde quære Magistrum, ego te nolo discipulum, quia discipulus meus non est supra Magistrum: *iste nec suam perpendit mensuram nec Christi considerat celsitudinem, ignorans quid vel quantum inter se & illum esset. promittit quod nemo mortalium in hac vita potest.* Confirmat hunc discursum Petrus Chrysologus Serm. 19. *Decipit non accedit, qui promittit Dominum incautè sequi, sed ad omnia. dixisset cautius: sequar te. quocunque ieris sic dicit, qui inter se & Dominum, quid intersit, ignorat.*

Nimirum bene Sapiens Eccle. 7. v. 17. *noli esse justus multùm, neque plus sapias, quàm necesse est.* in quæ verba Divus Gregorius Nazianzenus: *nè magnoperè justus sis, nè supra modum sapias. nemo igitur sapientior sit, quàm convenit, nec lege exactior, nec luce splendidior, nec præcepto divino sublimior.* Legistarum Scitum est: *meliùs est pauca cautè agere, quàm multis interesse periculosè*, & proverbium commune: *Summum jus, summa injuria*, summa lex, summa malitia. non plus sapere quàm oportet, monet Sanctus Paulus Rom. 12. bene Martialis:

In authent. de tabell. Circa medium c. 4.

Quisquis plus nimio non sapit, ille sapit.

§. 6. Nisi Discretio Virtutes custodiat, facilè intereunt.

Secundo Reg. 4. v. 5. depingitur mors adolescentis regii Isboseth, cùm meridiaretur securus, & ostiaria purgans triticum pariter obdormiisset. tunc enimverò datâ portâ ruunt sicarii, & innocenti sangvine se contaminant. vigilâsset ostiaria, nihil sinistrum dormienti Regi accidisset, ab utroque dormiente periculum commune oritur & exitium. Quid ostiaria illa designet, observavit ex magno Gregorio Divus Bonaventura apud Sylveiram Tom. 4. lib. 6. c. 23. Num. 126. *Ostiariâ dormiente, Isboseth interficitur, quia dum discretionis sollicitudo cessaverit ad interficiendum animam malignis Spiritibus iter panditur.* Ostiaria ergò discretio est, cujus officium purgare triticum, & dimensurare. hac verò oscitante & dormiente direptionis & internecionis periculo anima exponitur.

Quare ut inoffenso pede semitam salutis teramus, inter medios fines decapoleos incedendum nobis meminerimus. Deficiunt ad sinistrum contra præceptum primum, qui neminem Sanctorum honorare & invocare volunt, nisi solum DEum, excedunt ad dextram, qui latriæ cultu adorare Deiparam, aut Sanctorum aliquem plusquam Duliæ cultu honorare præsumunt; deficiunt contra præceptum secundum ad sinistram, qui nunquam actionibus suis nomen divinum interponere, neque in locis inhonoris precatiunculam ad DEUM fundere solent; excedunt ad dextram, qui ad tertium quodque verbum JESU & MARIÆ nomina exclamant. & sic de præceptis ceteris discurramus, quorum fines transgredi nefas, per medios autem transire fines sacrosanctum est. in medio enim virtus, medium tenuêre beati; mediocritas non tantùm aurea est, sed omni pretiosior auro.

§. 7. Emblema

Pro Emblemate Icarum in aere volantem, Herculem in trivio stantem, Navim Scyllam inter & Charybdin properantem fingo & inscribo: *Medio tutissimus ibis.* Vel Oenopolam ponamus qui vinum in medio vasis contentum, tanquam optimum indigitat: *in medio virtus.* Vel Sagittam in scopi medio, sive centro spectemus & acclamemus: *medium tenuêre beati.*

PRO-



PROBLEMA XIV.

Quis uniuscujusque Proximus?

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

Et quis est meus proximus? Luc. 10. v. 29.

§. 1. Mereaturne Legisperitus laudem ob hanc Christo propositam quæstionem.

LAudem, an vituperium, præmiū an supplicium, amorem an odium Legisdoctor ob hanc Magistro cœlesti propositam quæstionem: *quis est meus proximus?* meruerit, controvertunt Doctores. Vituperio dignum pronuntiant Titus Bostrensis, Isidorus Pelusiota, Euthymius, Theophylactus & alii, eò quòd volens justificare seipsum philautiæ studio insolenter quæsierit: *& quis est meus proximus?* quasi diceret, ùt habet Isidorus: ostende mihi aliquem, qui tam magnus sit, ut possit mecum comparari; laudatus enim à Christo quòd rectè respondisset, insolescere mox cœpit, & sua inflari à scientia, neminémque sibi in virtute ac scientia parem existimare. usque adeò arduum est laudes proprias modestè ferre, atque ob auditas laudes vituperium non mereri. Benigniùs tamen de Legisperito hodierno sentiunt eminentissimi Cardinales Cajetanus & Toletus cum Barradio & Luca Burgensi, ajúntque Legistam hunc audito Domini responso totâ mente mutatum, & amore ac reverentiâ Christi incensum, simplici syncerόque affectu ex eodem sciscitatum fuisse, quis esset dicendus proximus, utrum videlicet Judæus Judæo, & non Samaritano, non Ethnico dicendus esset amicus, & vi legis illius Levit. 19. v. 18. *diliges amicum tuum,* Israelita solùm tanquam veri Dei cultor amore & beneficiis prosequendus, exclusis omnibus exteris & in hostium numero computatis, qui à veri DEi cultu essent alieni. Quam inter Legistas illius temporis controversam quæstionem cùm jurisperitus hodiernus ab Incarnata Sapientia resolvi petierit, præconio & præmio dignus videtur. ità illi. Verùm cùm ipsemet Salvator noster ob hanc propositam quæstionem nec laudârit nec vituperârit Legisdoctorem, laudibus quoque & vituperiis ejusdem supersedeo, & laudabilius quid ad æterni laudem Numinis gesturum me existimo, si piissimam hanc elucidavero quæstionem, quis unicuique mortali sit propinquissimus, quis propriè *proximus* censendus.

§. 2. Uxor non est proxima marito.

Non tam facilis hæc est quæstio à Legisperito proposita Magistro omnis scientiæ Christo, quàm esse videatur: *& quis est meus proximus?* si Adamum in paradiso inter-

terrogem, quis sit illius proximus, respondebit Evam esse, costam scilicet suam, adeóque conjugati singuli dicent consortem thalami titulo & jure *proximi* gaudere. at si ex viro simplici & recto sensum exquiram, quem pro proximo habeat, utrum uxorem suam? negabit hanc sibi esse proximam, quia delicata mulier ad fimetum non accessit, ulcera non tetigit, saniem non rasit, sed eminus stans dolorem dolori addidit, & tanquam una de stultis mulieribus locuta est. proximos suos vocat patientissimus Rex vermes ex ulceribus enatos, quos matris & sororis nomine compellat: *putredini dixi: pater meus es, mater* Job. 17. v. 14. *mea & soror mea, vermibus.* licèt hi mordeant, non tamen tam acerbè, sicut unica uxor mordet, quam ablatis liberis dæmon non sustulit, quia pejus ad torquendum me non habuit instrumentum. ò quot eandem cum Jobo cantilenam hodiéque habent repetere, quia damno suo coguntur experiri, nullum minùs titulum proximi, quàm uxores promereri. non sunt proximi, qui tecto & lecto, sed qui affectu sibi intimè appropinquant. proximum locus non facit & sensus, sed animus & consensus. proximus altari Pharisæus stare videbatur, & tamen quàm longissimè DEo judice ab altari distabat, vicinior illo fuit ad thronum gratiæ, qui eminùs ad ostium consistebat publicanus.

§. 3. Nec est ille proximus censendus qui loco vicinissimus. Sylveira tom. 2. lib. 4. c. 39. q. 9. S. Chrysol. Serm. 25.

Luc. 8. à v. 42. Marci 5. à v. 50. Matth. 9. à v. 20. dum piissimus JEsus ad instantiam Archisynagogi Jairi ad excitandam ejusdem filiam pergeret, mulier quædam fluxum sangvinis duodecim annis passa, quam S. Ambrosius putat fuisse Martham, alii Veronicam, alii Photinam, accessit ad vestimenti fimbriam, (quæ erat ex hyacinthino colore, mandaverat enim DEus Num. 25. v. 38. in angulis vestimentorum, similes apponi fimbrias, tanquam insignia sua, cujus præcepti sine dubio observantissimus fuerit DEi Filius) accessit, inquam, ad fimbriam, quia ùt ait Chrysologus: *in Christo nihil postremum credidit, & furto fidei summam rapuit de fimbriæ summitate Virtutem, felix fraus!* advertit hanc piam & laudabilem fraudem JEsus, & respiciens interrogat: *quis est qui me tetigit?* negant singuli, negant omnes, negantibus autem omnibus dixit Petrus, & qui cum illo erant: *Præceptor turbæ te comprimunt & affligunt, & dicis: quis me tetigit?* Luc. 8. v. 45. non acquievit Salvator, sed instructionis nostræ gratià asseruit: *tetigit me aliquis, nam ego novi Virtutem de me exisse.* optimè novit Christus, à qua fuisset contactus, erat enim totus oculus, ùt rursùm habet serm. 33. Ravennas Præsul, *qui post se supplicem sic videbat*, sed quærit tamen à quo tactus sit? cur hoc quærat, non quæro, illud potiùs scire cupio, quis in hoc passu fuerit Christo proximus, an turba comprimens, an mulier tangens, an Discipuli ad latus hærentes? à turba se negat Christus esse contactum, etsi Petrus dicat: *turbæ comprimunt te.* Vix dubium esse potest Hæmorrhoissam fuisse proximam, quam ipse denique vocat Filiam: *Confide filia, fides tua te salvam fecit.* Matth. 9. v. 22. ita multi Crucifixum tangunt ore, manibus, corpore toto, tangunt totum corpus Christi in Sacra Synaxi, & tamen non sunt proximi, imò si Augustino credimus, non tangunt, sed comprimunt: *corpus ergò Christi multi molestè premunt, pauci salubriter tangunt.* aliud est tangere aliud comprimere, aliud corpore, aliud animo proximum fieri; quæ propinquitas qua in re tandem consistat, nondum assequor, an in consangvinita- S. Augustin. Serm. 72. de temp.

K te aut

te, aut amicitia, cùm Christus Hæmorrhoissam vocando filiam sinè dubio declarârit esse proximam: petamus id rescire à Saulo, imò à genero Saulis Davide.

Davidem Sauli proximum definit Scriptura, ità loquente pijssimo Samuele ad Regem impium 1. Reg. 15. v. 28. *tradidi illud*, regnum, *proximo tuo meliori te.* & Davidi lugubris nænia à propheta canitur 2. Reg. 12. v. 11. *tollam uxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo, & dormiet cum uxoribus tuis in oculis solis hujus.* Verùm quis nescit propinquitatem ejusmodi odio, non amore, lacrymis & diris, non desideriis & amplexibus dignam *cave te à proximo tuo* monet Ecclesiasticus c. 9. v. 21. & Christus ipse: *cavete ab hominibus. inimici hominis domestici ejus.* Manet proinde adhuc irresoluta quæstio, quisnam sit proximus, quem non cavere, sed fovere, non fugere, sed amore prosequi debeamus.

Matth. 10. v. 17. & 36.

§. 4. Resolvitur quæstio.

Solutionem ab ipsomet Christo & quidem in Crucis Cathedra nudissimam Veritatem enunciante petamus. quis ò bone JESU tunc verè tibi proximus cùm in patibulo Crucis reverà incidisses in latrones? an non is qui in vulnera tua infudit oleum & vinum? sed quis ille? num aliquis ex consangvineis? num fortè ex Discipulis? respondet ipse ex Ps. 37. *amici mei & proximi mei adversum me appropinquaverunt & steterunt.* non pro me sed contra me egerunt, proximi mei vocari non meruerunt. neque latro de hoc honoris titulo gloriari debet, etsi gratiosum audiat promissum: *hodie mecum eris in paradiso.* facit enim contra latronem, quod Ps. 141. v. 5. canitur: *considerabam ad dextram, & non erat.* ubi ergò proximum inveniemus, quem diligat JEsus ùt seipsum? Secretarius Incarnatæ Sapientiæ prodit mysterium & favet responsû, dum ait: *Stabat juxta Crucem mater ejus.* illa fuit proxima, de qua in canticis cecinit Salomon juxta versionem Septuaginta: *veni proxima mea.* illa Samaritanum egit, pro oleo sangvinem, pro vino lacrymas, & quidem sangvineas in vulnera Crucifixi infudit, imò totum cor suum & animum in morientis os infudit. Verè Samaritana, imò plus quàm tota Samaria, misericordissima MARIA stetit juxta Crucem corpore, pependit in Cruce corde, & commorienti quà licuit commortua jure meritissimo amica & proxima appellatur. Proximus itaque cuique calamitoso est, qui consilio & auxilio eidem adest, auxiliatricem manum porrigit, vinum miserationis & oleum consolationis in vulnera infundit. Patet veritas ex hodierno Evangelio: neque enim femineis homuncionis vocantur proximi Sacerdos & Levita, etsi fortassis cognati & contribules fuerint, solus peregrinus Samarita, qui lavit vulnera obligávitque, & jumento suo impositum in pandochium deduxit, titulo proximi gaudet.

Joann. 19. v. 24. Cant. 4. v. 1.

Epulonis Evangelici proximus fuisset Lazarus, si bonam sceleratus ille Epulo in corpore suo venulam habuisset, experturus aliâ iterum occasione, quàm reverà Lazarus & non quinq; fratres ejus, non uxor, non liberi, quibus substantiam suam reliquerat, sed ab iisdem tanquam alienis (alieni enim sunt omnes liberi & consangvinei, quibus divitias relinquunt teste Psalte: *relinquent alienis divitias suas* Ps. 48.) penitùs est destitutus. Proximus proinde diviti pauper est, proximus sano infirmus est, proximus calamitoso fortunatus est, proximus defuncto vivus est, & sicut proxima corpori est umbra, sicut proxima diei nox, sicut proximus igni fumus, ità

ità calamitosus quisque juxtà phrasim Evangelicam bene habenti proximus censeri haberíque debet; ratio est, quia quisque afflictus in corde per suspiria, in ore per lamenta, in oculis per lacrymas habet auxiliatorem, quem desiderat & invocat cum Davide & Jobo: *sustinui, qui simul contristaretur, & non fuit, & qui consolaretur, & non inveni* Ps. 68. v. 21. ideóque verè proximus ille calamitoso est, qui vota miseri exaudit, & tempestivum impertit solatium.

§. 5. Qui opitulatur proximo, proximus fit DEO.

Sicut autem calamitoso proximus est is, quisquis opitulatur, ita vicissim mandat DEus, ut qui opitulari potest, egenum & pauperem habeat reverà pro proximo suo: *mandavit unicuique de proximo suo* Eccli 17. v. 12. unusquisque dictum sibi sciat: *curam illius habe*, quia Deus redditor est, & sibi fieri judicat, quidquid fit calamitoso, quin & similem illum sibi DEus æstimat, qui cum tribulato est in tribulatione, unde illa vox populi: *homo homini DEUS*; sicut enim secundum mandatum, quo jubemur proximum diligere tanquam nos ipsos, vocatur simile primo, ùt videre est Matth. 22. v. 29. ità & similis DEo censeri potest, qui propter DEum diligit proximum sicut seipsum.

§. 6. Samaritanus Judæum reverà proximum suum esse agnovit.

Monet proinde Chrysostomus in Ps. 142. *quando beneficio afficere oportuerit, sit omnis homo tibi propinquus.* oportet autem beneficio afficere, quandocunque miserum vides & facilè potes subvenire, *videlicet eum proximum nostrum esse intelligamus* clamat 3. Augustinus lib. 1. de Doctrina Christiana c. 30. *cui vel exhibendum est officium misericordiæ si indiget, vel exhibendum esset, si indigeret.* sicut enim membrum membro lege naturæ scriptâ in membris nostris succurrere tenetur, & ratione carentia bruta sibi invicem subvenire videmus, ità & nos, nè brutis brutiores simus, miserrimo cuique volentes lubentésque opitulemur, tanquam ille verè proximus noster sit, quisquis ope nostrâ maximè indiget. Docet id nos Samaritani exemplum, qui semianimem Judæum, quem alioquin cane pejùs & angve oderat, absque tergiversatione juvandum suscepit, quia eundem proximum suum esse existimavit. Poterat Samaritanus viso misero dicere: bone vir libenter te juvarem, sed non est tutum hic hærere diutiùs, periculum à latronibus imminet; at charitas audere fecit. poterat dicere: Vir bone in via ùt vides sum, non habeo unde vulnera lavem & obligem, modicum olei & vini pro mea refectiuncula est, nè fortè non sufficiat tibi & mihi; at charitas statim aliquid invenit, nec ad proprium interesse attendit. poterat ignorantiam artis prætendere: chirurgicam non didici. at ingeniosus est amor, scit quod non didicit, exercet quod non practicavit. non est enim speculativa charitas sed practica. cogitaverit Samaritanus: *jam proximus ardet Ucalegon.* hac horâ tibi, alterâ fortè mihi eadem obtinget calamitas. quare quod mihi fieri vellem, tibi faciam. Discamus à Samaritano misereri miseris, atque ut misericordiam consequamur, miseris succurramus & Paulo obediamus monenti: *induite ergò vos sicut electi Dei, Sancti, & dilecti viscera misericordiæ* Coloss. 3. v. 12. misericordiam induere ùt vestimentum debemus, nè nudi coram severo judice compareamus, hic enim teste Jacobo c. 2. v. 13. *judicium sinè misericordia illi, qui non fecerit misericordiam.* misericordia vestis nuptialis est, tunica Christi inconsutilis est, velum Veronicæ, sindon Josephi, purpura Regis amorum est, alba non illusi, sed honorati JESU est,

est, quæ nos declarat cœli esse candidatos. misericordia testabitur nos DEi sapientiæ præcognitos, à massa perdendorum separatos, ad vitam æternam præordinatos. Hæc Anselmus innixus verbis Psalmi 40. *beatus qui intelligit super egenum & pauperem, in die mala liberabit eum Dominus.* non videbit diem malam, ait S. Petrus Chrysologus homil. 14. qui dies bonos pauperem habere fecit. in angustiis illum DEus clamantem audiet, quia pauperem cùm clamaret, audivit.

§. 7. Ille est proximus, qui est miserrimus. Ex his omnibus facile erit animadvertere propinquum illum censeri, qui miser & alienæ opis indigus, & consequenter illum esse proximum extra controversiam appellandum, qui est omnium miserrimus. at quis ille? de tribus potissimùm generibus hominum institui potest quæstio, Videlicet vivis, morientibus, mortuis. Vivos mortuis miseriores esse censuit Bertrandus, ùt in vita S. Dominici legere est apud Surium, illâ fortassis Salomonis inductus sententiâ: *laudavi magis mortuos quàm viventes, & feliciorem utroque judicavi, qui necdum natus est.* Eccl. 4. v. 3. Si ergò feliciores sunt mortui vivis, miseriores isti & propinquiores debent censeri. qua de causa Bertrandus rarò pro mortuis preces & piacularem hostiam litare solebat, vivorum potiùs saluti per preces & hostias procurandæ intentus, eò quòd animæ purgantes salutis suæ certitudinem haberent. Oggerebant Bertrando Consodales religiosi: cui Bertrande opitulari mavis pauperi qui circumit stipem erogans, an verò qui grabato affixus nequit se loco movere? quibus rationibus, cùm nondum convinceretur Bertrandus, pœne opus habuit Aristotelico erudiri argumento. nocte enim quâdam à defunctorum non nemine fasce lignorum direè compressus resipuit, próque defunctis Sanctam & salubrem suscipere cœpit cogitationem. Certè qui tormenta purgantis carceris vel obiter expendit, facilè in eam abibit sententiam, defunctos omnibus viventibus esse sinè comparatione miseriores opísque nostræ egentiores. Est enim ignis ille unus idémque cum infernali, nec alia nisi durationis est diversitas, ac proinde omnes vitæ hujus pœnas incomparabiliter exuperat. *gravior erit ille ignis*, inquit S. Augustinus in Ps. 37. *quàm quidquid homo potest pati in hac vita.* atrociores purgatorii cruciatus sunt, quàm quos Christ' sustinuit, teste D. Thoma p. 3. q. 46. a. 6. ad 3. immaniora purgatorii tormenta sunt quàm mortalis possit oculus conspicere, tyrannicum quodvis ingenium concipere, universa carnificum ferocia conficere. SS. Hilario, Anselmo, Bernardo credo ità conclamantibus: *intolerabilior erit ignis purgatorius omnibus quæ in hac vita conspici vel concipi possunt tormentis.* & neget quis purgatorii animas commiseratione esse dignissimas?

§. 8. Agónizantes censendi sunt miserrimi adeoque nostri proximi. Facile proinde concesserim miserrimis quibusque mortalibus longè miserabiliorem esse quamcunque purgatorii animulam, adeóque præ Vivis *proximi* titulo & efficaci commiseratione dignandam. at nunquid & morientibus miseriores sunt mortui, adeóque pro his potiùs quàm pro illis orandum? istud enimverò nego pernegóque, & indubitatè adstruo morientes miserabiliores esse mortuis, atque idcirco suffragiis nostris jure proximatûs digniores. ad quod adstruendum illo potissimùm inducor motivo, quòd piacularibus flammis addictæ animæ de æterna salute sua securæ, nullis dæmonum insidiis obnoxiæ, nullis peccandi periculis expositæ, sed insuper vivorum suffragiis

giis cumulentur plurimis, Angelorum solatiis recreentur creberrimis, certâ insuper propinquioris beatitudinis spe abundantissimè afficiantur. at verò agonizantes ter miserrimi in utriusque bivio æternitatis constituti, destituti omni omnino solatio, & imminentis insuper judicii horrore attoniti præteritæ vitæ noxis excarnificati, horridis dæmonum spectris perculsi, & mille insidiis circumsepti proximum adeunt salutis suæ quantumvis probè vixerint discrimen. heu mihi quanti ibi angores, timores, mœrores, à quibus nec Incarnata Sanctitas libera fuit! Heu mihi, quanta ibi syrtes, scyllæ, charybdes, in quibus innumeri naufragaverunt! Heu mihi, quos audio gemitus, lamenta, vociferationes! quas non voces exaudio Hilarionum, Agathonum, Bernardorum, & quorum non? *egredere anima mea! egredere! quid times?* clamat Hilarion: *formido exire & in ipso contremisco portûs ingressu*, exclamat Bernardus: *judicia DEi abyssus* conclamat Agatho, *quia quæ hominibus videbantur optima, coram DEO damnationem merentur.* quem ista non movent? horribilius est quod audio, dæmonum videlicet tantam esse multitudinem, nullum non moventium lapidem ad tetrum damnationis calculum procurandum, ut numerus pœnè fidem excedat. Bonnensis Prælatus in agone professus est teste Cæsario pluribus se cinctum dæmonibus, quàm in vicino refertissimo horreo culmi sint. in Cunonis Malburgensis obitu, quindecim dæmonum millia teste eodem Cæsario numerata sunt. in Gevardi Abbatis verò plures comparuêre diaboli, quàm essent arenulæ in littore maris. in S. Eusebii agone tot támque horribilia teste Cyrillo adfuêre spectra, ut omnes pœnas respectu visionis illius nihil esse Eusebius asseveraret. Si nec Hercules contra duos, quomodo agonizans sibi relictus solus contra tot millia? ah! clamorem eorum miserorum agonothetarum, quem sudor fatalis totius corporis, quem natantes in morte oculi, quem cordifragi singultus, quem miserandæ gesticulationes, quem hiantia ora proloquuntur, & os aureum consignat, exaudiamus: *Valete amici mei, & DEum pro me exorate. iter enim perago extraneum, quod nunqnam ambulavi, & in Regionem longinquam, quam nunquam vidi, & in alterum sæculum; unde nullus reversus est, & in mansiones metuendas, ad quas nullus me comitatur, & antè judicem terribilem, ubi nescio quid mihi contingat. ecce quæro adjutorem, & nullus est, qui eripiat: quæro qui me comitetur, & nullus mihi compatitur.*

Cæsar. lib. 5. c. 8.

Cyrill. ep. ad Augustum.

S. Chrysost. orat. de patient.

Compatiamnr & concludamus: omnis agonizans est meus proximus, quia mortalium est miserrimus. omnis agonizans meus est proximus, quia opis meæ egentissimus avidissimúsque. omnis agonizans proximus meus est, quia suum me relinquit hæredem, & supremo me affatur anhelitu. cras tibi, hodie mihi, imò hac horâ mihi, sequenti tibi.

§. 9. Quisque proximum se morituro, & proximè moriturum cogitet.

Pro Emblematio Umbram Corpori individuè adhærentem, in Umbra verò Mortem effigio ac inscribo: *sua cuilibet Umbra proxima.*

Mors Umbra est; sequitur, præit, aut comitatur euntem,
Umbram te donec fecerit Umbra suam.




PROBLEMA XV.

Decem Quæstiones super Decem Leprosis.

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

Occurrerunt ei decem viri leprosi. Luc. 17. v. 12.

§. I. Quæstio I. Cur leprosi potiùs quàm alii ægroti, & quidem decem occurrant.



Cùm decem leprosos Christo occurrentes aspicio, decem pariter quæstiones de iisdem mihi occurrunt, quæ Evangelicam nō modicè elucidant historiam. & inprimìs quidem: cur leprosi potiùs quàm aliis symptomatis affecti, eo insuper in numero, quem Crux sive littera X. exprimit, Salvatori occurrunt? est lepra vivacissimum peccati Symbolum, ideóque ad hoc expiandum sæpius à vindice DEO immissa legitur. Contra primum Decalogi mandatum deliquerat Rex Ozias, Sacrilegas manus Sacratissimis aris admovendo, & leprâ extemplò percussus est 2. paral. 26. contra secundum & quartum Maria soror Moysis irreverenti murmure exerrârat, & leprâ culpam septiduo luit Num. 12. contra quintum crudelis Joab egerat, innocentes Abner & Amasam interimendo, ideóque à Regum mansuetissimo universa Joabi posteritas anathemate percussa est: *veniat super caput Joab & super omnem domum patris ejus, nec deficiat de domo Joab leprosus* 2. Reg. 3. v. 29. in septimum præceptum Simoniacus Giezi sordidè impegerat, ínque pœnam ab Elisæo audiit: *sed & lepra Naaman adhærebit tibi & semini tuo usque in sempiternum* 4. Reg. 5. v. adhæret peccatoribus lepra tanquam hedera viti, aut signum rei quam significat. est enimverò lepra, ùt dixi, Symbolum peccati. abominabile est corpus leprâ infectum, abominabilior anima peccato sordidata. unde D. Augustinus in meditat. dicere non dubitat: *plus vitanda est sola peccati fœditas, quàm qualibet tormentornm immanitas.* fœtet corpus leprosum: fœtet plùs corpore anima *impius abominabilis est & inutilis,* vel ùt alii legunt: *fœtidus est & malè olens* Job. 15. v. 10. *tolerabilior est canis putidus fœtens hominibus, quàm anima peccatoris DEo* Hugo lib. de conf. corpus leprosum omni decôre spoliatur, anima omnibus gratiis exuitur: *omnis lapis pretiosus operimentum tuum perfectus decore, in deliciis paradisi, donec inventa est iniquitas in te* Ezeh. 28. v. 12. leproso vox rauca, respiratio difficilis, halitus gravis: anima peccatrix in blasphemias, convitia, turpia colloquia effunditur, ad laudes Dei rau-

raucescit, attrahere Spiritum S. nescit, fœtorem halat & pestem. in leproso sensus paulatim pereunt, & cutis præ stupore nec aciculam aut ferventem aquam sentit: anima leprosa friget ad opera bona & affectus sanctos, per torporem, caligat per gratiæ subtractionem, obsurdescit ad divinas inspirationes, itáque obstupescit, ut conscientiæ stimulos vix ultra sentiat. fateatur Augustinus lepram suam lib. soliloq. *cæcus eram, surdus & insensibilis, quia nec bonum discernebam, nec malum fugiebam, nec dolorem vulnerum sentiebam, nec tenebras meas videbam. vulneraverunt me & non dolui, traxerunt me & non sensi.* defluunt in leproso pili ex mento, palpebris, capite; finduntur, dilacerantúrque ungves; virulenta ulcera cum molestissimo pruritu in plerisque corporis partibus excrescunt & excavantur; in anima peccatrice omnes bonæ cogitationes defluunt, omnis cura salutis disrumpitur, plurima & fœtidissima novorum scelerum nascuntur ulcera, & novorum flagitiorum excitant pruritum. *attende pœnam malorum* ait Ruffinus in v. 12. Ps. 57. *etiam inter suas voluptates. Sic se DEus in præsenti à malis vindicat, eósque ipsis suis vitiis flagellat, ut nemo sit, qui sub onere idolorum suorum non gemat.* de corde peccatoris eleganter S. Ambrosius lib. de fuga Sæculi c. 7. *nequitiæ vestigiis proculcatur, stimulatur ungvibus, processu quodam improbitatis incrementóque concutitur.* Occurrunt proinde omnium eorum nomine, qui decem DEi verba seu mandata violant, decem leprosi, universitatem delinquentium in hoc numero denario, ex quo ceteri conflantur numeri, repræsentant. quin & ipso innumero spem bonam concipiunt fore, ut virtute crucis Dominicæ, quæ per denarium significatur, lepræ suæ emundationem optatissimè consequantur. nec sinè acumine vocantur *viri leprosi*, ut ex fortiori sexu illi designentur peccatores, qui ex malitia & contumacia, non ex fragilitate humana leges DEi transgrediuntur. Et jam quæstio de decem una soluta est, *novem ubi sunt*? videlicet, quis denos hósce leprosos in societatem coadunârit? cur simul omnes, & non seorsim singuli preces suas obtulerint? cur non alio quàm Præceptoris titulo Salvatorem condecoraverint? cur à longè steterint? cur ad Sacerdotes ire jussi? inter eundum persanati? à recepta sanitate novem ad gratias dicendas regressi non sint? is autem qui solus omnium in accepti mnemosynon beneficii sese ad pedes Salvatoris prociduus stitit, alienigena à Christo vocitetur? neque ad Sacerdotes ampliùs remittatur? quarum responsa quæstionum ubi brevissimè attulero, licebit ex Salvatoris ore Auditori aulico dicere: *surge, vade.*

§. 2. Quæstio Secunda quis leprosos consociârit.

1. Regum 22. v. 2. de Davide scribitur convenisse ad eum omnes afflictos variísque calamitatibus vexatos, ut ex Societate Davidis Solatium invenirent, nam juxta commune adagium: *solamen miseris socios habuisse dolorum.* imò ut Davidem in suum constituerent Ducem, sub cujus auspiciis feliciter contra adversitates decertarent: *Convenerant ad eum omnes, qui erant in angustiis & amaro animo, & factus est eorum princeps.* Quis tot Davidi milites conscripsit & authoravit? non pecunia, non tubæ & tympana, non fortuna Davidica, quæ eâ tempestate fugitivum Davidem acerrimè insectabatur, sed Calamitas seu tribulatio milites Davidicos collegit, in cohortes composuit, in legiones ordinavit, in exercitum armavit. Similiter Calamitas similis de-

decadem leprosorum combinavit, ut pro decurione suo vellent habere Christum, quem Isaias depinxit *quasi leprosum, percussum à DEO, Virum dolorum scientem infirmitates.*
Is. 53. v. 4. Calamitas hunc in se continet magnetismum, ut discordes concordet animos, uniat divisos, congreget dispersos.

In arca Noë ingens erat animalium Concordia, quæ alioquin congenitam adversùs se discordiam alebant. non persequebatur musculum felis, non felem canis, non canem leo, non leonem draco, sed ingens erat omnium consensio pax & unitas, quam ex præsenti discebant calamitate. *Orbis Calamitas* inquit S. Bruno de laudibus Ecclesiæ *eodem in pabulo omnes pacificavit.* pro Arca Noëmitica nobis Crux Christi est, ad quam nisi unanimes Congregemur, omnibus Noëticis animantibus deteriores sumus. Quin idcirco Noëmus noster JEsus calamitates in urbem aut regionem integram immittit, ut in unitatem charitatis congreget dissidentes.

Magnus Ægypti prorex Josephus fratribus suis domum paternam revisuris hæc documenta dedit: *proficiscentibus ait, nè irascamini in via* Gen. 45. v. 24. cur reducibus prudentissimus prorex mandet Concordiam, causam reddit S. Ambrosius lib. de Joseph. c. 13. quia ex pristina calamitate evaserant, multáque per Josephum prosperitate erant recreati, pronum igitur erat, eosdem in discordiam degenerare sicut enim Calamitas Concordes, ita discordes facit prosperitas: *Reduces erant saturi & donis pleni, quod etiam amantes sui posset separare germanos.* Quin & leprosi hodierni, quamdiu miseri, tamdiu Concordes, quàm primùm verò depulsâ leprâ prosperitatem degustare cœperunt, decadem mox suam Concordiámque dissolverunt.

Concordes adhuc videamus, unâque voce clamantes audiamus: *JEsu præceptor miserere!* non orat unusquisque pro se, sed omnes pro singulis, ut facilius feliciúsque exaudiantur. *hæc vis DEO grata est* inquit S. Chrysostomus, si videlicet multi simul postulent. nam ùt divinè scripsit Ambrosius: *multorum preces impossibile est contemni.* Joann. 4. Rogat JEsum regulus, descenderet & sanaret filium ejus. at Christus severo supercilio illum reprehendit, & non descendit: *nisi signa & prodigia videritis, non creditis.* Matth. 8. rogat Centurio pro puero suo paralytico; & mox Christus: *ego veniam & curabo eum.* Cur in domum Reguli rogatus venire renuit? in domum Centurionis non invitatus descendere dignatur: *ego veniam*! nimirùm Regulus venerat solus, at verò Centurio misit ad eum seniores, rogans eum Luc. 7. v. 5. *quod unius orationi non conceditur, multi extorquent. Amat DEus ut multi rogent* inquit idem Ambrosius l. 2. de pœnit. c. 10.

§. 3. Quæstio Vertia Cur simul oraverint.

S. Chrys. Orat. 4. de natura Dei S. Ambr. l. de pœnit.

Luc. 11. petit egenus quidam à vicino suo nocte concubiâ tres panes. cur unus non sufficit? respondet Sylveira, quia citiùs se tres quàm unum impetraturum præsagiebat, cùm enim tres petit, non pro se solo sed pro pluribus tacito eorum nomine postulat, novítque genium vicini sui, qui citiùs exaudit eum, qui pro aliis, quàm qui pro se solo divina munera efflagitat. Qui DEum orat pro proximo, etiam pro se orat, multúmque sui profectum assequitur.

Matth. 26. ingressus hortum Gethsemani Christus selectos Discipulos tres affatur: *sustinete hìc & vigilate mecum.* tum progressus orat Patrem, ut Calicem amarissimum

mum ab amanti filio transferri patiatur, verùm cùm nihil se proficere videret, redit ad discipulos & orare jubet, *ut collaboretis mecum in orationibus*, inquit Christi nomine Origenes apud D. Thom. in cat. quo divinissimo documento erudire nos Christus voluit, dari id multorum precibus, quod uni etiam charissimo negatur. eleganter S. Chrysostomus in 2. Cor. 1. *DEus frequenter reveretur multitudinem unanimem & consentientem in precando, ut veluti pudore victus non ausit illi negare.* Fortè nec hodierni leprosi exauditi fuissent, nisi corde & ore uniti sanitatem postulâssent.

§. 4. Quæstio quarta cur Præceptorem vocent.

Clamant proinde unâ voce & Præceptorem inclamant: *JESU Præceptor miserere nostri.* Præceptorem vocant, non *Filium Davidis* cum cæco Bartimæo & Chananæa Matth. 10. v. 47. non *Sanctum DEi* uti dæmon Luc. 4. v. 34. non *Agnum DEi* uti innocens Joannes Joann. 1. v. 29. non *Filium DEi vivi* uti Petrus Matth. 16. non *Regem Israel* ùt Nathanael Joann. 1. v. 49. quia Præceptoris hujus ambiunt esse discipuli parati jurare in verba Magistri. Præceptorem appellant, quia peccatores sese & plagâ dignos confitentur, qui decalogum & præcepta supremi *Præceptoris* violârunt. Præceptorem nuncupant, quia pro optatissimo *Recipe* & lepræ antidoto, unicum verbum Salutis seu *Præcipe* expectant, certissimò sibi persvadentes, quòd illius dicere perinde sit ac facere, neque alio opus sit pharmaco, quo sanitatem recipiant, quàm ut præceptorem agat JEsus, & præcipiat lepræ abitum, reditum sanitati. Præceptorem agnominant, quia ad præcepta illius accuratiùs observanda posthac obsequentissimè sese offerunt ituri cum Naamano in Jordanem aut cum Jona in ventrem ceti. Denique Præceptorem invocant, ut hac nomenclaturâ commoneant ad opere implendum quod JEsus de se prædicabat, venisse nimirum se ad salutem ægris conferendam. audierant enim de se dicentem: *Spiritus Domini super me evangelizare pauperibus misit me, sanare contritos corde, prædicare captivis remissionem* Luc. 4. v. 18. ille nimirùm verus Præceptor est, qui quod prædicat, ipsemet exequitur.

§. 5. Opere potius docendum quàm ore.

Sapientissimè dixit Seneca ep. 75. *philosophia non est in verbis sed in rebus.* non præcipit sed decipit, qui solo ore & non opere agit præceptorem. Ridicula lex est, quam suo Legislator pessumdat scandalo. cancrum agit in fabula, qui aliter agit quàm doceat. Subjungit proinde Seneca ep. 108. *sic ista dicamus, ut quæ fuerunt verba, sint opera.* non minùs eruditè Isidorus Pelusiota scripsit: *fabulæ videntur verba sinè operibus*, & D. Gregorius; *cum imperio docetur, quod priùs agitur quàm doceatur.* hinc Salvator loquebatur *tanquam potestatem habens, & non sicut scribæ*, erat enim imperator animorum, cùm esset Doctor realis non verbalis. *Non tam linguâ quàm vitâ erudias, non tam disseras magna quàm facias*, inquit S. Paulinus ad Jovium, & D. Hieronymus contra Jovin. lib. 2. *licèt sermone taceamus, habitu loquamur & gestu.* Verba sinè operibus vocat Gregorius Nyssenus *picturas inanes verissimis rebus oppositas*, quas picturas supremus inspector igni aliquando adjudicabit. quin potius pictores in hoc imitandi sunt, qui non tam ore docent, quàm manu ùt canit Gregorius Naz. in jambicis:

S. Isid. Pelus. ep. 714

S. Greg. 23. moral. c. 7.

Luc. 7. v. 19

Greg. Nyss. Orat. de paupert.

Doctrina rebus instruit,
Vel nè doceto, vel doceto moribus
Sermone non tam, quàm manu pictor docet.

Idem Gregorius Orat. 1. de Theologia præceptores illos pro deridiculo habet, qui ore docent non opere, quasi gladium gererent in lingva, non in manu. *quid manibus vinctis lingvam armamus*? Gemino huic Gregorio Nysseno & Nazianzeno accedit tertius Gregorius Pontifex Maximus, monens ut præceptor, si docere vult feliciter, doceat die suo, suo videlicet exemplo: *quod bellum Doctoris est aliud quàm quod lingva conficitur? in die autem suo pugnat, qui verba prædicationis ex propria trahit luce virtutis.* De Ecclesiæ Catholicæ filiis dixit proverbialiter Sapiens. *omnes domestici ejus vestiti sunt duplicibus*, si quæras quænam illa dupla vestis sit, respondebit Rabanus esse unam operis, alteram mentis, seu doctrinæ, utramque nisi præceptor habeat, cum authoritate minimè docet, *perdit* enim *authoritatem docendi, cujus sermo opere destruitur*, inquit D. Hieronymus ep. 83. cui consonat illud Primasii in c. 1. ad Galat. *non potes ædificare eum, cui non placueris per exemplum; quia nequeunt ædificari verbis, qui destruuntur exemplis.* D. Basilium basilicè commendat Gregorius Nazianzenus, quòd præceptoris nomen meritò obtinuerit, & quidquid svasit persvaserit, nec tam svaserit quàm præceperit, quia opere priùs docuit quàm ore: *Tonitruum erat Oratio quia vita fulgur.* tonabat ore quia fulminabat opere, & priùs lucebat vitâ, quàm tonaret lingvâ. aliâ phrasi nec minùs ingeniosâ idem Nazianzenus D. Athanasium commendat, quòd ea quæ diceret è pulpito, obsignaret vitæ sigillo, ut oratio velut epistola aut decretum regium majoris esset authoritatis: *Sigillo vitæ utens.* hoc Sigillo, hoc Tonitruo, hâc Veste duplici, hoc Gladio usus est JEsus, qui opere magis præcepit, quàm verbo, ideoque meritissimò à leprosis *Præceptor* est appellatus.

S. Gregorius lib. 5. c. ult. in 1. Reg.

Naz. Orat. 70. de laud. Basil.

§. 6. Quæstio quinta Cur steterint à longè.

Cujus Præceptoris clientes & discipuli ut fieri possent leprosi, *steterunt à longè*, sive quòd indignitatem suam agnoscerent, sive quòd peccatores se esse meminissent, qui propter divinorum præceptorum transgressionem à cœlesti *Præceptore* suo nimium quantum elongantur; quamvis enim DEus per immensitatem suam ubique præsens, atque ùt Trismegistus dixit apud Ciceronem lib. 2. de natura Deorum 1. *Circulus* sit, *cujus centrum est ubique, differentiæ nusquam*, nihilominus *longè est Dominus ab impiis* proverb. 15. v. 29. quia peccatores ùt ait D. Hieronymus, *recedunt à DEO affectuum non locorum spatiis.* Prodigus ille filius, cujus consodalem se egisse pœnitet Augustinus inquiens: *profectus sum abs te in longinquam regionem, ut substantiam dissiparem in meretricias cupiditates.* prodigus, inquam, ille filius abiisse paternâ domo dicitur *in regionem longinquam*, ut elongatio peccatoris à supremo Bono demonstretur. *Abierat* inquit Doctor Aquinas in c. 15. Lucæ *non localiter à DEo discedens, qui ubique est, sed affectu: fugit enim DEum peccator, ut à longinquo stet.* bene Ambrosius lib. 7. *quid enim longinquius est, quàm à se recedere, nec regionibus sed moribus separari, studiis discretum esse non terris, & quasi interfuso luxuriæ sæcularis æstu, divortia habere factorum? etenim qui se à Christo separat, exul est patriæ & civis mundi.* Vis scire quantum peccator à DEo distet? *quantum distat ortus ab occidente*, inquit Psaltes. in cujus verba ita commentatur Africanum Sidus: *quando peccatum remittitur, occidunt peccata tua, oritur gratia. Peccata tua tanquam in occasu sunt, gratia quâ liberaris in ortu est. avertere igitur* ait idem homil. 50. *avertere, avertere ab occiden-*

S. Hieronymus ep. ad Damasum.

S. Aug. lib. 4. conf. c. 26.

Pf. 102. v. 12.

cidente, convertere ad Orientem; *occidunt ibi peccata, oritur inde justitia. in occidente, vetus, in oriente novus, in occidente Saulus, in oriente Paulus.*

Distantiam peccatoris à DEo epulo expressit Luc. 16. *inter nos & vos chaos magnum firmatum est.* ubi rectè S. Thomas. *chaos magnum significat justorum à peccatoribus distantiam. nam sicut affectus eorum varii fuerant, sic etiam mansiones non modicùm differunt.* O peccatores, exclamat S. Augustinus à bonorum omnium fonte *infeliciter exclusi, infelicius excludendi, appropinquate DEo, & appropinquabit vobis. bi ab eo longè esse dicuntur, qui peccando dissimillimi facti sunt, & bi ei propinquare, qui ejus similitudinem piè vivendo recipiunt: sicut rectè dicuntur oculi tantò esse ab hac luce longiùs, quantò fuerint cæciores. Quid enim est tam longè à luce, quàm cæcitas, etiamsi lux præsto sit atque oculos perfundat extinctos. propinquare autem luci meritò perbibentur, qui sanitatis accessu lucem recipiunt.* qui longè à cœlesti igne abis, frigescis, *recedendo enim,* ait idem S. Augustinus in ps. 70. *frigescis, accedendo fervescis, recedendo tenebrescis, accedendo clarescis.* V. Beda in c. 8. Marci. *quantò quisque à pravo opere erravit, tantò ab omnipotente DEo longiùs recessit.* S. Thom. *vos qui aliquando eratis longè facti, id est elongati, estis nunc propè DEo, non loco sed merito. quidam enim ex eis de longè venerunt, scilicet de regione dissimilitudinis. vos autem modò facti estis prope DEo scilicet & Sanctis ejus in sanguine Christi.*

S. Aug. homil. 16. ex 50. & Tract. 36. in Joan.

S. Thom. in cat. ad c. 8. Marci

§. 7. Quæstio Sexta cur ad Sacerdotes mittantur.

Ita appropinquaverunt decem hodierni leprosi, qui è statione remota ad propinquam JEsu gratiam, & gratiosam admissi audientiam, benevolum illud verbum audierunt: *ite ostendite vos Sacerdotibus.* Cur ad Sacerdotes remittantur causa est potissima, ut umbratili illi Sacerdotio honorem exhibens doceret, quo honore novæ legis Sacerdotes digni sint. observat S. Bonaventura nunquam Sacerdotes à Jesu reprehensos fuisse, ut doceret etiam iniquis reverentiam honorémservandum, & nè calumniatores possent dicere (D. Chrysostomum recito) quoniam Sacerdotum gloriam rapuit. Certè cùm nummularios templo ejiceret, mensas everteret, pecunias dispergeret, emtores insuper flagellis cæderet, solis Sacerdotibus absque ullo intentato verbere citra ullam verborum acrimoniam dixit: *auferte ista binc* Joann. 2. v. 16. atque ut magis ostenderet, quàm sibi cordi sit Sacerdotum honor, dum coram summo Pontifice ab impudenti famulo ferratâ manu cæditur, non tacet sicut ovis coram tondente se, non porrigit maxillam alteram, prout ipse porrigendam docuerat, sed verbis seriis percussorem increpat, quia ùt præclarissimè disserit S. Augustinus *ubi non respondebat, sicut ovis silebat; ubi respondebat, sicut Pastor docebat.* Docebat autem Sacerdotibus licèt iniquis honorem deferendum, neque tolerandum, ut illatæ Sacerdotibus injuriæ jure quis argui possit.

S. Aug. tra. 116. in Joann.

Describens Psaltes regius injuriam summo Sacerdoti Aaroni ab impiis Dathan & Abiron illatam, & pœnam à vindice Justitia absque mora & misericordia inflictam in hæc verba prorumpit: *irritaverunt Moysen in castris Aaron Sanctum Domini* Ps. 105, v. 6. cur Moysen Sanctum non vocat, quem Spiritus Sanctus Canonizat Eccli. 45. v. *Similem illum fecit in gloria Sanctorum.* Aaron peccator fuit, vitulum fabricavit, contra innocentem fratrem murmuravit aliáque patravit scelera, ipse tamen præ Moyse Sanctus

vocatur, cur ità? Summus Sacerdos ceteros Ecclesiæ Prælatos significabat, ait Incognitus, instruimur proinde tantum honorem Sacerdoti etiam peccatori deferendum, quantum nè justo quidem ab ipso DEO Canonizato, si Sacerdos non sit. De Sacrilegis Sacerdotii contemtoribus Dathan & Abiron scripsit S. Ignatius M. ep. 3. *Dathan & Abiron Moysi resistentes vivi ad inferos depositi sunt.* non dicit Ignatius sepultos esse in inferno, sed depositos, quia cadavera quæ duntaxat deponuntur, competens sepulcrum & funeralia nondum habere censentur. Depositi sunt ad inferos Sacrilegi Contemtores, quasi infernus iste non habeat sufficiens pro iisdem excarnificandis tormentum, sed novis pœnis novo opus sit inferno. Quantum Sacerdotio deferri honorem velit Christus, ingeniosâ observatione S. Cyrillus Alexandrinus lib. 12. in Joann. c. 58. adnotavit, ipso resurrectionis Dominicæ sole quærens Maria Magdalena Sospitatorem ac delicium suum JEsum ubi tandem intueri & amicas audire & reddere voces digna fuit, ad pedes illius se abjiciens mille basiis devenerari avebat; sed cave sis inquit JEsus, *noli me tangere*, pedémque retrahit. Non licuit fideli Magdalenæ prensare pedes, licuit incredulo Thomæ palpare JESU manus, suámque in illius latus manum mittere. quid hoc? Thomas pertinax, irreverens, temerarius non tantùm permittitur sed jubetur manus latúsque tangere, imò manum in fixuras clavorum vulnúsque lateris tanquam in gazophylacium divinitatis imponere, & fidelis illa amatrix Magdalena nè extremitates quidem pedum tangere permittitur? causam differentiæ dat Cyrillus, quia Thomas etsi refractarius & infidelis, Sacerdos tamen erat Altissimi, adeóque eo dignus honore, quem mulier suppar Angelis, prodigium sanctitatis norma dilectionis non merebatur. Sed ad leprosos nostros, qui ad Sacerdotes devenerandos missi sunt revertamur.

§. 8. Quæstio septima Cur inter eundum sanati.

Non in præsentia Christi, non apud Sacerdotes, sed in via leprosi persanantur, in præmium videlicet fidei & cæcæ obedientiæ, quia nullam super Præceptoris sui præcepto dubitationem aut judicii temeritatem in animum suum admisêre. quòd non ab ipsomet Christo emundarentur, sed Sacerdotes adire juberentur. Rationem hanc ex Euthymio accipio: *illi verò credendo quòd eundo posset illos mundare, ibant non dijudicantes de ejus præcepto.* Dum irent mundati sunt, JEsum relinquunt, suáque cum lepra recedunt ab eo, cui semper adhærere unicè fuisset in votis ac deliciis; quo perfectissimæ charitatis actu merebantur corporis sui quantocyùs recipere sanitatem. DEum enim propter DEum relinquere, est salutem felicissimè mercari. Dum irent mundati sunt. citò dat liberalissimus JEsus, ut bis det, verba & promissa sua operibus prævenit, moras rumpit, quia amat, exosæ enim in amore moræ, & prævenire mavult, quàm ut de liberalitate ejus possit dubitari.

1. Reg. 10. Sauli à Samuele dantur tria signa veræ electionis. primò quod juxta sepulcrum Rachel inveniet duos viros. Secundò ad quercum Thabor tres viros, tertiò quòd in ingressu urbis obvius ei fiet Prophetarum chorus & tunc mutandum illum in virum alterum. Sed vix vertit dorsum ut abiret: *cùm avertisset humerum suum ut abiret, immutavit ei DEUS cor aliud,* cor regium & amplum, ut Theodoretus, S. Gregorius, Hugo, aliique expli-

plicant. vide benignitatem DEi ait Cajetanus, non expectavit tempus, citiùs quàm promisit, promissum exolvit.

Dum irent mundati sunt. Si semel DEus cœpit benefacere, non sistit, non retrocedit sed pergit & ascendit ut Pelagius 2. to. 2. Concil. asseruit: *divina beneficia gradibus semper ascendunt*. ità cùm benefacere cœpisset aquis in Jordane, mox eas nobilitavit ampliùs Canæ in nuptiis, & initium signorum in aquis fecit: *aquas quas sanctificavit in Jordane* inquit S. Maximus hom. 2. de Epiph. *nobilitavit in nuptiis*, nec unquam cessavit majores majorésque aquis honores præstare, donec sacratissimum cruorem, quem in monte Oliveti exsudârat, in Jordane ùt docet S. Bonaventura abluit, & de torrente ùt Psaltes insinuat in via captivitatis suæ bibit, ac demùm ex latere suo aquam cum sangvine emisit. Aquæ multæ populi multi sunt. Cui semel benefacere cœpit populo (ut in Israëlitica gente ex Ægypto ducta patet) continuat ampliátque gratias, ut scribere audeat S. Fulgentius ep. ad Monimum prius Dei beneficium esse alterius pignus: *ecce qualis est Dominus noster, qui donando debeat, & quantò magis donat tantò magis eum esse debitorem* non pigeat. Nescit semel incitata liberalitas stare, ajebat olim Plinius junior l. 5. ep. 12. cujus pulcritudinem usus ipse commendat. verissimè hæc de liberalitate prædicantur divina, quæ non ab alio, quàm seipsa urgetur movetur, ut indies faciat incrementa.

Non possunt vel ipsi jurati Divinitatis hostes negare hanc Christo laudem, quòd det omnibus affluenter, idcirco tentator stygius cùm lapides offerret in panem mutandos non dixit: *dic ut lapides isti panis fiant*, sed *panes*, etsi unus panis suffecisset, quia non solet DEus parcâ manu gratias suas dispensare aut panem unicum elargiri. hinc illa Christi ad discipulos vox: *quot panes habetis?* & ad famulos nuptiales Canæ in nuptiis mandatum: *implete hydrias aquâ*.

§. 9. Quæstio Octava Cur novem non revertantur ad gratias dicendas.

Genius iste divinitatis est semper plus facere quàm promittat, præstare plura, quàm petantur, opinione supplicum citiùs beneficia conferre prout hodierni leprosi experti sunt, qui dum irent, obviam habuêre sanitatem, suorum scilicet scopum desideriorum. Verùm quò promtior DEus est ad gratias conferendas, eò segnior homo fit ad agendas. novem leprosi inquit Titus Bostrensis, in ingratam oblivionem lapsi non sunt reversi. cur reversi non sint, respondet Bonaventura: *in hoc manifestè ostenditur judæorum ingratitudo, quia cùm essent novem, nullus ex eis rediit*, nè aliquid novum inciperent, gratum enim pro beneficiis esse est novi aliquid in mundo. erant nimirùm novi hi judæi ex eorum prosapia contra quos queritur DEus: *filios enutrivi & exaltavi, ipsi autem spreverunt me. cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, Israël autem me non cognovit* Is. 1. v. 3. in quæ verba Zeno Veronensis ita scribit: exaltatos appellat, ut ingratos ostendat; bovem illis asinúmque præponit, ut graviùs possint si resipiscant comparatione torqueri quàm pœnâ. Non sunt reversi, quia ut sentit Dionysius Carthusianus, postquam Sacerdotibus sunt locuti, ab eisdem seducti fuerunt, sicque ingrati effecti sunt, & reciderunt. quibus verbis insinuare videtur Dionysius novem ingratos in pristinam recidisse lepram velut debitam ingratitudini pœnam. nimirùm ùt præclarè S. Bernardus dixit: *peremtoria res est ingratitudo, hostis*

S. Zeno ser. 5. de Isaia.

S. Bernard. ser. de septem Mi-

sericordiis. *hostis gratiæ, inimica salutis. Dico vobis quoniam pro meo sapere, nihil ità displicet DEO, præsertim in filiis gratiæ, in hominibus Conversionis, quemadmodum ingratitudo. Vias enim obstruit gratiæ: & ubi fuerit illa, jam gratia accessum non invenit, locum non habet.* fortè & gratia Sanitatis in neomundatis locum habere non potuit, quia nullo apud eos loco gratitudo fuit. Non sunt reversi, nè agnoscere cogerentur beneficium, hic enim ingratorum est genius offensos se fingere, nè benefactori correspondeant. Cùm divinam Moyses legem in monte Sinai acciperet, petiit interim ingratissimus populus ab Aarone: *Surge fac nobis DEos, qui nos præcedant, Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti ignoramus quid acciderit* Ex. 32. v. 1. en quàm insulsè insanus iste populus loquatur! *ignoramus quid acciderit*, nescimus quò devenerit, quid nobis cum illo & cum DEo ejus, fac nobis DEos. ò ingratitudo, plusquam corvina, ò habetudo mentis plusquam asinina! ò malitia populi plusquam diabolica! *contemtibiliter valde de Moyse loquuntur* inquit Oleaster, atque ut malitiæ suæ velum prætexant, disgustatos se proclamant, quòd terribili per rubrum mare viâ in desertum sint educti, & deliciis Ægypti privati. Notanda nebulonum verba: *recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto: in mentem nobis veniunt cucumeres & pepones, porrique & cepe & allia. Utinam mortui essemus in Ægypto!* habebant ingratissimi judæi panem angelorum omne delectamentum in se habentem, habebant aquam vivam ex consequente eos petra, omni nectare dulciorem; habebant præsentiam angelicam omni Societate affabiliorem; nihilominùs Ægyptus est in desideriis, mors in votis, ollæ fœtidæ in deliciis. *Causa est* inquit S. Bonaventura, *quoniam ingrati erant, nè beneficium agnoscerent, malè se habitos conquerebantur atque offensos*, atque ut titulum offensæ & futilium scaturiginem lacrymarum nanciscantur, à cepis & alliis eandem emendicant. fortè & leprosi hodierni offensos se simularunt, quòd non in Christi præsentia sed in via à putore lepræ sint liberati. Plerique mortales inquit Hildebertus Episcopus Conomanensis: *plerique mortales ingrati sunt obsequiis, & nè cultores suos remunerent, offensos conqueruntur.*

Num. 11. Num. 14.

Hildebertus tom. 3. Bibliothec. Veter. PP. ep. 35.

§. 10. Reliquæ duæ quæstiunculæ solvuntur.

Querulentur quantum libet, & emaneant per me licet novem ingrati Cuculi, unus iste qui revertitur, unus inquam iste, ùt loquitur S. Epiphanius hæres. 66. pro decem est, qui dum gratiarum decimas persolvit, plus quàm decies denis à Christo benedictionibus impletur. Samaritanus est qui revertitur, quia videlicet juxtà nomen suum acceptæ custos est gratiæ. Gratiosè S. Bernardus dixit serm. contra vitium ingratitudinis: *Felix Samaritanus ille, qui cognovit nihil se habere, quod non accepisset, idcirco conservavit depositum, & cum gratiarum actione ad Dominum est reversus.* Poterat Samaritanus iste dicere ex ps. 58. v. 10. *fortitudinem meam ad te custodiam.* Sanitatem videlicet meam (ùt S. Antonius Paduanus explicat) & gratias acceptas per humilem gratitudinis contestationem conservabo. *Verè Samaritanus seu Custos erat*, exclamat S. Anselmus in homilia hodierna, *qui percepta beneficia servabat per humilitatis Custodiam.* Vocatur Samaritanus iste ab ipsomet Christo Alienigena, *quia non invenitur* (verba Anselmi citati) *qui post acceptam veniam recordatur divinæ Pietatis*, & ei gratias devoto corde re-

pen-


pendens *perseveret in bonis actibus, nisi qui non sit ex filiis terrenæ Babylonis, sed ex filiis Jerusalem cœlestis.* Tam rara res est gratitudo, ut non videatur inquilinus hujus mundi, sed ex orbe altero, siquis redeat & partes suas exolvat. qui verò exolvit, næ ille DEo tam charus est, ut sit totius instar Ecclesiæ. *ille qui gratias egit* inquit glossa ordinaria & Beda *unicæ Ecclesiæ significatione approbatus ac laudatus est.* Hæc gratiarum actio fuit illi novarum gratiarum etsi non petitarum impetratio. Agnitio inprimis veri Messiæ Sacerdotis secundùm ordinem Melchisedech æternum habentis Sacerdotium, idcircò ad Sacerdotes porrò adire jussus non est: *non mandat offerre, munus ex lege, quia satis jam obtulerat gloriã reddens Deo* ait Tertullianus, gratiarum actio est svavissimum Sacrificium, quod omnia legalia longissimè antecellit, actio enim gratiarum omnia Sacrificia legalia exsuperat, teste Philone Alexandrino l. de victim. *quantùm aurum præstat lapidibus, tam acceptior est suffitus gratiarum actionis, quàm mactata victima.* Post insignem contra Amalecitas relatam victoriam, *ædificavit Moyses altare Domino, Vocavitque nomen ejus: Exaltatio mea* Ex. 17. v. 15. inscriptum erat huic Aræ, ut Josephus ex traditionibus meminit: *Victori DEO*; nec tamen in hac ara, ut Cornelius à lapide probat, ulla unquam victima fuit mactata, quia cùm esset prima post primam ab Israelitis obtentam victoriam ara, docere DEus voluit, primariam esse victimam gratiarum actionem, cui nulla alia possit æquiparari. allusit hùc psaltes divino spiritu monens: *immola DEO Sacrificium laudis.* immolavit id hodiernus Samarites, meruit proinde peracto Sacrificio audire: *Vade* locò solennis *Ite Missa est.* Surge, vade, fides tua te salvum facit. Surge credendo, vade operando, surge incipiendo, vade proficiendo, surge per declinationem à malo, vade per boni operationem, surge de peccato ad gratiam, vade de virtute in virtutem. Hæc Hugo. Ivit feliciter Samarites, sequamur! Leprosi sumus, JEsum inclamemus, JEsu vocem audiamus, & obsequamur, Sacerdoti nos ostendamus, & postquam mundati fuerimus, revertamur cum laude & gratiarum actione, ut audiamus hodie gratiosum istud: *Surge vade*; & aliquando in die novissimo gloriosum illud: surge mortue, vade in domum beatæ æternitatis.

§. II. Emblema.

Pro Emblemate numerum decimum, quo scribi modo vulgariter solet, describo: 10, & ex hoc numero unitatem seu jota abstraho, remanente littera O, sive ut vulgo loquimur: *nulla*; cui ni fallor non inelegans inscribo lemma: *nulla manet.* vel: *quod superest, nihil est*: ex decade leprosorum Unus ad JEsum abstrahitur, remanentibus ceteris in vitioso ingratitudinis suæ circulo. & novem ubi sunt? sunt in nulla, nullius momenti ac valoris, *nulla* sunt, nihil sunt. Ad nihilum videlicet sua eos redegit ingratitudo beneficiorum oblivio; in quod nihilum nè & nos redigamur, jota unum & unus apex nos non prætereat, sed præeat opera nostra omnia, quæ licèt videantur esse nulla, valor tamen eorum ingens ab uno erit apice gratitudinis.

PRO-



PROBLEMA XVI.

Cur Aviculæ & Lilia in symbolum Spei ab Incarnata Sapientia proponantur?

DOMINICA XIV. POST PENTECOSTEN.

Respicite Volatilia, Considerate Lilia. Matth. 6. v. 26. & 28.

§. I. Potest duobus Dominis serviri si minori propter Majorem serviatur.



SI nemo potest duobus Dominis servire, quomodo servivit JOSEPH Patriarcha DEO & Pharaoni, utrique sine querela? quomodo servivit Josephi pater Jacobus DEO & Labano idololatræ, summa cum laude & merito? quomodo Vir secundum cor DEI DEO & Sauli toto corde servivit, & immortalem idcirco meruit coronam? quomodo ipsemet DEus-Homo, qui non ministrari venerat sed ministrare, servivit Patri, servivit hominibus, complevítque priùs opere quod dein docuit verbo, ut Cæsari darentur, quæ Cæsaris sunt, & quæ DEI, DEO? serviri omnino cum laude duobus Dominis potest, *qui* ut ait Chrysostomus, *diversa & contraria non imperant*, atque ut Paschasius observat, *sibi invicem subordinati sunt*, his enim facilè jucundéque servitur, si minori propter majorem, creaturæ propter Creatorem, mortali propter Immortalem serviatur; quodsi contraria imperent, serviri nequaquam duobus potest. & hinc est quòd Veritas æterna asseveret: non potestis servire DEO & Mammonæ, quia *qui studio pecuniarum occupantur; rei mortuæ servire coguntur, cui maximè deberent imperare*, inquit Tertulliani Scholiastes l. 4. in Marcionem. Durum ac pœne impossibile est illi servire cui imperare debebas, jugúmque ejus sufferre, cujus frænum tenebas. Esau quamvis durus & asper, & quinquagenario major ubi inaudiit fratri minori servire se debere, irrugiit, atque ut habet Abulensis: *levavit vocem suam & maximè flevit*, nam ut ait Philo relatus in glossa: maximè dolebat juniori fratri servire. Durissimus crusiatus, inquit Egesippus l. 1. de Excid. tuorum servorum dominatus. Cùm ergò supremus Dominus omne aurum argentúmque subjecerit hominum pedibus, non vult hominem servire auro sed imperare. quia verò pecuniæ ideo potissimùm servitur, quòd solicitudines de esca & vestitu metuamus, idcirco Volucres & Lilia in Spei symbolum providentissimus Servator

vator

vator proposuit, ut ab iis discamus superfluas curas animo proscribere, inque libertate spiritûs Uni Domino servire: solicitum esse pro temporalibus servire est, inquit D. Paschasius in c. 6. Matth. & ideo nè servi sitis pecuniarum, prohibeo solicitudinem gerere cibi aut vestimentorum, & quidem posito ante oculos Volucrum & Liliorum exemplo. Cur autem Volucres potiùs quàm terrestria animalia, cur Lilia potius quàm alios flores Nazarenus noster elegerit, videamus.

§. 2. Causæ tres Cur Aves in exemplar Spei proponantur.

Non terrestria, sed volatilia animantia in Providentiæ suæ symbolum nobis DEUS proponit, *quia Aves cœli*, ut acutè observat D. Ambrosius in c. 12. Luc. *speciale sibi nil vendicant, & ideo pabulis indigere nesciunt.* absque magna anxietate escam suam aviculæ quæritant, & absque magna difficultate per campos & prata inveniunt. Homo vicissim magna cum difficultate cibum reperit, quia magna cum anxietate inquirit. causam ulteriorem assignat Ambrosius, quia aves nullius rei particularem habent dominatum, nec specialiter quid sibi vendicant, atque idcirco omnia in promtu habent, nec ullius indigentiâ laborant; qui enim nihil sibi acquirit, omnia possidet. Econtrà insatiabilis mortalium cupiditas, cùm singula sibi vendicare atque ex communibus facere propria & singularia soleat, spoliatur universim omnibus, & tam deest insaturatæ avaritiæ quod habet, quàm quod non habet. concludit itaque Ambrosius cit. *nos communia amisimus, cùm propria vendicamus.*

Non multùm ab Ambrosii mente abludit Anastasius Sinaita, dum idcirco volatilia præ terrestribus à Christo nobis proposita autumat, quia volatilia ex aquis producta baptismum tanquam fontem benedictionum præfigurant, omnésque denotant fideles, qui benedictionem à DEo consequuntur. at verò per terrena animalia significantur homines sæculo dediti, qui ob cupiditatem suam cœlesti benedictione excluduntur. volatilibus enim benedictionem à DEO datam Gen. 1. v. 22. legimus, quam terrestribus animantibus nuspiam invenimus concessam. Loquatur Anastasius: *quæ ex aquis sunt genita, omnia DEus benedixit, à terra verò genita animantia privavit benedictione, nam præfigurabatur generatio per Baptismum ex aquis, & proinde genitas animas, id est, regeneratas per baptismum, benedixit: animantibus & jumentis & feris ac venenatis hominibus, qui sunt peregrini & alieni à regeneratione baptismi, nequaquam impertiit benedictionem, sed eos relinquit absque benedictione.* ut supernam mereamur benedictionem, aves imitemur, tum in aliis proprietatibus, quas passim divinæ paginæ nobis proponunt, tum maximè in gratitudine erga DEUM, ob quam D. Maximus aves nobis à Christo in exemplum proponi arbitratur. hæc enim svavissimo cantu suo manè, meridie, ac vespere gratias suo persolvunt Creatori, quantùm eis à natura permissum est. inde fit (Sylveiram recito) ut majori facilitate, ac minori solicitudine inter cetera animantia pascantur per campos & prata, cibóque abundent. quantò magis gratitudo apparet, tantò magis beneficiorum largitas diffunditur. Placeat D. Maximi verba excipere: aves propter viles escas gratias agunt, tu pretiosissimis epulis pasceris & ingratus es? quis igitur non erubescat, sensum hominis habens, sinè psalmorum celebritate diem claudere, cùm ipsæ aves ad gratificandum psalterii svavitate persultent, & ejus gloriam,

Anast. in hex.

S. Max. homil. de non timendis hostibus Carneis.

M

am, non versuum dulcedine personare, cujus laudes volucris modulatâ cantilenâ pronuntiat? imitare ergò frater minutissimas aves, manè & vespere creatori gratias referendo. hucusque Maximus.

§. 3. Laus gratitudinis.

Non me contineo, quin in laudes gratitudinis, quam ab aviculis discere nos jubet Maximus, breviter excurram, illúdque Philonis repetam: *omnis virtus sancta est, gratitudo verò sanctissima, quam non legitimè DEo exhibent, quotquot putant eum placari ædificiis, donariis, sacrificiis, nam nè totus quidem mundus ad templum in honorem ejus sufficerit, sed præstat eum laudibus hymnísque colere.* *Nunquid manducabo carnes taurorum* inquit DEus Ps. 49. v. 13. *aut sangvinem hircorum potabo?* minimè verò, sed *immola DEO Sacrificium laudis. quod est sacratius laudis Sacrificium* ait S. Augustinus l. 1. contra adversar. legis & prophet. c. 18. tom. 6. *quàm in actione gratiarum?* & lib. de Spiritu & littera c. 11. *cultus DEi in hoc maximè constitutus est, ut anima ei non sit ingrata, unde in ipso verissimo & singulari sacrificio, Domino DEO nostro gratias agere admonemur.* hoc offerre quisque potest. Subdit porrò nominatissimùs Philo quandam Cedro (ut Mendoza noster lib. 1. Reg. c. 2. annot. 14. sect. 1. loquitur) dignissimam relationem: DEum videlicet absoluto universi opere quendam è prophetis interrogâsse, quid deesse videretur, eúmque respondisse desiderari *laudatorem*, qui opera à DEo facta vel enarrando laudaret, *ipsam enim enarrationem operum DEI laudem esse sufficientissimam nullo egentem auctario.* sed faciunt hoc *astra* illa *matutina* Job. 38. & jubilant *omnes filii DEI*, seu ùt est in Hebræo, *omnes turbæ Angelorum*, quibus luctator ille Angelus immisceri volebat Gen. 38. *jam enim ascendit aurora, tempus est*, ait Lyranus, *ut cantem DEI laudes cum aliis Angelis, & ideo non debes me amplius tenere & impedire à laude DEI.* faciunt & hoc religiosi chori, qui toties solenne illud recinunt Deo gratias. cujus sugillatores sic perstringit S. Augustinus in Ps. 132. *utinam illi milites CHRISTI essent, & non milites diaboli, à quibus plus timetur DEO gratias, quàm fremitus leonis.* Certè si teste philosopho Deo, parentibus, præceptoribúsque nullæ unquam sufficientes gratiæ reddi possunt, saltèm aliquæ reddantur. Sic instruit S. Basilius homil. 5. in Julit. M. *siquando lætiùs arridet vitæ institutum, illam depromamus Davidis vocem: quid retribuam Domino?* ex nihilo effecit ut essemus & produxit. quid retribuam Domino? quid? nihil nisi gratias, ità S. Bernardus ep. 181. *verus benevolus amplius non requirit. Danti rependi quidquam gratius ab accipiente non potest, quàm si gratum habuerit, quod gratis accepit.* simile deducit ad hominem ab homine S. Chrysostomus in Ps. 41. *nos quoque à pauperibus nihil aliud requirimus, quàm laudem & gratum animum & accepti memorem beneficii.* si nos pro gratiis beneficia vendimus, quantò magis DEus? Dicamus ergò quod David à pedo ad sceptrum translatus Ps. 145. *laudabo Dominum in vita mea.* Religiosi S. Columbani in Luxoviensi Monasterio tot erant, ut continuò sibi invicem succederent chori, nullo intervallo à divinis laudibus dies noctésque relicto. audiit illos Albertus & Ernestus Saxoniæ Principes, qui Misnensem Ecclesiam in hunc modum erexerunt & ditârunt.

Levit. 6. præcipitur Moysi: *ignis in altari semper ardebit*, in quem locum Philo Alexandrinus lib. de off. victim: *meritò* inquit *ut quidem ar-*

arbitror: nam quia perennes DEI gratiæ non deficiunt, nec intermittuntur, sed interdiu noctúque fruendas se præbent nobis hominibus; gratiarum actionem hæc sacra flamma figurat semper instaurandam, nequando extingvatur. S. Augustinus verò Soliloq. c. 18. *sicut nulla est hora vel punctus, quo tuo beneficio non utor, sic nulla debet esse hora, quâ te non habeam ante oculos.* S. Paulus semper & ubique gratias agi vult Ephes. 5. *gratias agentes semper*, & ad Coloss. 3. *in omnibus gratias agentes*, etiam quando aviculæ cantum audimus, gratiarum dicendarum meminerimus, ut eo excitemur ad laudandum magnum DEum. audiit Joannes Baptista Vitellus Fulginas, teste Rho exempl. l. 1. c. 1. §. 3. aviculam articulatas has voces efferentem: *laudetur Deus.* tum ille: ò nos ingratos! alites laudant, homines injuriis afficiunt. *aves surgente & occidente die* ait S. Ambrosius l. 4. hexam. c. 12. *suos cantus instaurare consverunt, ut decursi & adoriendi temporis laudes suo referant Creatori.* eleganter Seneca de beneficiis lib. 4. c. 6. à minori ad majus argumentatur: si domus tibi donetur, num mediocre munus vocabis? & cùm ista quæ habes magìs æstimas, quod est ingrati hominis, nulli debere te judicas. unde tibi istum quem trahis spiritum? unde istam per quam actus vitæ tuæ disponis atque ordinas lucem? unde sangvinem, cujus cursu vitalis continetur calor? unde ista palatum tuum saporibus exquisitis ultra satietatem lacessentia? unde hæc irritamenta jam lassæ voluptatis? unde ista quies in qua putrescis & marces? nónne si gratus es, dices: DEUS nobis hæc otia fecit.

§. 4. Lilia quid doceant ex S. Antonio Paduano Dominic. 15. post Pent.

Sed jam cogitationes nostras à volatilibus cœli ad lilia agri transferamus: *Considerate lilia agri.* cur lilia potiùs quàm rosas, tulipas, violas, narcissos, hyacinthos, granadillas & sexcentos alios flores? Tria in liliis considerat liliatus prædicator D. Antonius de Padua, medicinam, candorem, & odorem. medicina in radice est, candor in foliis, odor in flore. medicina pœnitentes denotat, à quibus medicamen in radice ac origine malorum adhibendum est. Candor autem & Syncceritas animi appareat in flore nostrarum actionum. odor autem boni nominis & famæ in agro, hoc est, in deserto ac solitudine & separatione tumultûs hujus sæculi. Et cum his ait D. Antonius citatus, justorum lilia crescunt de virtute in virtutem, & non laborant voluptatibus sæculi, neque nent, hoc est, diversa fila cogitationum non retorquent in temporalibus, sed vincunt Salomonis gratiam, in quo potentes ac divites hujus sæculi significantur, quorum tota Majestas frivola & transitoria est. Altiùs alii cogitationes elevant, & Lilium idcircò à Nazareno nostro præ ceteris floribus propositum fuisse affirmant, quia lilium teste Pierio apud veteres nunquam non fuit Spei hieroglyphicon. Videre est in nummis Imperatorum parte alterâ DEUM insculptum, lilium dextrâ tenentem cum inscriptione: *Spes publica*, vel *Spes Augusta* vel *Spes Populi Romani*, erátque Romanis solenne cùm spes bona affulgeret Virgilianum illud exclamare: *manibus date lilia plenis.* ipsissimâ hac phrasi DEus utitur, cùm fideles lilii instar in spem vitæ assurrecturos promittit Oseæ. 14. v. 6. *Israël germinabit sicut lilium*, eosdémque bene sperare & in floribus dies ducere jubet Eccli. 39. v. 19. *Florete flores quasi lilium*, in Syriaco est: *sicut radix Lilij regij attollite vocem & laudate simul.* non potest non fortunatus esse, qui sperat dum spirat,

Pierius lib. 55.

Æn. 6.

ſpirat, illúdque Jobi nunquam ex corde dimittit: *etiamſi occideris me ſperabo.* Ludovicus II. Dux Borbonius equeſtrem inſtituit ordinem, cujus inſigne eſſe voluit torquem aureum ex liliis cum Cruce dependula & epigraphe: *Spes unica.* Margarita verò Navarræ Regina coronatum lilium in Symbolum adlegit, ex quo pretioſus unio dependebat cum lemmate: *Spes una coronat.* benedicet DEus coronæ anni non dicam benignitatis, ſed adverſitatis noſtræ, ſi ex corde fiduciam nunquam dimiſerimus, licèt ſpinis undique cingamur ſicut in terra ſancta paſſim videre eſt lilia è mediis ſpinis enaſci & proficere.

§. 5. Laus Fiduciæ.

De animo perfecto dicitur (verba ſunt S. Nili in Aſcetico) Lilium eſt inter ſpinas. Hoc namque inter curas tranquillè degentem indicat, ſicut lilium inter inſidiantes ſpinas non laborat neque fatigatur, ſed quietâ & tranquillâ naturâ creſcit, germinat, floret. Fiduciam in DEum commendans D. Laurentius Juſtinianus tract. 8. de ſpe c. 2. aurea hæc concinnat elogia: *in præſenti tempore ſpes eſt quædam vigilia Solennitatis æternæ, nam eſt arrba æterni præmij, & ponderatio futuræ ſuavitatis, cui datur intrare in hortum ſpiritualis voluptatis.* Fuſiùs Guarricus Abbas utilitatem & excellentiam Spei extollit ſerm. 2. de S. Benedicto: *benedictus vir qui confidit in Domino, quia qui in Domino fidit, in eo ſeipſum figit, ubi autem arbor radicem figit, inde ſuccum vitæ atque humorem pingvedinis bibit: planè humorem ad radices miſit, qui ſpem ſuam DEO commiſit, ac de ipſo fonte ſummi boni, aquas vitæ, totius benedictionis & gratiæ bibit, per hanc nempè piam & fidelem fiduciam remittuntur peccata, propulſantur pericula, terrores contemnuntur, vincitur mundus, effugiuntur naufragia, declinantur fulgura, tempeſtates ſuperantur.* Spem vocat Divus Auguſtinus *Scalam* quâ ad DEum aſcendimus, *clavim* viſcerum divinorum, & *numisma* quo Miſericordia ejus emitur. (S. Aug. l. de civit. DEI.) Speremus! & habebimus ſcalam ſecuriorem illâ, quam Jacob lapidi incubans vidit in cœlum usque porrigi & angelos aſcendere ac deſcendere, ut videlicet ſuſpiria noſtra ad thronum gratiæ efferant & chariſmata cœleſtia deferant. figurat hanc ſcalam caudex lilii viridantibus foliolis interſtinctus rectáque in ſublime tendens; hoc enim ſitu nos docet in cœlum deſideria erigere, & ex alto auxilium præſtolari. ſperemus! & clavigeri non quidem cœlorum, ſed quod amplius eſt viſcerum divinorum erimus. latent in corde Salvatoris ingentes divitiæ & innumerabiles theſauri multis feris probè cuſtoditi, verùm omnes facili negotio reſerat clavis fiduciæ. Sunt alii Regum & Cæſarum theſaurarii aut Camerarii, clavibus aureis inſignes, nos Camerarii Regis Regum eſſe poſſumus, ſi ex animis noſtris clavim Spei nunquam dimiſerimus. per viſcera miſericordiæ DEi noſtri obteſtor ſingulos, vitam potiùs quàm fiduciam erga infinitam Clementiſſimi noſtri pietatem amittant. Crucem Salvatoris vocavit Vates Evangelicus *Clavim David* ſuper humeros ter Maximi Pontificis, nos ex hac ipſa cruce clavim Spei fabricare poſſumus, quâ aditum ad Sancta Sanctorum, viſcera inquam divinarum miſerationum patefaciamus. adumbrant hanc clavim illi in lilio ſpectabiles malleoli, revocántque in memoriam clavos crucifixi, ex quibus Fabri filius nobis fabricare dignatus eſt claves cœli. Speremus! & ecce aureum habebimus nummum, quo Miſericordiam Redemtoris nobis redimamus.

mus. nummum hunc aurea illa lilii flavedo significat, quæ in floris meditullio conspicitur. Venditus quondam JEsus est triginta argenteis, hodie emitur nummo Spei. Nummos gratiarum, ùt vocant, quærant alii in aulis principum, nos in caula Bethlcemitica, vel in Oliveti area, aut ara Calvariæ inveniemus, ubi aurei nummi liliis insignes, quales Cæsarum Romanorum fuisse supra dixi, disperguntur & dulcissima illa exauditur vox, quam olim Ægypti prorex ad timidos fratres suos protulit: *nolite timere, venite ad me, & ego dabo vobis omnia bona Ægypti*, Gen. 45. v. 18. ò divinissime Joseph Cœlorum terrarúmque Rex, nos te in servitutem vendidimus, ínque peccatis nostris servire cöegimus, nos feris pessimis devorandum te objecimus, nos belluis omnibus immaniores dirissimè te confecimus, & tu misericordiæ viscera nondum exuisti, potésque adhuc invitare nos, & bona omnia polliceri? ita est, respondet benignissimus Salvator, frater vester & caro vestra sum, sangvinem quem fudistis, sudorem quem expressistis, lacrymas quas excussistis, pretium vestrum & litrum est: confidite ego dabo vobis omnia bona. ideo flumina lacrymarum fudi, cùm guttula suffecisset, & cataclysmum sangvinis emisi, cùm stillula millenis exhauriendis infernis satis esset, ideo copiosam præstiti redemtionem, ut nullus posset èsse locus diffidentiæ. exclament nunc Augustinus & Bernardus: desperare utique potuissem propter nimia peccata mea, & infinitas negligentias meas, sed desperare jam non audeo, quia cùm inimici essemus, reconciliati sumus per mortem Filii DEi. tota spes mea est in morte Domini mei. mors ejus meritum meum, & refugium meum, Salus mea & resurrectio mea. meritum meum misericordia Domini, quantò ille potentior ad Salvandum, tantò sum ego securior. multum est, quod mea meretur impietas, longè autem majus est, quod Redemtoris mei poscit jure pietas. magna est mea injustitia, satis verò major justitia Redemtoris. quid enim deliquit homo, quod non redemerit Filius DEi factus homo? hactenus Augustinus & Bernardus. en quàm bene sperare nos doceat Lilium.

§. 6. Lilia sunt Symbola Castimoniæ, cujus encomium figuris quinque adstruitur.

At non sperare solùm docet, operari nos pariter jubet, & candore puritatis in lilia mutari; præcipuum enim quod lilio denotatur, virginitatis decus & fastigium est. Psalmum quadragesimum quartum hoc titulo regius psalmographus insignivit: *Triumphus pro Liliis*, quia in eo Psalmo triumphum castitatis depinxit. Aptissimè S. Paschasius: Virginitas quæ Angelis comparatur, per lilia quàm sæpe in scripturis Sacris præfiguratur. & ideo dixerit Dominus quod nec Salomon in omni gloria sua coopertus sit, sicut unum ex istis. in quibus nimirum floribus renitentibus floris veri incorruptio, & pulcritudo per charitatem integræ castitatis. propter quod velim vos considerare, Virginitas quàm præclara, quæ tantis & talibus attollitur præconiis. hactenus S. Paschasius lib. 1. in Psalmum. 44. ubi Vulgata nostra habet: *missus est Angelus Gabriel ad Virginem* Luc. 1. v. 26. alia legit versio: *missus est Angelus ad Lilium*, quasi idem sit Virginem ac Lilium esse. est enimverò Virgo Virginum illud ab Esdra significatum Lilium: *ex omnibus floribus elegisti tibi lilium unum*. unum præ omnibus floribus placet & præcellit lilium, quia castitas una præ virtutibus ceteris Sponso animarum placet. In Susan 4. Esd. 5. v. 24.

Figura 1. Assuerus in Susan Esth. 1.

san habitavit Assuerus, Susan idem quod Lilium significat, inter lilia habitat & pascitur Sponsus, cujus labia sicut lilia, & quantus quantus ipse est, totus Lilium est. à Lilio candorem castitatis addiscere jubemur. Lilii patriam finxêre poëtæ cœlum: - - ò flos pulcherrime nostri

Portio, flos terræ, cui non cunabula debes

Sed Cœlo, & Cœli quæ te produxit alumnæ.

Virginitatis patria cœlum esse dicitur, castitas cœlo accersivit quod imitaretur in terra, inquit S. Ambrosius l. 1. de Virg. prima Virgo est ipsa Sanctissima Trinitas, de qua D. Gregorius Nazianzenus canit: *Prima Trias Virgo est.* Liliorum semen inimicum est serpentibus, castitas dæmonibus, hinc de primiceria Virgine dictum à DEO ad serpentem est: *ipsa conteret caput tuum.* extingvunt ignem sacrum & serpere prohibent lilia, extingvit Sodomæum imò infernalem ignem Castitas, hinc Susanna, quæ *lilium* significat, in balneo deprehensa à malignis senibus aduri non potuit; Confortant caput sanum lilia, debile impetunt, confortat odor Virginitatis ipsum Generis Humani Caput JESUM Nazarenum Crucifixum, qui ideo caput in cruce inclinat, ut in sinu Matris Virginis vallato liliis requiescat. at verò caput ebrii Holofernis impetit casta Judith, caput adulteri Sisaræ conficit casta Debora. regium sceptrum inter flores tenet lilium, & coronam auream suo gestat in vertice, quasi natura ipsa Lilium inter flores regem coronâsset, corona virtutum est Virginitas, cui videlicet soli præcipuè sertum seu corona ubivis gentium asseritur.

Figura 2. Lilium inter spinas.

Posteaquam divinus Sponsus dixisset: *ego flos campi & lilium convallium* Cant. 2. v. 1. mox subdit de sponsa v. 2. *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* quibus in verbis observo Regem appellari florem & Lilium, ac Sponsam Lilium solùm, & non florem, cur & hic titulus Reginæ non attribuitur? respondet S. Augustinus Christum dici florem campi ob decorem Sanctitatis, omniúmque virtutum, lilium verò ob Virginitatem, solum in Sponsa lilium, non verò ceterarum flores virtutum deprædicantur, quia in virginitatis encomiis omnium decor virtutum coronatur, cùm ùt ait S. Gregorius, *nec opus bonum est aliquod sinè castitate.* Eleganter Hildebertus ep. 35. *virginitas curarum est silentium, pax carnis, virtutum principatus, naturæ oblivio, vitiorum redemtio*; elegantiùs adhuc Abbas Clarævallensis ep. 42. ad Senonensem Episcopum: quid castitate decorius, ait, quæ mundum de immundo conceptum semine, de hoste domesticum Angelum, Deúmque de homine facit. Sola est castitas quæ in hoc mortalitatis loco & tempore statum quendam immortalis gloriæ repræsentat, sola inter nuptiarum solemnia morem illius beatæ vendicat nationis, in qua non nubunt, neque nubentur, præbens quodammodo terris cœlestis jam illius conversationis experientiam. hæc Bernardus.

Cant. 2.

S. Greg. hom. 13. in Evang.

Audi filia & vide, tu quæcunque virgo es audi, quàm DEO grata sit virginitas, quàm pulcra sit, quanta illius dignitas. *magnum reverà quoddam ac præclarum Virginitas est, quod ut totum simul explicem, hominem incorruptibili DEO simillimum facit* inquit Basilius Magnus lib. de vera Virgin. & cur simillimum? respondet Condiscipulus Basilii Gregorius Nazianzenus, ut suprà insinuavi: *prima Trias Virgo est.* Pater enim sinè corruptione generat Filium,

Filium, ex Patre & Filio purissimè Spiritus Sanctus procedit. ex omnibus titulis hic solus convenit Trinitati: non Apostol⁹, non Propheta, non Confessor dici potest, sed Virgo. & quia similitudo mater amoris juxta Philosophum, hinc inamoratur Trinitas in Virgines.

Figura 3. Agnus supra Montem Apoc. 14.

Apoc. 14. vidit Joannes agnum supra montem, stipatum centum quadraginta quatuor millibus adolescentum: *habentes nomen ejus & nomen Patris ejus scriptum in frontibus suis*, quid hoc rei? quæ virtus in tanto honore? *hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati, Virgines enim sunt.* si Virgines, ergò imago sunt Trinitatis, & ideo habent nomen Patris & Filii. habent nomen Patris, *Virginitas* enim *Deificans* inquit cat. Græca in c. 2. Luc. *soli purissimóque DEO verè propriéque consortes facit.* habent nomen Patris, à quo dicuntur dii & filii Dei. ita Albertus M. Sed ubi nomen Spiritûs Sancti? in fronte non apparet! supra corda est, custodit enim Virginum corda: quia proprium officium Spiritûs Sancti est formare Virgines eásque immaculatas conservare. quod apertè S. Gabriel Luc. 1. v. 34. prodidit: *Spiritus Sanctus superveniet in te*, quasi diceret, nè mirere te fore matrem & manere Virginem, quia non humanum, sed Spiritûs Sancti opus id est. ubi aureè Chrysologus serm. 57. *ubi Spiritus generat, Virgo parturit, totum divinum geritur, nil humanum.*

Audi filia: quod in te est, non humanum est, sed divinum. vide decorem, qui tantus est ut ipse Rex supremus captus sit. non mirere Adamum Evæ, Jacobum Rachelis amore captum, Samsonem Dalilæ, Davidem Bethsabeæ, Salomonem Sunamitidis, Holofernem Judithæ, Assuerum Estheris pulcritudine inescatum, ipse Rex summus ita diligit castam animam, ut se totum illi donet: *Concupiscet Rex decorem tuum, quoniam ipse est Dominus DEUS tuus & adorabunt eum* Ps. 44. v. 12. concupiscet supra cœlorum pulcritudinem, supra Angelorum speciem, quorum castitas est felicior quàm fortior, juxtà Bernardum in ep. pulcritudinem enim quis potest majorem æstimare decore Virginis? quæ amatur à Rege, probatur à Judice, dedicatur Domino, consecratur DEo. quando tu te illi, ille se dedicat tibi, quoniam ipse est Dominus DEus tuus. in corde tuo ò Virgo habitat DEus tanquam in suo throno tanquam in suo templo.

Cant. 3. v. 9. *ferculum fecit sibi Rex Salomon.* de qua materia? *de lignis Libani.* quæ ligna in Libano? *illic cedri Libani quas plantavit.* Ps. 103. v. 16. cedri corruptionem non admittunt, & ideo virginitatis sunt symbolum, quæ nullam cogitationem, desiderium, verbum, aspectum, tactum admittit, unde corrumpi possit. Libanus idem significat juxta S. Hieronymum, quod *candidatio* seu *dealbatio.* quæ liberia est Virginum. Plusquam Salomon Rex pacificus, ut sibi in terris thronum competentem fabricaret, non accepit Cypressos ex Sion, sive Patriarchas, non Palmas in Cades seu Doctores, non rosas in Jericho Martyres, non olivas Confessores, non platanos juxtà aquas, pœnitentes, non myrrhas, Viduas, sed cedros seu Virgines, ex his sibi thronum fecit, quia in iis quiescit. ita S. Gregorius Nyssenus hom. 7. in cant. sunt proinde DEi thronus Virgines, sunt & templum.

Figura 4. Ferculum Salomonis Cant. 3.

Elegit Dominus Sion, elegit eam in habitationem sibi Ps. 131. v. 13. *quæ est hæc sedes Domino æterna ac requies?* quærit Zeno in Ps. 26. respondet: *certè virginitas ac continentia humana DEI templum est.* nec mi-

minor reverentia debetur virgini quàm templo. in Virgine adorari vult DEus. unde idem Psaltes: *& adorabunt eum.* De Constantino Magno testatur Eusebius Cæsariensis vitæ lib. 4. quòd tanti fecerit scamna, in quibus seorsim sedebant Virgines, ut quoties transiret vacua scamna, tam profundam reverentiam fecerit, quàm ipsi altari, ubi Venerabile Sacramentum asservabatur. quod ex psalte didicit, nam ubi vulgata legit: *apprehendite disciplinam* Ps. 2. v. 12. alii ex Hebræo vertunt: *adorate puritatem.*. pura Virginitas DEO similem, DEI templum & propè divino honore dignum facit judice Constantino.

Figura 5. Sepulcrû novum Matth. 27. Cuilibet virgini inscribit Spiritus Sanctus: *hæc requies mea.* Ter invenio Dominum quievisse: in utero Mariæ, in sinu Joannis (ùt habet S. Ambrosius lib. 2. de virg. *sinum Joannis ut in eo accumberet libenter Dominus elegit*) denique in sepulcro: *sepulcrum autem erat novum, quòd exciderat Joseph in petra* Matth. 27. Marc. 15. *in quo nondum quisquam positus fuerat* Luc. 23. Joann. 19. typus virginis, quæ à mortali corpore violari se non patitur, & contactum morte pejus horret, est sepulcrum in quo JEsus capit quietem, & celebrat resurrectionem.

Ad singulare solatium vestrum est ò Liliatæ virgines, quod dicturus sum, nec dicturus essem, si non citata catena Græca ad hoc me obligâsset, ait proinde illa: *quod in inviolata MARIA corporaliter, hoc ipsum etiam spiritualiter in omni anima virginitatem servante contingit.* hoc est; sicut MARIA promeruit fieri thronus & templum, quies & deliciæ divino Verbo, ita quælibet vera virgo habitaculum est DEi. Insinuavit id CHRISTUS Matth. 12. v. 5. *quicunque fecerit voluntatem Patris mei, ipse meus frater & soror & mater est.* sed quæ est ista voluntas? fortè voluntas consistit, ut perpetuum servemus iejunium, cilicium, vigilias, omnibus nos denudemus? non hoc requirit DEus: eamus ad Paulum & inquiramus ab eo ex tertio cœlo reduce, quæ sit voluntas Patris? ò Doctor gentium! non nega nobis hanc gratiam, non priva hac nos scientiâ, dic obsecro, quæ sit voluntas Patris? audio responsum ex 1. Thessal. 4. v. 4. *hæc est voluntas* DEI *Sanctificatio vestra.* Sancti estote sicut & ego Sanctus sum Levit. 11. v. 44. quid intelligit per Sanctificationem Apostolus? resciemus id ex Discipulo Pauli Dionysio Areopagita, quem citat Cornelius à lapide hìc. *Sanctitas est perfectissima ab omni inquinatione libera, hanc docuit nos* CHRISTUS *petere Oratione Dominicâ petitione tertiâ: fiat voluntas tua. voluntas tua est castitas nostra.* fiat castitas sicut in cœlo & in terra. sicut Angeli casti sunt per naturam, ita nos per gratiam tuam, ut mereamur in cœlo consociari Angelis juxta illud verbum tuum: in cœlo neque nubent neque nubentur, sed erunt sicut Angeli DEi Matth. 22. Marci. 12. Luc. 20.


Eccli. 26. v. 20. compendium elogiorû Castitatis lego: *omnis ponderatio non est digna continentis animæ*, dicatur in laudem Virginitatis quidquid potest, minus erit quàm debeat. æstimetur quantum potest, nunquam satis æstimabitur. faciamus ex Cruce stateram & ponderemus, Castitatis pretium ac præmium. veniant Patriarchæ cum suis meritis, *non est digna ponderatio.* veniant Prophetæ & quotquot sunt Doctores, non tantum ponderant, quàm una Virgo sapiens. Veniant Apostoli & Martyres: non est digna pon-

ponderatio. Veniant conjugati cum suis eleemosynis, non est digna ponderatio. Virginitas aurum est, Viduitas argentum, conjugalitas æs juxtà S. Hieronymum in c. 2. Dan. Virginitas Sol est, viduitas Luna, conjugalis castitas stella. quæ comparatio stellæ ad solem? ita S. Augustinus in c. 12. Apoc. Virginitas nubes est, viduitas terra est, conjugalis limbus ad mentem S. Ambrosii in exhort. ad virg. super illud: *ecce Dominus sedet super nubem levem.* non est digna ponderatio. Veniant ipsi Angeli, accedant archangeli, Throni adsint cum Dominationibus, Seraphini cum Cherubinis, quid putatis? num isti præponderant? at attendite ad verba Gregorii in Pastorali p. 3. quæ posuit in illam Isaiæ sententiam c. 56. v. 4. *hæc dicit Dominus Eunuchis (Eunuchi sunt qui, inquit Gregorius, compressis motibus carnis affectum in se pravi operis abscindunt) dabo eis in domo mea* ubi mansiones multæ sunt *locum & nomen melius à filiis* i. e. Angelis *& à filiabus.* i. e. ceteris animabus electis. *major est Victoria virginum quàm Angelorum* S. Ambrosius lib. de vid.

§. 7. Brevis repetitio Concionis & Emblema.

At at quò me effusus Liliorum odor, candor, decórque abstraxit, ut tam profusè in castitatis laudem excurrerem? nimirùm vel cogitata Castitas fœcundat animam, & facundam facit lingvam. Plura mihi superessent de lilio, quod juxtà doctrinam Evangelicam, consideratum, pulcherrimas movet, cogitationes, verùm satiùs fuerit non sub rosa, sed Lilio easdem reservare. Vos interim manibus date lilia plenis, atque à Liliorum nitore puritatem, à rectitudine fiduciam, à medicinali operatione pœnitentiam discite, ut plusquam Salomon in omni gloria sua nunc quidem stolâ gratiæ, deinde immortalitatis ac gloriæ cooperiri possitis. Considerare Lilia, sed & respicite volatilia, quæ gratitudinem vocali suo clamore deprædicant, & solicitudinem nimiam, in auras esse mittendam persvadent, verùm utinam hæc universa per aures non exeant, ínque auras abeant, quæ de avibus & Liliis docui & dixi.

Pro Emblemate Lilium effigio, cui Philomela insidet cum lemmate: *quàm bene conveniunt* Vox bona, Odórque bonus. Lilia & Aves respiciamus, eorúmque ex proprietate, puritati vitæ oris suavitatem conjungamus, ut jucundè amœnéque vivamus in bonæ spei Liliis, & ad paradisum aliquando evolemus bonis avibus.





PROBLEMA XVII.

Præſtétne Viduam nubere?

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

Et hæc Vidua erat. Luc. 7. v. 12.

§. 1. Viduas DEus curæ habet.



Uàm cordi DEO ſint viduæ, utriusque teſtamenti paginæ loquuntur. Exod. 22. v. 22. præcipitur: *viduæ & pupillo non nocebitis. ſi læſeritis eos, indignabitur furor meus, percutiámque vos gladio.* Iſaiæ 1. v. 17. *defendite viduam.* Jerem. 22. v. 3. *viduam nolite contriſtare. quodſi non audieritis verba hæc, in memetipſo juravi, dicit Dominus, quia in ſolitudinem erit domus hæc.* certiſſima reproborum nota eſt teſſera illa: *non parcamus viduæ* Sap. 2. v. 10. hos enim manet illa maledictio DEi Deut. 27. v. 19. *maledictus qui pervertit judicium viduæ, & dicet omnis populus Amen.* & Jobi. 24. v. 20. & 21. *oblivíſcatur ejus Miſericordia, dulcedo illius vermes: non ſit in recordatione, ſed conteratnr quaſi lignum infructuoſum,* cujus cauſa additur: *Viduæ bene non fecit.* en quot minæ & imprecationes adverſùm eos, qui viduas fovere negligunt. Nimirum *Judicem viduarum* ſe vocat Altiſſimus Pſ. 67. v. 6. benefactorem earundem ſe appellat Pſ. 132. *viduam ejus benedicens benedicam.* patronus quoque futurus promittitur Pſ. 145. v. 9. *pupillam & viduam ſuſcipiet.* DEum æmulatus piiſſimus Job hoc ſibi ſummo ſolatio extrema ducit in calamitate: *cor viduæ conſolatus ſum* c. 29. v. 13. ut divinam exoraret clementiam Juditha, hoc ſolum allegat motivum, quòd vidua ſit: *ſubveni quæſo te Domine DEus mihi viduæ* Judith. 9. v. 3. non allegat calamitatem populi, periculum urbis, interitum gentis, ſed viduitatem ſuam, ut DEum commoveat ad pietatem. *non parva vis lacrymarum viduæ eſt,* inquit Chryſoſtomus homil. 69. in Joann. *ſed ipſum cœlum poſſunt aperire.* Maximam viduarum curam in lege gratiæ DEus-Homo oſtendit, qui à vidua Anna die quadrageſimâ à nativitate ſua in templo ſuſcipi, ejusdémque viduitatem in annales ſuos referri voluit: *& hæc vidua erat usque ad annos octoginta quatuor* Luc. 2. v. 37. & viduæ minuta duo in templo oblata omnibus ceterorum donariis quantumvis largiſsimis prætulit Marci. 12. v. 40. & Luc. 21. v. 2. *vidit autem & quandam viduam pauperculam mittentem æra minuta duo, & dixit: verè dico vobis, quia vidua hæc pauper plusquam omnes miſit.* hodiernæ quoque viduæ ultrò miſertus eſt, lacrymásque terſit: *noli flere,* & filium defunctum vitæ reſtituit: *dedit illum Matri ſuæ,* cùm tamen ad profuſas aliorum preces,

ipſius

ipsius etiam Marthæ Virginis & Magdalenæ pœnitentis resuscitationem Lazari aliáque beneficia distulerit. Quapropter gentium Doctor Episcopo Timotheo præcepit, *viduas bonora*, quasi aliquid supra Episcopatum habeant honoris viduæ; & Jacobus Apostolus Summam syncerae pietatis adstruit: *visitare viduas* c. 1. v. 27. ex quibus tot tantísque obiter insinuatis viduarum prærogativis dubitare venit in mentem, utrùm non satius sit viduam in viduitatis suæ statu contra quaslibet carnis mundi ac dæmonis infestationes perdurare, an verò ad secundas transire nuptias. quod dum breviter disputo, secundis animis audiri percupio.

1. Timoth. 5. v. 3.

§. 2. Argumenta pro Secundis nuptiis. 1. Cor. 7. v. 39. ib. v. 9.

Secundas nuptias qui damnant, hæretici sunt, damnati suo cum authore Montano ab Ecclesia Catholica & anathemati subjecti, cùm secundas nuptias non modò permiserit, sed præceperit aliquando DEus, quando videlicet defuncti fratris conjugem à fratre superstite duci mandavit Deut. 25. v. 5. Licentiam nubendi cuilibet viduæ promulgat Paulus: *cui vult nubat*, imò hoc melius quandoque fore pronuntiat: *melius est enim nubere, quàm uri*. Certè si viduitas à Divo Ambrosio I. de vid. agris feriantibus post redditos novalium fructus comparatur, non decebit agrum ejusmodi perpetuò feriari, sed legitimis ferendis fructibus postliminio aptari, nè Zizania superseminet homo inimicus. habent enimverò viduæ non unum inimicum, sed legiones integras dæmonum, & qui dæmone pejores sunt, hominum, qui cùm illecebris, tum continuis quasi afflictationibus viduas persequuntur, donec in ruinam impellant. *quid tibi necesse est*, inquit S. Hieronymus ep. 47. *in ea versari domo* (dicam ego in ea permanere vitæ conditione) *in qua necesse habeas quotidie aut perire, aut vincere?* & ep. ad Vigil. *nolo spe pugnare victoriæ, nè perdam aliquando victoriam*. sit excellentior viduarum Status quàm conjugum; at periculosior ille præ isto est. navigat enim viduitas inter Scyllam & charybdim, illecebras videlicet blandientium & furias persequentium, inter quas si non naufragetur aliquando, prope abest à miraculo. De viduis illud Creatoris Dei intelligo: *non est bonum hominem esse solum*. & væ illud, quod solitudini Salomon intentavit, de viduitate accipio: *væ soli* Eccle. 4. v. 10. Incarnata Sapientia in comitatum suum conjugatas admisit teste Matthæo c. 27. v. 55. *quæ secutæ erant JEsum à Galilæa ministrantes ei*, à Virgine Deipara & Martha alimenta suscepit, nuspiam autem ullius mentio fit viduæ, quòd Christum habuerit alumnum, fortassè nè gloriosæ viduitati majoris excellentiæ occasio præberetur.

§. 3. Viduitas Conjugio præstantior.

Hæc potissimùm sunt, quæ subtiliùs quàm solidiùs adversùs viduitatem jactari possunt, unico tamen difflanda halitu, si dicamus cum Apostolo Spiritum DEi habente: *dico autem viduis* (quidquid contradicant adversarii) dico autem viduis: *bonum est illis, si sic permanserint* 1. Cor. 7. imò unaquæque vidua *beatior erit, si sic permanserit*. Nulla sola est vidua, habet enim, ùt dicemus sponsum JEsum, qui cum ipsa est in tribulatione, eodémque in lectulo Crucis accubat, & lævam suam supponit viduæ capiti, dexterâ autem amplexatur & stringit. Nullus furiarum turbo, nulla favoniorum illecebra viduæ nocebit, si ex consilio D. Hieronymi ep. ad Fur. mortem seriò meditata fuerit, & solitudinem turturis æmulata: *cogita te quotidie esse morituram, & nunquam de secundis nuptiis cogitabis.*

bis. Verùm ad viduitatis laudes fusiùs prosequendas progrediamur.

§. 4. Viduas Altari confert S. Ignatius, Sponsas Christi vocat Theophylactus.

Mira est illa D. Ignatii Martyris parænesis in honorem Viduitatis descripta epist. 7. quâ fideles adhortatur, ut Virgines honorent pro Sacerdotibus, Viduas verò pro altaribus: *eas quæ in Virginitate degunt in pretio habete velut Christi Sacerdotes: viduas in pudicitia manentes velut altare DEi.* cur Viduæ altari comparantur? quia res Deo sacra est, omníque superior æstimatione; *res* enim *sacra* ut Jurisconsultus de Senat. l. 9. loquitur, *non accipit æstimationem*. Altare à D. Isidoro quasi *alta res* dicitur; alta res est viduitas, quæ thronum DEi petit, oculos supremæ Majestatis illicit, cor divinum ad se attrahit, ità ut Patrem orphanorum & Judicem viduarum se gaudeat appellari. Altare legis veteris ex lignis Sethim fabrefieri Deus jussit: *facies Altare de lignis Sethim* Exod. 22. v. 1. quia hæc ligna corrumpi non solent, comburi non possunt, ità vidua si verè vidua est carnali putore corrumpi se non patitur, ignes venereos minimè admittit, quia tanquam ara DEo acceptissima perpetuum divini amoris alit ignem. non solæ Virgines Sponsæ Christi sunt, gaudent & viduæ hoc honore: *vidua Christum Sponsum habet, perinde ac virgo*, inquit Theophylactus in 1. Tim. 5. fortè magis quàm virgo Sponsum meretur Christum vidua, tanquam dolorum ejus magis consors, ideóque dignior amore, quia plus philothesii illius calicis, ex quo pro mensura amoris amaror propinatur, participant.

§. 5. Status viduarum regius.

Viduæ Solymæorum Reginæ scribens consolatoria Bernardus ep. 289. non minùs eam gaudere jubet ex statu viduitatis, quàm ex statu regio: *puto quòd & gloria tibi est inter Christianos, non minùs vivere viduam quàm Reginam.* pari passu vidua ambulat cū Regina. hæc legibus mariti non subjacet, illa libera est à lege viri Rom. 7. v. 3. hæc gubernat regnum, illa animum, coronatur diademate Regina, ad coronam evocatur vidua: *veni Sponsa Christi accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum.*

De septima ex Hyadibus (quas septem sorores & sex quidem nupsisse diis, ultimam verò mortali fingit fabula) de septima inquam Hyadum scribit Hyginus c. 192. quòd idcirco non observetur, & diminutos habeat splendores, quia ex imparibus nuptiis erubescit: *conjicitur erubescere, quia mortalem virum accepit, cùm ceteræ DEos habeant.* erubescant omnes illæ viduæ, ínque pudoris tenebras se recondant, quæ divinum Sponsum repudiant, ut terrestri denuò se conjungant. Ablatus morte præproperâ ideo maritus est, quia Zelotes animarum Sponsus à viduis solus vult amari, ínque demortui affectus Sponsi ex integro succedere. cur ergò hunc solum unicè non amant, & cum Sanctis Viduabus Hedvvige, Elisabetha, Brigitta, exclamant: *sola relicta Solum DEum amo!*

§. 6. Cur viduæ atratæ.

Habet hoc Viduitas, ut profusis super marito mortuo lacrymis pristinos fucos & pigmenta, quibus se velut altera Jezabel depinxerat, feliciter diluat, itáque faciem suam ad pristinam reducat formam, ad quam condita à DEO fuerat, prout S. Hieronymus ad Salvinam viduam scribens adnotavit: *Litam purpurisso & cerussâ faciem super feretrum mariti lacrymis diluisti*, at verò si ad secundas transire velint nuptias, faciem denuò deturpare, & DEo Angelísque invisam reddere debebunt,

bunt, quo pacto dæmone ipso deteriores esse manifestè convincentur, qui deformis cùm sit, in Angeum lucis se transfigurat, at verò secundò nuptæ faciem à DEo acceptam devenustantes in angelos tenebrarum se curant transfigurari. Solent viduæ pullis indui vestibus, non tantùm ut testentur marito se commortuas, vel ut significent cœlestis Sponsi insigne se induisse, cui præ ceteris nigredo placet, unde Sponsa: *nigra sum, sed formosa* cant. 1. v. 4. sicut enim vaccinia nigra leguntur, itá nigras JEsus præeligit Sponsas, sed ideo potissimùm nigrum colorem habent proprium, quia hic color constantior ceteris est, in alium enim colorem transmutari se non patitur. qua de causa Sacerdotes Ægyptii pro nobilissimo optimæ Viduæ symbolo nigram Columbam adstruebant, ut easdem constantiæ in statu viduitatis admonerent.

§. 7. Virgines manu ducuntur ab Angelis, Viduæ verò portantur, quo mysterio?

Virginem Virginum MARIAM in supremum gloriæ fastigium à Rege Regum evectam & festivis Hymenæis celebratam describens David, observat gynæceo longè formosissimo eandem cinctam fuisse, non Virginibus modò, sed viduis latera Mariana stipantibus, aut pedissequis supremæ Dominæ vestigia legentibus, quin & illud adnotat Psaltes, singulis seu Virginibus seu viduis Angelum comitem quasi paranymphum adstitisse: *adducentur Regi Virgines post eam, proximæ ejus afferentnr tibi* Ps. 44. v. 15. proximarum nomine intelligi viduas D. Paschasii aliorúmque interpretum est sententia, ad Virgines enim proximè accedunt viduæ, nam ùt S. Ambrosius lib. de viduit. scripsit: *propemodum non inferioris virtutis est eo abstinere conjugio, quod aliquando delectaverit, quàm conjugii oblectamenta nescire, quare & Romani viduas virginibus pares habuêre*, teste Valerio Max. l. 2. c. 1. apud veteres Romanos quæ uno contentæ matrimonio fuerant, coronâ pudicitiæ honorabantur. quas divinus Sponsus non modò ad cœlestes admittit nuptias, sed proximo cordi loco (virgines videlicet à dextris, à sinistris viduas, ubi cor,) honorificè collocat. *proximæ ejus afferentur tibi*. sed quid sibi vult, quòd virgines dicantur adduci ab Angelis, viduæ autem afferri? an potiori in censu apud DEum viduæ sunt, quàm virgines; cùm hæc manuducantur, ùt aulicæ herulæ solent, viduæ verò manibus deportentur, nè fortè ad lapidem offendant pedem suum? an idcirco afferri viduas oportet, quia virginibus infirmiores sunt, istæ enim propriis innixæ pedibus cœlum ingredi possunt, illæ autem viribus sufficientibus destitutæ bajulas requirunt manus, ut ad nuptias priusquam claudatur janua, perveniant? ita omninò se res habet, inquit Paschasius, debiliores sunt viduæ ob tolerata conjugii onera, quàm ut certare robore cum virginibus possent, nec dirigerent pedes suos in viam pacis æternæque salutis, nisi Angeli succurrerent, & ad cœlestes nuptias deportarent. *adducentur virgines, proximæ afferentur.* oraculum Paschasianum audiamus: *virgines dicuntur adduci, quia corporis integritate robustiores sunt: viduæ verò afferri, quæ plerumque fractæ diversis multísque molestiis, multâ jam corporis imbecillitate fatigantur.* si ergò fatigatæ imbecillitate corporis, nihilominùs ad nuptias secundas transeundo fatigari adhuc magis desiderant, næ ego omnibus stultis mulieribus & fatuis virginibus insaniores censuero, liberéque vi discursûs pronuntiâro indignas videri, quas denuò cœlestes genii in suas attollant manus, atque

que ad suprêmas afferant nuptias, quin potiùs in via cœli destitutas prædonibus inferis in prædam cedere permittant.

§. 8. Desipiunt quæ secundò nubunt.

Qui è naufragio vix ereptus mare repetit, ut denuò naufragetur, stultissimo stultior appellatur, quippe qui non sapiat ictus, nec à propriis fiat cautior periculis quandoquidem cavere sibi & sapere debuerat ab alienis, nec ab ea quam fortè evasit vexatione accipiat intellectum. muscipulam nunquam repetet musculus, nec laqueum vulpecula, nec aream passerculus, nec hamum pisciculus, nec locum in quo lapsus est asellus; & vidua in eosdem sese induit laqueos & decipulas, ex quibus maximo cum discrimine vix exîerat. *Bruta animalia & vagæ aves in easdem pedicas retiâque non incidunt*, inquit S. Hieronymus ep. ad Furiam. næ ego brutis omnib' brutiores dixero, quæ spreto viduitatis honore ad secundas nuptias transire amant, quasi onera conjugii & tribulationes carnis & jurgia thori & mille tædia Hymenæi nondum satis sint expertæ.

§. 9. Secundæ nuptiæ carent benedictione, sicut secundus conditi mundi dies.

Qui divina sex dierum opera accuratiùs observârunt, mirabile quid de die Secundo adnotant, videlicet hunc solum divinâ carere benedictione. benedixit diei primo non secundo, benedixit septimo non secundo, benedixit diebus ceteris secundo duntaxat excluso, divinísque benedictionibus destituto. cur secundus negligitur, & solenne illud non accipit verbum: *vidit Deus quòd esset bonum?* quomodo secundus appellari poterit, si secundissimâ careat benedictione? respondet Magister sententiarum, quòd secundus faciat numerum, unitatem dividat, discordiámque designet: *sacramentum aliquod hic commendatur, ideo enim fortasse non hoc dicit: quod tamen in aliis factum est, quia binarius principium est alteritatis, & signum divisionis ab unitate.* non accipit dies secundus benedictionem, & benedictionem speret vidua, quæ primo non contenta marito, transit ad secundum? per numerum binarium intelliguntur nuptiæ, inquit Rabanus, quia pluralitatem spectant, per unitatem verò virgines & viduæ, quæ juxta Isidorum ideo dicuntur viduæ, quasi *non duæ*, siquidem alterutro conjugum mortuo fit ex duobus resolutio in unum. quâ unitate siqua vidua gaudere nolit, sed secundam sibi nuptiarum diem creet, miror si sperare possit eam, quam dies secundus in creatione sua non accepit benedictionem. Certè sanctissima JEsu Sponsa Ecclesia Catholica in ritualium volumine prohibet ad secundas nuptias transeuntibus dari benedictionem, & interdicto Sacerdotem subjicit, qui eandem dare præsumserit.

Mag. sent. in 2. disti 14.

§. 10. Castitas conjugalis vidualem parit Castitatem.

Quodsi ex doctissimo Didaco Baëza requiram, cur multæ viduæ ad secundas tantoperè anhelent nuptias, ut aliter vivere sibi non posse videantur? dicet causam à Christo satis superque insinuatam esse in responso quod Samaritanæ dedit Joann. 4. v. 17. *bene dixisti: quia non habeo virum, quinque enim viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir. hoc verè dixisti.* clamat vidua: virum non habeo, quia quem conjugii tempore habuerat virum, non erat ejus vir, cùm non virum sed quinque viros insaturata bellua habuerit. nimirum conjugalis incontinentia, incontinentiam nunquam non adducit vidualem, ubi vicissim nuptialis castitas facit viduas continentes. Mirabitur omnis ætas & sexus Juditham feminarum pulcherrimam, viduarum castissimam, amazonum invictissimam,

Baëza tom. 2. l. 6. c. 3. §. 30.

mam, quæ potens divitiis, ætate florens, feminarum ævi sui pulcherrima sic vidua vixit, ut pro miraculo illius castitas suspiceretur. audet hæc formosissima Heroina in medium incœstissimorum militum irrumpere exercitum, nec vitreo pudicitiæ splendori medios inter lenones, intérque Principis amores metuere. unde hæc viduæ fortitudo? à lorica & galea, quibus se munierat: *induit se vestibus jucunditatis suæ* c. 10. v. pro lorica & galea vestes pristini connubii assumpsit, quibus vidualem castitatem inter confertissima pericula firmaret. *bene conjugales pugnatura assumpsit ornatus*, inquit S. Ambrosius lib. de vid. *quia momenta conjugii arma sunt castitatis.* Tantum enim casti connubii temperantia valet, ut pro viduali castitate tutanda sufficiat. Juditham æmulata Galla est, de qua D. Fulgentius ep. 2. c. 7. *ad boc divina gratia animum tuum conjugali castitate nutrivit: ut quæ didiceras illo uno vivente alterum non quærere, disceres ab omni viro vidua continere.* erat hæc Galla Symmachi Romani Consulis filia, quæ primo nuptiarum anno orbata marito, cùm ad secundas ab omnibus pœnè cogeretur nuptias, dicerentque Medici, nì nuberet propter igneam complexionem barbatam fore, maluit virilis mulier barbam, quàm maritum, digna quam Petrus Apostolus invisens ad æternas nuptias invitaret. continerent se faciliùs viduæ, si fortassis continentiores conjugii tempore vixissent.

Sed jam contra nupturientes viduas satis dictum, per quæ tamen scrupulum injicere velim nemini, quò minùs secundos celebret Hymenæos. nubant per me licet, & tertium septimúmque, imò ùt Romana illa mulier, quam vidit & descripsit Hieronymus, vigesimâ tertiâ vice nubant; sed tantùm in Domino; ego benedictionem à Domino precari iis possum, impertiri non audeo.

§. II. Emblema.

Pro Emblemate turturem in salice colloco, ex qua suspensæ sunt citharæ fidésque, & turturi quidem inscribo: *miscemus gaudia luctu*; salici verò prope aquas provenienti: *medemur amori.* Prope fluenta lacrimarum & dolorum feliciter viduæ proveniunt, norúntque mederi amoribus, quos scilicet sopiunt lacrymis. Flos salicis libidinem sedat, & sterilitatem creat, Viduitatis flos est oratio, & indefessa operatio, quâ fructus continentiæ illibati servantur. Gemere cum turture quamvìs videatur Vidua, miscentur tamen luctus gaudio, gaudia luctu, beatæ enim quæ lugent, quoniam consolabuntur.



PRO-



PROBLEMA XVIII.

Poſsítne quis absque veritatis diſpendio Maximum peccatorem ſe dicere?

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

Vade recumbe in noviſſimo loco. Luc. 14. v. 10.

DIvinam Ethicam Chriſtus hodie tradidit, dum vocatos ad prandium, non primum ſed imum ambire locum docuit: *Vade recumbe in noviſſimo.* Quam doctrinam altiùs imbibens S. Hilarius Pictavienſis Epiſcopus vocatus à Papa Liberio ad Concilium, impensè id quæſivit ut ſederet ultimus. ſedit, in terra quidem, quæ altiori motu ſe levavit in altum, & cathedræ formam exhibuit, in qua ſuper omnes Spectabilis Hilarius emineret. Sublimius quid accidit Urigmano Religioſo humillimo è familia D. Dominici, qui cùm nullum ſibi congruum in terra locum reperiret, ſub Luciferi pedibus in profundo inferni ſeſe locavit, ſed benigniſſimam hunc cœlo vocem accepit: *citò citò huc aſcende ad thronum altiſſimum, in ipſum cor DEI Patris.* nimirum *ſi ſublimes fieri deſideramus, amplectamur humilitatem, hæc enim unica ad ſupremos honores via eſt* S. Chryſoſtomus homil. 66. in c. 20. Matth. Interrogatus magnus ille Spiritûs Magiſter Balthaſar Alvarez, in quo quis debeat alios ſupereminere, reſpondit: ſi quæris in quo debeas maximè eminere, dico, in te valde valde valde humiliando. didicit hoc Balthaſar à verbis Domini, qui de ſe: diſcite à me quia mitis ſum. *ita magnum eſt parvum eſſe* exclamat ſtupens S. Auguſtinus ſerm. 10. de verbis Domini. & ep. 36. ad Dioſcoridem: *ad ſublimem gloriam unica via eſt humilitas, ſecunda humilitas, tertia humilitas.* Libet proinde quærere: utrùm humilitatis amore maximum ſe quis peccatorem absque veritatis diſpendio vocare poſſit, & noviſſimo inter omnes peccatores loco ſemet deponere, ut æternæ ſapientiæ obſequatur monito: *Vade recumbe in noviſſimo loco.*

§. 2. Congruentiæ ob quas non licet ſe peccatorem maximum appellare.

Multa ſunt quæ ſvadent, illicitum eſſe Veritatis Studioſo peccatorem nequiſſimum ſe proclamare & noviſſimo inter conſceleratiſſimos mortales loco recumbere. Repugnat inprimis rectæ rationi, ut qui teſte conſcientiâ ſuâ minus ceteris peccavit, dicat ſe eſſe majorem peccatorem. certè iniqui judicis partes ageret, qui notorium aliquem nebulonem, puta, Judam, Simonem Magum, Cerinthum &c.

ideo

ideo tibi præferret, quòd ex te audierit dicente, maximum esse te peccatorem. quodsi ergò absque veritatis detrimento alteri de te dicere non licet, pessimum te esse, nec tibi de te licebit idipsum pronuntiare, dum ratio & conscientia reclamant, mala commissa non esse tam enormia, quàm quæ ab aliis patrata, fide plusquàm humanâ constat.
S.Th. 2.2. q.161.a.3. Quapropter Thomas Aquinas in eam concedit sententiam, ut veraci humilitati repugnare asserat maximum se dicere peccatorem. *Non hoc requirit humilitas, ut quilibet reputaret se magis peccatorem quolibet alio.*

Repugnat proinde Veritati maximum se peccatorem dicere, cùm tamen Veritate DEus magis delectetur, quàm fictâ ejusmodi humiliatione, & imaginatione falsâ, fitque insuper periculum, nè mentiendo se peccatorum maximum, hoc ipso talis evadat, qualem se nominat, ita definiente S. Augustino ser. 39. de Verbis Apostoli: *cùm humilitatis causà mentiris, si non eras peccator, antequam mentireris, mentiendo efficeris, quod evitaveras. veritas in te non est.* Certè si Judex à DEo constitutus definire jubereris, uter major nebulo Cainus an Anti-Christus, etsi uterque clamitaret se se esse sceleratissimum, iniqui partes Judicis obires, si pro Caino potiùs quàm Anti-Christo ferres sententiam, & hunc præ illo minorem esse peccatorem pronuntiares; ergo iniquus in teipsum & tibi nequam es, si Caino & Anti-Christo te statuas sceleratiorem, quamvis reclamet conscientia, quæ minus te deliquisse præ illis incorrupto testimonio profitetur.

§. 2. [C]ongru[en]tiæ ob [qu]as non [lic]et se [pec]cato[rem] maxi[mum] ap[pella]re.

§. 3. Refutatio priorum congruentiarum.

Hæc sunt potissimùm quæ in contrariam sententiam afferri solent, quibus respondetur, humilem non considerare peccata quæ fecerunt alii, sed quæ facere ipse potuisset; nec esse comparationem cum judiciis humanis, sed divinis, in quibus abyssus multa. Scit DEus, utrùm non graviori sordeam scelere, etsi illius cognitio me lateat, quàm universa aliorum DEo Judici displiceant flagitia. Nec est ejusmodi error in substantia, (sicut error non est in substantia eleemosynæ, ficto eandem mendico conferre) cùm probabilem pro se causam habeat maximum se peccatorem dicendi ob ea videlicet flagitia, quæ commissurus, nisi divinâ gratiâ præventus fuisset. Nec obstat quòd de altero ferre hoc judicium non audeam, maximum illum esse peccatorem, obstat enim lex charitatis, quæ requirit, ut *semper consideret homo* (verba Petri Blesensis ser. 30.) *quid sibi abest boni & quid aliis adest*, non autem quid vitii aliis, quid sibi præstò sit virtutis. quod Augustinum attinet, suorum ipsemet interpres est verborum, cùm addit: *veritas in te non est, nisi ita te dixeris esse peccatorem, ut etiam esse* agnoscas. Et quamvis ex Angelici Doctoris mente non hoc requirat qualiscunque humilitas ut quilibet reputet magis se esse peccatorem quovis alio, requirit nihilominus humilitas perfectissima, ut secundùm DEi voluntatem, Christi præceptum, Sanctorum exemplum, Patrúmque latam sententiam unusquisque se reputet maximum peccatorem. A Patribus ordiamur.

§. 4. Ratio prima, cur quis maximum peccatorem dicere se possit, ab authoritate Patrum.

Audio Sanctissimos eruditissimósque Ecclesiæ Doctores Gregorium Magnum, Hieronymum Doctorem Maximum, D. Maximum Episcopum, Ambrosium, Chrysostomum, Basilium, Bernardum, Anselmum, Laurentium Justinianum, communibus suffragiis & iisdem pœnè verbis definire. Sanctam & Salubrem esse cogitationem, quâ

O quis

quis noviſſimo inter peccatores loco recumbit, & nebulonum omnium conſceleratiſſimum proclamat. Loquatur Pontifex Maximus Gregorius: *proprium electorum eſt, quòd de ſe ſemper ſentiunt, infrà, quàm ſunt.* Nam *probatio Sanctitatis non eſt ſigna facere, ſed de proximo meliora quàm de ſeipſo ſentire.* Gregorio accedit Hieronymus ita ſcribens ad Celantiam ep. 14. *nihil eſt quod nos ita & hominibus gratos & DEO faciat, quàm ſi vitæ merito magni, humilitate infimi ſimus.* ſuffragatur Hieronymo S. Maximus ſerm. de S. Michaële: *humilitate pervenitur ad regnum, ſimplicitate penetratur ad cœlum. Quiſquis ergo cupit divinitatis tenere faſtigia, humilitatis ima ſectetur.* imum proinde inter peccatores locum ſvadet Maximus, ut ex imis fiamus primi Sanctorum. Melleè Ambroſius lib. 3. offic. c. 4. *Viri Chriſtiani eſt præferre ſibi alterum, nihil ſibi arrogare.* Fuſiùs S. Chryſoſtomus eandem exequitur Veritatem Homil. 3. in Matth. & Hom. 33. in Gen. *nihil ſic eſt amicum DEO, quàm ſi quis minimis ſe adnumeret, eſtque id caput totius Philoſophiæ atque faſtigium. Minimum de ſe ſenſiſſe tam magnum eſt, quàm res maximas feciſſe.* quid clarius? quid elegantius? quid divinius? audet inſuper dicere idem Orator aureus, cetera nihil fieri facinora, niſi minimo ſe quis loco duxerit: *etiamſi quis ſibi plurimorum bene geſtorum conſcius ſit, niſi apud ſe ſentiat, quòd omnium ſit poſtremus, nulla ei futura utilitas eſt ex omnibus ſuis operibus.* Baſilicè Baſilius Serm. de Abdicatione pronuntiavit: *ſtudioſè operam dato, ut omnium noviſſimus ſis ac ſervus omnium, quando iſtâ ratione unâ veram tibi ac ſolidam gloriam paries, non autem illam vanam caſſamque.* Atque ut idem Doctor ſcrupulum eximeret, nè dicendo ſe noviſſimum peccaret in Veritatem, preſſiſſimis verbis edicit c. 3. conſtitut. Monaſt. *non dices mendacium, ſi te peccatorem dixeris. dic potiùs: pejor ſum reliquis peccatoribus.* Eadem eſt D. Bernardi ſententia Serm. 37. in cant. *non eſt periculum quantumcunque te humilies, quantumcunque reputes minorem quàm ſis, eſt autem grande malum horrendumque periculum, ſi vel uni in cogitatione tua te præferas. Quam ob rem noli te Homo comparare majoribus, noli minoribus, noli aliquibus, noli uni.* Quam ſui vilipenſionem tanti facit idem mellifluus Doctor, ut ſerm. 13. in cant. pronuntiet: *hoc ego ipſis Virtutibus mirabilius judico.* Bernardi ſententiam comprobat S. Anſelmus, allegátque illud D. Pauli oraculum: *in Humilitate ſuperiores ſibi invicem arbitrantes*, Cujus cauſam reddit: *nè dum ſe aliis alter humiliat, Humiliatio iret alteri in elationem*: breviter & nervosè S. Laurentius Juſtin. Serm. de S. Jacobo Apoſtolo: *omnium te minimum arbitrare*, quam ſubmiſſionem vehementer conducere ad impetrandum DEI miſericordias, aſſerit S. Joannes Climacus gradu 25. *ſi proximum noſtrum ubique ex intimo affectu cordis meliorem nobis eſſe arbitramur, juxta eſt divina miſericordia.* Habemus ùt opinor ſufficientiſſima Sanctorum Patrum teſtimonia, quibus clarè evincitur, non licitum modò, ſed ſalubre admodum, imò & neceſſarium eſſe noviſſimo inter peccatores loco recumbere. Videamus nunc Sanctorum exempla qui quod docuerunt ore, idem opere demonſtrârunt, & noviſſimum inter homines locum, tanquam omnium viliſſimi prenſaverunt.

Philipp. 2. v. 3.

§. 5. Ratio ſecunda ab exemplis Sanctorū.

De Sancto Sanctorum DEO-Homine teſtatur Evangelicus vates: *vidimus eum deſpectum & noviſſimum virorum* Iſ. 53. v. 3. Noviſ-ſimum

ssimum locum elegit in stabulo, novissimum in Crucis patibulo, novissimum in Sionæo cœnaculo, ad pedes sceleratissimi sui proditoris. Fuit Christus in omni vita *novissimus virorum*; jam nunc verò, cùm super omnes cœlos exaltatus est, fit novissimus ciborum. Cœnam enim Eucharisticam sub vilibus speciebus sub finem usualis cœnæ idcirco instituit, ut infinitam suam Majestatem & gloriosissimam humanitatem ad vilitatis punctum redigeret. quid facit sub Eucharisticis speciebus ter optimus maximus JEsus? Humiliat semetipsum sub vilium specierum velo, nullo se & Majestatem suam prodens indicio, imò exponens se omnibus nefariorum hominum ludibriis atque contumeliis. quid prætereà facit JEsus in Eucharistia? fit obediens & subditus ad vocem cujuslibet scelestissimi Saccerdotis, ut quoties hic voluerit, illicò se sistat, nec discedat, quoad species fuerint consumtæ, quidquid intereà illi contingat, aut contingere possit. Quid denique facit Eucharisticus JEsus? vocat, invitat, expectat, esurit peccatores, ut eorum fiat cibus & in vilissimum humani corporis locum, qui est ventriculus, sordium omnium sentina deponatur. Nec illibenter eò deponitur, dummodo suo nos trahat exemplo ad novissimum locum capessendum. *Scire se submittere* inquit Basilius Magnus l. 3. de abdicatione, *Christum est scire imitari.*

Philipp. 2. v. 8.

S. Bernardus ser. super signum magnum.

Imitata quàm proximè filium est Mater & humilis Domini Ancilla MARIA de qua Bernardus: *meritò facta est omnium Domina, quæ se omnium exhibebat ancillam. meritò super Angelos exaltata est, quæ infrà viduas & pœnitentes, infrà eam de qua fuerant ejecta septem dæmonia, ineffabili se mansvetudine inclinabat.* Humilitatem Marianam ex omnibus modestissimæ Virginis gestibus & actionibus colligimus. in matrem DEi electa vilissimis Ancillis se componit: *ecce ancilla Domini!* Elisabetham amicam suam obsequiis & Salutatione prævenit: *ecce enim ut facta est vox Salutationis tuæ* Luc. 1. v. 44. & quasi foret Elisabethæ mancipium, quæ erat Domina Angelorum, in domesticis servitiis trimestre exigit: *mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus* Luc. 1. v. 56. Josepho similiter se postponit: *pater tuus & ego* Luc. 2. v. 48. imò inter Apostolos & discipulos ultimum locum capessit teste Luca Act. 1. v. 14. *Hi omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus & MARIA matre JESU.* Quocirca de illa scripsit S. Ignatius M. *devotis devotiùs humiliabatur & reverentiùs.*

S. Ignat. M. ep. ad S. Joann. Evangel.

Eodem Spiritu agebatur Doctor gentium qui de se: *peccatorum primus ego sum* 1. Tim. 1. v. 15. *ego sum minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus* 1. Cor. 15. v. 9. in quæ verba aureè Chrysostomus: *hoc verè humilitas est in omnibus seipsum abjicere, ac se minimum appellare.* cogita quisnam esset is qui hæc verba proferebat. Paulus cœlorum civis, Ecclesiarum columna, terrestris Angelus, homo cœlestis. talis quippe virtutis est potentia, ut hominem in Angelum convertat, efficiátque ut anima velut pennis prædita in cœlum tendat. hucusque Amator Pauli Antiochenus Orator.

S. Chrysost. hom. de pœnit. Achab.

Paulum æmulatus terrestris ille Seraphinus paulò minoratus ab Angelis Franciscus Assisias, maximum peccatorum, teste Bonaventura dicere se solebat. Franciscum Seraphicum imitatus Franciscus Xaverius mortalium omnium nequissimum teste Tursellino se appellabat. minimæ Societatis Fun-

S. Bonav. vitæ c. 6. Tursellin. l. 6. c. 8.

Ribat. in Process. Tolet. dator Ignatius existimavit teste Ribadeneira, se omnibus hominibus pejorem.

Non concesserunt in hac sui despicientia viris feminæ. S. Catharina Senensis causam se omnium calamitatum, hujus vitæ proclamabat. S. Theresia ex corde sentiebat maximam se mundi peccatricem, totóque corpore contremiscebat; S. Maria Magdalena Pazzia Sacram Synaxin accessura à terra absorbendam se rebatur, dæmonibus similem & humilitatis dono indignam judicabat. Omitto innumeros alios, neque enim ullum cœlorum civem, esse arbitror, qui omnium minimum sese non æstimâsset, unde Christus die novissimo electos omnes *Minimorum* titulo compellabit: *quid fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis* Matth. 25. v. 40. quid ais, quærit Chrysostomus, si fratres tui sunt, quomodo Minimos eos appellas? & respondet: *ideo fratres quia humiles, quia abjecti, quia Minimi.* Comparantur electi grano Sinapis, *quod minimum est omnibus seminibus* Matth. 13. v. 32. ut sciant, qui in immortales paradisi arbores volunt excrescere, minimos se reputare. Gen. 42. v. 13. *M*inimus inter fratres Beniamin fuit, ideóque ceteris charior & typus electorum. Minimum se censuit Gedeon, cùm angelo diceret: *ecce familia mea infima est in Manasse, & ego minimus in domo patris mei* Jud. 6. v. 15. atque idcirco meruit, non tantum de manu Madianitarum liberari, sed & ceterorum agere liberatorem: *dixitque ei Dominus: ego ero tecum & percuties Madian quasi unum virum* v. 16. Minimum reipsâ se habuit Josue cum deterrimum pro se suisque posteris in distributione terræ Sanctæ locum elegit, Thamnathsaran urbem dirutam, loco aspero & horrido, sterili & montoso sitam, de quo S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ: *satis mirata est Paula, quòd distributor possessionum Josue sibi montana & aspera elegisset.* nimirum quia Josue typum JEsu & Salvandorum exprimebat, idcirco loco ultimo ultimum ac vilissimum fundum sibi postulavit. Minimum se agnovit Saul, ideóque protorex Israelis à Samuele meruit consecrari. *respondens autem Saul ait: nunquid non filius Jemini ego sum de minima tribu Israel & cognatio mea novissima inter omnes familias de tribu Beniamin?* 1. Regum 9. v. 21. & mansisset utinam Saul minimus in oculis suis; non enim modò temporale Israelis regnum, sed æternum in Empyreo imperium consecutus fuisset. Consecutus id est David, quia semper erat in oculis suis minimus, ceu in ætate: *David autem erat minimus* 1. Regum. 17. v. 14. Quotquot peccatores se maximos, mortalium minimos, novissimo loco infra Luciferum & tartari pavimentum ter dignissimos se esse arbitrantur, audient aliquando ex ore Christi illud repeti hodiernum: *Amice ascende superiùs.*


Cur ab extremo deducat DEus nubes. Electos nubibus assimilat Psaltes dum canit Psal. 134. v. 7. *educens nubes ab extremo terræ.* Cœlos decorant nubes, fœcundant terras, ipsumque cœlorum Regem suscipiunt, Cur ergo ab infima terræ parte generantur? cur non ex medio? cur non ex montium cacumine? quia per nubes intelliguntur electi, quos ab extremo humilitatis adducit DEus, ut adnotavit Origenes hom. 8. in Jerem. si volumus nubes fieri ad quas perveniat veritas DEi (veritas enim ejus usque ad nubes) novissimi omnium fiamus, ut illi conformemur, qui ait: ego

ego sum Alpha & Omega, primus & novissimus, & quidem ideo primus, quia novissimus. *Gaudet summè DEUS* inquit Oleaster in c. 48. Gen. *ex minoribus majores facere, ut si cupias major fieri, te facias minimum.*

Guarr. Ser. 1. de purific. Utinam (cum Guerrico exclamo & finio) nos illam haberemus humilitatem in peccatis nostris, quam verè Sancti habuerunt in virtutibus suis! ò si vel cum Publicano pectus tundente seriò dicamus: mea culpa! mea culpa! major quàm omnium qui sunt, fuerunt, erunt hominum, major quàm omnium reproborum & dæmonum mea maxima culpa.

Pro Emblemate Spicam granis gravidam, ideóque in terras pronam fingo cum lemmate: *quia plena.* frugiferæ plenitudinis typus est illa demissio; nemo enim infra alios se demittit ex animo, nisi cujus animus plenus est virtutum. Spicis Pomum appono fructibus turgidam, cui vetus inscribo *lemma: inopem me copia fecit.* Copia virtutum facit, ut Viri sancti putent se spiritu inopes, & maneant semper corde humiles. §. 7. Emblema.

* * * * *
* * * *
* * *
* *





PROBLEMA XIX.

Quoties & Quando obliget præceptum Divini Amoris?

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

Diliges. Matth. 22. v. 37.

§. I. Magis amant DEum Viatores quàm Comprehensores. ex tract. ult. S. Aug. in Joan.

PAradoxum quid attulisse videbor hodie, si dixero, magis DEUM in terra quàm cœlo diligi; est nihilominùs indubitata hæc D. Augusti doctrina, magis Deum à Viatoribus quàm comprehensoribus adamari. Cùm enim Sanctus hic Doctor vitam mortalem & immortalem in duobus discipulis Petro & Joanne adumbrari docuisset, quorum alteri dicitur: *tu me sequere* in Cruce & tribulatione, de altero verò pronuntiatur: *sic eum volo manere* in statu bonorum omnium perfecto, augustam hanc profert sententiam: *propterea nos tunc eum minùs dilecturi sumus* in vita immortali, *quando meliores erimus, cùm meliores utique nisi ampliùs eum diligendo nullo modo esse possimus. sicut enim Joannes qui vitam æternam significat minùs Petro dilexit, & magis Petro dilectus est, ità minùs in cœlo electus diligit, etsi ampliùs à Christo diligatnr.* at quo ex capite minùs diligere censendus est? quia amor comprehensoris necessarius, viatoris verò est liber, ideóque hic capax meriti, expers ille; amor viatoris ob perfectæ cognitionis defectum difficilis, comprehensoris autem ob claram DEI visionem facillimus. amor beati absque dolore & cruciatu est, amor verò hominis mortalis quotidianâ mortificatione velut aurum in fornace probatur. *ideo misericordiam Domini, quam nobis de miseria liberandis exhiberi volumus, plùs amamus, eámque quotidie maximè pro peccatorum remissioue poscimus & habemus. hoc per Petrum significatum est plùs amantem, sed minùs amatum, quia minùs nos amat Christus miseros, quàm beatos. Veritatis autem contemplationem, qualis tunc futura est, minùs amamus, quia nondum novimus, nec habemus. hæc ergò per Joannem significata est minùs amantem, sed plus amatum, quia id quod per illum figuratum est, hoc efficit beatos.* Hucusque Doctor Hipponensis. Verùm etsi ex hoc capite amor Petri sive Viatoris laudabilior censeri potest, quàm Joannis seu comprehensoris, ex aliis nihilominùs rationibus in immensum perfectior beatorum amor esse, convincitur, quàm terrigenarum, inter quas ultima non est, quòd Cœlestiú amor interrupt' non sit, sed continuus, totísque ex viribus procedens, amant enim quantùm possunt, & quamdiu possunt, at verò amor noster remissus & interpolatus est. quotusquisque enim Deum

DEum interdiu (de nocte taceamus) diligit, non dico horâ integrâ, sed vel integro horæ quadrante? quot sunt, qui neque tunc DEum diligunt, quando sub lethifera noxa amare tenentur, etsi raro admodum & non nisi tribus vicibus, ut breviter dicturus sum, sub æternæ mortis reatu amare teneantur.

§. 2. Cor DEO offerendum.

Vulgatissima Historia est de Eremicola ardentissimis DEum interpellante suspiriis, dignaretur sibi revelare, quid sibi agendum sit ad salutem securissimè obtinendam? talia oranti transformatus in Angelum lucis dæmon apparuit, dixítque auditas esse supplicis preces, séque ideo missum, ut compendio viam Salutis edoceat. Tria inquit donanda DEo sunt: nova Luna, totus Sol, Caput Romæ. novam Lunam, Solem totum & urbis Romanæ caput DEo offer, & salva sunt omnia. ex his si vel unum desit, oblatio est nulla & salus impossibilis. stupuit eremi incola & moto capite judicavit hæc esse impossibilia, adeóqué desperare cœpit de salute. sed misertus DEus miseri, submisit verum Angelum, à quo doctus est Eremicola, priorem fuisse tenebrarum genium, qui quamvis rem primâ fronte impossibilem proposuerit, reverà tamen facillimum quid & prorsùs necessarium protulisse. Tria illa designant COR. Luna nova format literam C. Circulus, Solis designat literam O, per Caput Romæ intelligitur litera R, & hæc tria Conjuncta *COR* significant. per Cor autem exercitium divini amoris exigitur, hoc enim est primum & maximum mandatum, diligere Deum ex toto corde, anima, mente, donando illi voluntatem, intellectum, & memoriam. hoc verò præceptum nos primùm obligat in adolescentia, deinde in omni graviori tentatione, demùm in articulo mortis.

§. 3. Recens memoria divinorum beneficiorum cogit ad amandum.

Plena mysterio est illa devotæ animæ sententia Cant. 1. v. 2. *oleum effusum nomen tuum, ideo adolescentulæ dilexerunt te.* dilectionis causa est olei effusio, & quid sibi vult hoc oleum? illuminatissimus Ludovicus de ponte lib. 1. exhort. 31. per oleum intelligit divina beneficia in creatione, redemtione, speciali vocatione unicuique collata quæ si ritè expendantur, impossibile est, non amare DEum. Unde & Cœlitum amor non est liber, sed necessarius. quamdiu recens fuit memoria creationis mundi, nulla potuit esse idololatria, *neque erant ab initio idola* Sap. 14. *propter recentem memoriam creationis mundi* ait S. Thomas. quamdiu recens fuit memoria redemtionis mundi, homines erant Sanctissimi, ad omnem cruciatum pro Christo paratissimi, ab omni peccato alienissimi, ùt patet ex actis Apostolorum in primis Christicolis, quia videlicet oleum effusum, ideo adolescentulæ, sive tales animæ, quæ habent recentem memoriam, dilexerunt. & quid hoc vult *adolescentulæ*? non omnes homines promiscuè, sed tantùm adolescentulæ? libenter illas aulæ cœlestis Herulas nôssem! existimant quidam peritiores lingvæ Hebraicæ, quòd per adolescentulas intelligantur illæ virgunculæ, quæ spretis deliciis & divitiis, magnificis Hymenæis & officiis, spebus & rebus divino se obsequio mancipârunt. SS. Bernardus & Anselmus interpretantur omnes incipientes in virtute, seu qui sunt in via purgativa. SS. Gregorius & Ambrosius volunt illos intelligi, qui positâ vitiorum & antiquorum Habituum senectâ renovati sunt in baptismate vel Sacramento pœnitentiæ, qui omnes dum beneficia divina mente versant, cogi se sen-

S. Thom. 2. 2. q. 94. a. 2.

ſentiunt, non trahi tantùm, ad amandum tam bonum DEum, quo impoſſibile eſt melius quidquam fingi. Adoleſcentulæ ſunt omnes in virtute conſtantes animulæ, quæ videlicet non veteraſcunt vitiis; ſicut Angeli adoleſcentûm ſpecie effigiantur; adoleſcentulæ ſunt, quotquot DEum nunquam graviter offenderunt, nec contra primum egêre mandatum. & hoc collige ex verbis: *dilexerunt.* nec enim absque cauſa dictum eſt: *dilexerunt,* non *diligunt*, vel *diligent*, non quòd DEus non ſit omni ætate, omníque tempore amandus, ſed quòd ſit amandus in adoleſcentia, quàm primùm quis perfecto uſu potitur rationis.

§. 4. Obligamur Deum amare ab adoleſcentia.

Unde docet S. Thomas l. 2. q. 89. a. 6. peccare illum mortaliter, qui perveniens ad uſum rationis, omittit amare DEum ſuper omnia, quia non ordinat ſeipſum ad debitum finem, non faciens quod in ſe eſt. non obligat autem hoc præceptum, niſi poſtquam per fidem ſufficienter illuſtraris de amabilitate DEi, à quo omne tibi bonum procedit, quâ cognitione habitâ, ſi diu differas, v. g. per annum actum divini amoris, mortaliſſimè peccas. ita peccârunt Angeli caduci, quia non amârunt ſuper omnia ſummum bonum intrà illud temporis punctum, quod à Creatore DEo iisdem fuerat indultum. Clara obligationis hujuſce ſimilitudo deducitur à Rege terreno vel Cæſare, qui legitimè propoſitus & ùt ajunt *inſtallatus*, ſi à ſubdito & vaſallo non accipiat homagium intrà certum tempus, habet ſubditum pro læſæ Majeſtatis reo, confiſcantúrque bona omnia. Similiter quando tibi per agnitionem Regum Rex in intellectu proponitur, niſi cor eidem offeras, perduellis & mortis æternæ reus es.

§. 5. Altera obligatio eſt in graviori tentatione.

Alteram obligationem ponunt theologi, in tentatione valde gravi & periculoſa, unde Fernandez cenſet hanc fuiſſe ultimam diſpoſitionem in Eva ut laberetur in actum rebellionis, ſeu inobedientiæ, quia tentata non dixit, non cogitavit: *diligo DEUM meum, & ideo in tam bonum Dominum peccare non poſſum.* Prudentiùs egêre Abraham, Iſaac, Jacob, Joſeph, tres in fornace Babylonica pueri, qui quòd actum amoris divini in graviſſimæ periculo tentationis elicuerint, omnem meruêre felicitatem. Tres pueros audiamus virili hac ſe voce animantes: *nunc ſequimur te in toto corde, & timemus te & quærimus faciem tuam,* hæc illos reſolutio ab ignibus præſervavit æternis, & temporali etiam incendio abſolvit. *non aliter progreſſi ſunt ex camino, quàm ſi ex ipſo cœlo prodirent* inquit S. Joannes Chryſoſtomus. Joſephum ab amore fœdo puriſsimus DEi amor continuit, & ſalutarem perſvaſit continentiam divinorum memoria beneficiorum: *quomodo hoc poſſum malum facere* & peccare in DEUM tam bonum & amabilem? Jacobum in exhauſtis quatuordecim annorum laboribus amor ità confortavit, ut quamvis diu noctúque æſtu ureretur & gelu fugerétque ſomnus ab oculis, ùt ipſemet ingenuè confeſſus eſt Gen. 29. v. 25. dies tamen viderentur pauci *præ amoris magnitudine.* Rachelis pulcritudo ſtimulus & ſcintilla Jacobo fuit ad amandum DEum pulcritudinis omnis fontem, ſubeundóſque in illius gratiam omnes labores: *laborem ſervitutis* inquit S. Auguſtinus, *facilem & levem amor faciebat,* & rurſùm: *ubi eſt amor non eſt labor.* quod enim grave (quærit D. Gregorius) non leviter tolerat, qui amat? levis eſt Iſaaco faſcis lignorum, leviter ad montem & mortem, properat levis jactu-

Dan. 3. v. 41.

S. Chryſoſtomus Hom. 8. in ep. Eph.

S. Auguſtin. q. 88. in Gen. Id. in c. 21. Joann. S. Gregorius l. 5. c. 2. in 1. Reg. 12.

jactura floridæ fit ætatis, quia amat DEum, cui ſeſe immolare gaudet in ſvaviſſimum amoris holocauſtum. Poterat Iſaacus cum Sponſa dicere: *faſciculus myrrhæ dilectus meus mibi*, non qualecunque lignum, ſed lignum Sacroſanctæ Crucis, in quod Meſſiam aliquando affigendum didicerat, ſibi ferre Iſaacus, ideóque & in ipſo faſciculo ipſummet dilectum geſtare videbatur. Pulcrè de hoc faſciculo Bernardus: *non faſcem ſed faſciculum dilectum dicit, quòd leve præ amore ejus ducat, quidquid laboris immineat vel doloris.* Obſervat inſuper mellifluus Doctor myrrheum faſcem non cuicunque ſed amanti faſciculum vocari: *mihi quæ diligo faſciculus eſt, nec enim levis eſt paſſionis aſperitas, ſed levis eſt amanti. unde & Dilectum nominat monſtrans dilectionis vim omnium amaritudinum ſuperare moleſtiam, quia fortis eſt ùt mors dilectio.* levis Iſaaco lignorum faſcis fuit, dulcis gladius, ſvavis ignis, jucunda pro DEo mors, quia amabat, & in gravi hac tentatione mandatum maximum exercebat. Sed & parenti Abrahamo ex eodem capite leve fuit iter, ſive cùm egrederetur ex patria, ſive cùm ingrederetur Ægyptum, ſive cùm progrederetur ad montem *Moria*, *quia divini amoris ardor, qui ejus pectori inſidebat*, verba ſunt D. Hieronymi, *ità omnes viarum aſperitates mitigabat, ut illas quidem adire, non ſentire videretur.* viæ licèt duræ fuerint, Abrahamo tamen faciles amor fecit, ut dicere potuerit: *ego cuſtodivi vias duras.* Pſ. 16. v. 4. duræ ſunt timori ait Auguſtinus, leves amori. Faciemus & nobis ex aſperis planas, ex longis breves, ex duris vias leves, ſi in omni graviori tentatione actum amoris divini elicere meminerimus; nè à ſalutis ſemita deviemus.

Cant. 1. v. 12.

S. Bernar. ſerm. 43. in Cant.

S. Hieronymus in antiqq. Hebr.

§. 6. Tertia obligatio in articulo mortis.

Tertia obligatio eſt pro articulo mortis, in quo tenetur Homo Creatorem ſuum tantùm amare, quantùm poteſt ſinè magna aliqua difficultate, ut contra hoſtes viriliter decertet, ſalutem ſuam aſſecuret, veniam peccatorum aſſequatur, quia juxta Toſtatum per actum divini amoris delentur peccata venialia, & facienti quod eſt in ſe, DEus non denegat gratiam, finalem potiſſimum, quam tametſi de condigno promereri non poſſimus, poſſumus tamen de congruo. Nec ſufficit amare tunc DEum amore concupiſcentiæ, ſed benevolentiæ, hoc eſt, ſuper omnia, videlicet, plus quàm divitias omnes, delicias omnes, honores omnes, famam, fortunam, vitam, ſalutem, cœlum, ùt multis probat D. Auguſtinus tract. 5. in Joann. c. 12. Sed non ſperet quis actum amoris DEi in morte, qui ſe non exercuit in vita. ſicut in ſomnio occurrunt illa, quæ de die phantaſiæ fuêre objecta, ità cùm ſomnus mortis appropinquat, recurrunt ea, quæ chariſſima fuêre in vita.

1. Reg. 17. armat Saul Rex monomachum Davidem ad duellum, induítque paſtoritium puerum veſtimentis regiis, galeam æream capiti, loricam pectori, rhomphæam lateri, ſed paſtorculus iſte non valet incedere & ſe movere, unde ad Saulem converſus: *non poſſum ſic incedere, quia non uſum habeo.* v. 39. ſic multis morientibus contingit, pugnandum illis eſt cum terribili gigante, certandum pro regno æterno, pro victoria æterna, pro gloria æterna. Libenter tibi Angelus Cuſtos imponeret *galeam ſalutis, ſcutum fidei, loricam charitatis*, tunc oporteret ſumere *gladium ſpiritûs* Eph. 6. v. 14. ſed replicatur à multis: non poſſum ſic incedere, quia

1. Theſſ. 5. v. 8.

non usum habeo. clamet Confessarius: Ama DEum super omnia. Æger fractâ voce reponet: non possum sic incedere, quia non usum habeo. ingerat bonus Angelus: lega substantiam tuam, non amicis, quia non indigent, non in usus profanos, quia nil prodest; sed pauperibus, quia hi maximè grati sunt: at: non possum, quia non usum habeo, vel cruciferum illibenter dedi in vivis, & jam vis ut legem millia? surdo hæc canitur fabula.

§. 7. Praxis amoris exercenda quolibet manè.

Exerceamus itaque nos in vita, & quia tota vita per diem naturalem adumbratur cujus aurora adolescentiam, meridies ætatem virilem, senectam vespera significat, ab adolescentia cujusvis diei, primo videlicet manè amemus DEum, sitque prima occupatio evigilantis cum Anselmo dicere: *veni Domine, veni ò bone JEsu*! aurora mea, lux mea, sol meus, vita mea, dies meus! jam enim pedes meos nolo, nisi ut te quæram; nolo manus meas, nisi ut tibi serviam; nolo genua, nisi ut te adorem; nolo linquam, nisi ut te laudem; nolo denique cor, nisi ut te amantissimè diligam. Dic cum Seraphino terrestri, Ignatio: *suscipe Domine universam meam libertatem, amorem tui solum mihi dones, & dives sum satis.* pereat pecunia, dummodo non pereat in corde amor divinus, qui me solus divitem facit. conflagret domus, dummodo non extingvatur amor DEi in corde meo, habebo aliam domum, non manufactam, habitabo in vulnere lateris Christi. rapiat mors quidquid charum est, charior omnibus DEus & ejus amor est, quem mortale scelus mihi non eripiat! ità manè & sæpius interdiu dic, ut idem dicas in morte. non sumus tam multùm meriti, ut moriamur martyrio amoris cum SS. Theresia, Catharina Senensi, Stanislao Kostka, desideremus saltèm ex amore mori, & in hoc desiderio exerceamus nos à cujusvis infantia diei.

§. 8. Ab infantia morti colluctandum.

Notavit S. Ambrosius in Psal. 118. quòd Saul non admisisset Davidem ad duellum cum Goliatho, nisi is demonstrasset fortitudinem ab infantia 1. Reg. 17. dicenti enim Regi v. 33. *non vales resistere philisthæo isti, nec pugnare adversus eum quia puer es, hic autem vir bellator est ab adolescentia sua.* respondit David v. 36. *& leonem & ursum interfeci ego servus tuus.* in quæ Mediolanensis Orator: *non esset admissus David, nisi fidem fecisset, quòd in sua adolescentia leonem suis manibus peremisset.* Similiter de multis ex vero dici potest: non vales resistere huic & illi tentationi per decursum diei, quia sub diei crespusculum amare, & Jacobi instar surgente aurorâ cum amore divino luctari neglexisti. multò autem veriùs in agone vitæ tuæ dicetur; non vales resistere morti, & tamen nisi vincas periisti. Hic bellator est ab adolescentia sua, quando mors adhuc juvenis fuit (mortis cunæ fuêre in arbore vetita) terribiles illos gigantes, de quibus Gen. 6. v. 4. *isti sunt potentes à seculo viri famosi* debellavit, jam autem multò evasit robustior; non vales pugnare adversùs eam, nisi possis dicere, quòd ab adolescentia jam te exercueris, mortem provocâris, mori desiderâris. non est enim alia ars vincendi mortem, quàm per amorem. *Omnia vincit amor* ait Virgilius Eclog. 6. *& nos cedamus amori.* S. Augustinus verò lib. de Doctrin. Christiana: *sola charitas est, quæ omnia vincit.* charitatem hanc & dilectionem quæ *fortis ùt mors canitur* Cant. 8. v. 6. impetrandi duo sunt media facilia, sed tertium certius. Medium primum:

mum: recole quotidie septem dolores B. Virginis. Secundum: age gratias quotidie pro conversione S. Mariæ Magdalenæ. tertium est usus & exercitium frequens: *multùm differt assuescî sic* ait Aristoteles 2. Eth. in hoc exerce te quotidie, si vis vincere in prælio novissimo. O si de unoquoque nostrûm dici possit, quod de Moyse Deut. 34. v. 5. *mortuus est Moyses jubente Domino,* in Hebraico est, *in osculo Domini.* moritur in osculo Domini, qui in osculo Domini vixit. Goliath mortuus est in osculo terræ: *cecidit in faciem super terram* v. 49. cur non supinus cecidit? respondet Abulensis, quia terræ filius fuit, in osculo terræ mortuus est, qui in affectu terrenorum vixit. non sic Stephanus qui moriens clamat: *video cœlos apertos*, non Petrus qui inversus crucifigi vult, quia in affectu cœlestium vixit. non sic JESUS, qui inclinato capite super Mariam ùt vult Philippus Abb. in Cant. ideo spiritum emisit, quia in amore ejus vixit. Faxit Amor Omnipotens, ut ex hoc momento incipiamus totis viribus eundem diligere, & primum, maximum, ultimumque hoc mandatum de dilectione observare in finem, observaturi post finem vitæ finè fine.

§. 9. Emblema.

Pro Emblemate pyrobolum in aere cum tonitru expirantem fingo & inscribo: *in fine motus.* Cùm expirandum est, majori Amoris motu opus est, ut nobis dent sidera plausum. Addo & Cygnum in aqua sub vitæ finem dulciùs modulantem: *Suaviùs in fine.* Suavissimũ divini amoris canticum in fine Dilecto cantemus, ut nos cantantes sublimè ferant super æthera Cygni.







PROBLEMA XX.

Qui, & Quare cogitent mala?

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris? Matth. 9. v. 4.

§. 1. Pharisæi similes pavonibus.


Nè quære ò optime JEsu cur mala in cordibus suis cogitent, in promtu tibíque apprimè perspecta est ratio, mala cogitant, quia mali sunt. mali corvi malum ovum. fœtus cordis sunt cogitationes, à corde malo non nisi malæ concipiuntur. Ut quid cogitatis mala ò Pharisæi, nisi quia ipsi blasphemi pro blasphemo sanctissimum censetis DEi filium? Pavonem scribit Anglicus Bartholomæus l. 12. de proprietatibus rerum c. 31. cùm femella posuit ova, persequi marem & reperta frangere. cur hoc? an natura invidet nobis propagationem volucris tam nobilis? Scorpio jure devorat fœtus suos, quia noxii sunt, cur pavo? ò Auditores nec omne quod splendet aurum est, nec omne quod bonum videtur, reverà tale est. Pavo habet pennas Angeli, sed gressum furis, caput serpentis, vocem diaboli. meritò adhuc in ovo ab ipso patre ad necem quæritur. Pavones erant Pharisæi, ad speciem Angeli, sed cûm de proximo loquendum, detrahebant tam liberè, ut vocem haberent diaboli, caput serpentis, quia invidiâ pleni & dolo erant, genimina illius, qui ex invidia abstulit paradisum, gressus furis, quia sub prætextu pietatis spoliabant viduas & pupillos hæreditatibus, in hac tamen parte pavonibus deteriores, quòd suos fœtus non quæsierint, cogitationum inquam suarum malitiam non scrutati sint, neque in radices earundem investigârint. quas dum ego in lucem hodiernam profero, nolite cogitare mala in cordibus vestris, quia ùt dubitare non possum, ad Bonos loquor & Bonas.

§. 2. Ideo dæmon tentat Christum ad superbiam quia superbus ipse.

Impudentissimus Orci canis ausus allatrare Dei filium, imò & mordere nisus, super templi pinnaculum eundem extulit & extemplò super montem excelsum statuit, omniáque regna mundi & gloriam ostentavit, ut lapsum persvaderet. unde hæc insolens audacia? respondet Author imperf. hom. 5. *sicut diabolus concupiscentiâ vanæ gloriæ ipse ruit de cœlo, nam cùm esset angelus, volens se ostendere DEum, perdidit & illud quod erat; sic putavit & Christum concupiscentiâ vanæ gloriæ ferri; nam sicut difficile aliquem suspicatur malum, qui ipse est bonus, sic difficile aliquem suspicatur bonum, qui ipse est malus.*

Com-

§. 3. Adam genuit filium Seth ad suam non DEi similitudinem quia vitiârat naturam.

Compendium Geneseos ponens Moyses sic inquit c. 5. v. 1. & 3. *Hic est liber generationis Adam in die quâ creavit DEus hominem. Ad similitudinem DEi fecit illum. Adam genuit filium ad similitudinem suam.* in quibus observandum verbis est, quòd Adam dicatur factus ad similitudinem DEi, Seth verò genitus ad similitudinem Adami, cur non potiùs ad similitudinem DEi? quia natura vitiata originali culpâ non potuit aliam generare naturam, quàm sibi similem. animadversio hæc est Tostati: *Dicitur genuisse ad imaginem & similitudinem suam, & non ad imaginem & similitudinem DEi, quia natura corrupta prolem ad DEi imaginem & similitudinem referre non potuit, sed talem genuit qualis erat.* qualis pater, talis filius, qualis author, talis conceptus, qualis pictor, talis imago. Similiter tales quisque format imaginationes, qualis ipse est; judicia ad imaginem vitæ morúmque suorum generat, ùt quotidiana docet experientia. omnes mendaces putat, qui nunquam verum loquitur: omnes pro criticis habet, qui neminem non cavillatur. Hoc est quod Chrysostomus asseveravit homil. de David & Saul: *Plerumque vulgus hominum ex suo animo de aliis judicat: velut qui sæpè inebriatur, haud facilè credere potest esse quempiam hominem sobriè frugalitérque bibentem: qui scortis indulget, etiam pudicè viventes habet pro incontinentibus.*

§. 4. Cain putat omnes esse homicidas, quia ipse talis.

Hoc est proprium malorum ait S. Thomas Aquinas in c. 7. Joann. ut credant, alios similes eis animi passiones habere. Fratricidam Cainum maledictione justus DEus percusserat: *maledictus eris super terram*; at ille conclusionem mox temeritate plenissimam infert: *omnis igitur qui invenerit me, occidet me.* quis ille *omnis*? an pater an mater? crudelissimus iste fratricida quia fratri non pepercit nec ab ullâ creatura sibi parcendum putat. nimirùm ut ex Augustino jus loquitur C. *nonnulli* dist. 46. *malus malum, bonus semper bonum præsumit.* Damnatus epulo preces suas non vertit ad Lazarum, sed ad Abrahamum, quia adhuc malevolentiâ in sanctum mendicum flagrabat, & juxtà affectum suum crudelem metiebatur & Lazari cor, quasi immite ac ferum. audiamus Theophylactum: *Cur non vertit sermonem ad Lazarum, sed ad Abraham? confundebatur fortasse existimans Lazarum vindictæ avidum, & ex suis causis judicabat illum,* immisericors epulo judicabat & Lazarum talem esse. Et hoc parùm est, quòd homo hominem talem censeat, qualis ipse est, in ipsummet adeò DEum venena audet effundere & Deum de suo metiri. *Quàm bonus Israel DEus his qui recto sunt corde* exclamat sacer Citharædus, tam bonum habemus DEum, ut melior esse non possit; solem suum oriri super bonos & malos facit; benefacit malevolis, prævenit omnes gratiis, nec momentum abire sinit, quo non conferat novum cuilibet beneficium. Bonus est etiam erga damnatos, damnandósque, imò his longè majora prælectis confert beneficia. nihilominùs tamen cùm omnibus tantoperè benefaciat, non satisfacit nisi bonis, etsi in seipso infinitè bonus sit, malis autem non videtur bonus esse. *quàm bonus Israël DEus his qui recto sunt corde?* qui autem depravato sunt corde, talem sibi metiuntur & mentiuntur DEum, quales ipsi sunt, ita ut apud Sanctos DEus audiat sanctus, apud perversos audire debeat perversus. Augustini hæc est Commentatio in Ps. 44. *ait in alio loco Psaltes: cum Sancto Sanctus eris, & cum perverso perversus eris, non* quia

§. 5. Malus homo etiam Deum malum putat.

Ps. 72. v. 1.

quia perversus DEus, sed quia perversi perversum eum putant. placet tibi bonum, bonus est DEus, displicet tibi quasi pravus est, curvus est ad te DEus, tua curvatura facit hoc, nam illius rectitudo semper manet. audi in alio Psalmo: quàm bonus DEus Israël rectis corde.

§. 6. Adam & Nabuchodonosor ex suo metiuntur DEum.

Quamdiu recto corde Adam fuit, non timuit Deum, non erubuit, non se abscondit, at postquam concupiscentia illi potior fuit præcepto Dominico, abscondit se & nuditatem prætexit: *timui eò quod nudus essem, & abscondi me* Genes. 3. v. 10. ecce Adam ex sua erubescentia metiebatur Deum, quasi hic pudefieret ex nuditate corporum, sicut ipse nudus erubescebat. non ità mi Adam, DEi oculis omnia nuda sunt, nec ideo minùs videt, quòd vestibus tectus sis aut absconditus, imò ità te citiùs inveniet, prodet, confundet, quòd tu DEum ex te depingas.

Absurdiùs Adamo Nabuchodonosor deliquit, cùm ita de DEO judicavit Daniel. 4. v. 31. & 32. *Regnum ejus in generationem & generationem, juxta voluntatem suam facit tam in virtutibus cœli, quàm in habitatoribus terræ, & non est qui resistat manui ejus.* audistis impii Regis blasphemiam? venenum Sacharo condit, fel melle tegit, vitium in medio collocat, dum dictitat: *juxtà voluntatem suam facit*, quasi diceret: non attendit quid expediat creaturæ sed quid arrideat ejus potentiæ. voluntas illius pro fulmine est, quo sternit omnia. Reclamat blasphemo Regi S. Hieronymus: *loquitur quasi homo sæcularis, non enim quod vult hoc facit, sed quod bonum est, hoc vult DEus.* aurea prorsùs Doctoris Maximi sententia, unde bonus quisque ingens in omni casu solatium hauriat. Non agit Deus cæcè, non agit tyrannicè, non quærit suum interesse, sed nostrum unicè spectat emolumentum, neminem creavit ut damnet, neminem deserit priusquam desertus fuerit, neminem flagellat ut perdat, neminem tentat, ut condemnet. at unde Rex Nabuchodonosor talem de DEo concepit existimationem, quasi à sua Omnipotentia cæcè se sinat abripi, nec attendat, quid magis expediat? ipsemet talis fuit, qualem Juvenalis depingit: *Sic volo, sic jubeo stat pro ratione Voluntas.* Loquitur ùt homo seculi, loquitur in opprobrium suum; quisquis enim malè sentit sive de Deo, sive de proximo suo, certum sibi opprobrium adsciscit: *amputa opprobrium meum* rogat Psaltes Ps. 118. v. 39. *quod suspicatus sum*, hoc est, ùt Cardinalis Hugo interpretatur: *fac nè malum suspicer de alio, quod si faciam est opprobrium meum, quia & falsum judico, & me talem qualem eum suspicor esse vel fuisse ostendo.* Similiter S. Augustinus in Ps. 118. *amputa opprobrium meum, quod de aliis suspicatus est, hoc enim proclivius homo suspicatur in alio, quod sentit in se ipso.*

§. 7. Cur Pharisæi adulteram adducant ad Christum.

Joann. 8. adducunt mœchorum Duces pharisæi adulteram in flagranti flagitio deprehensam ad tribunal JEsu: *Magister hæc mulier modò deprehensa est in adulterio* v. 4. lex nostra Levit 20. v. 10. fert lapidationis sententiam. tu ergo quid dicis? curámne potiorem legis habes, quàm meretricis, quid tuo volutas in corde, quid decidis? O temerarii nebulones, meus Jesus non est tam præceps, ut parte inauditâ alterâ ferat sententiam, fortè oppressa est sicut Thamar ab Ammone 2. Reg. 13. fortè intercessit ignorantia inculpata. Tacet itaque JEsus Judex omnium, cui Pater omne dedit judicium, tacet inquam, & non condemnat. illi autem non destiterunt cum suo Ergo. *cùm ergò perseverarent interrogantes eum erexit se* v. 7.

scri-

scripsit intereà JEsus, & quid scripsit? sunt, qui putent, fatalia hæc verba: *Mane Thecel Phares*, quæ Daniel. 5. in convivio, Balthasaris Anno mundi 3516. digiti ignoti Scribæ scripserant in pariete aulæ contra candelabrum, nunc à JEsu denuò exscripta fuisse. Dionysius Carthusianus censet exarata hæc verba: *Terra judicat terram.* alii eadem verba quæ dixit: *qui vestrûm sinè peccato est, primus in eam lapidem mittat.* S. Ambrosius ep. 79. ait scriptam fuisse sententiam: *festucam quæ est in oculo fratris tui vides, trabem verò quæ in oculo tuo est non vides.* S. Hieronymus lib. 2. contra Pelag. *scripsit eorum qui accusabant peccata mortalia juxtà illud Jerem. 17. recedentes à te in terra scribentur*, quæ singuli legentes & se velut in speculo contemplantes, remiserunt ab accusatione & judicio & condemnatione: *unus post unum exibât incipientes à senioribus* v. 9. ostendit iis Jesus, si ipsi non essent adulteri, adulteram non adduxissent, non accusâssent. Christianè Seneca lib. 7. de beneficiis: *fortasse vitium de quo quereris in sinu invenies, si te diligenter excusseris, uti meritò in tuum ipsius sinum inspicere possis ac debeas, & quoties de alio succurrit improba cogitatio dices: hæc* (& his graviora) *& ipse commisi.* sed nimirum videmus mantissimam non manticam nostram, quæ à tergo est, uti fecit Moyses Ab. accersitus ad judicandum fratrem. vel patrâsti vel patrabis similia, ut in se expertus est Vir Sanctus Machates teste Cassiano lib. 5. institut. c. 30. *mihi manifestè compertum est iisdem vitiis hominem illigari, in quibus de aliis judicare præsumserit.* maneat ergò vera paræmia: mala mens, malus animus. *ostendunt, quàm sanctè ipsi vivant, qui malè de omnibus suspicantur* S. Hieronymus ad Vigil. in principio.

Qui nauseâ & vertigine laborant ait Gregorius Nazianzenus orat. 16. omnia sursum deorsúmque verti putant, cùm ipsi vertantur. ita perversi pervertunt omnia, juxta tritum illud: Omnia perversæ possunt pervertere mentes. Dorotheus verò doctr. 16. ait: *melancholici quidquid sumunt, vertunt in bilem*, hydropici in aquam, in flavedinem icterici. sic animæ malè dispositæ unaquæque res quamvis bona & utilis suo vitio nocet.

§. 8. DEo se assimilat qui de internis judicat.

Jobum gravissimè afflictum convenêre amici, non ùt solatores sed censores, pungebant enim eum quasi hypocritam occultis scatentem criminibus, ob quæ adeò enormiter è DEo vindice plecteretur. ad quos ille conversus in hæc verba prorupit c. 19. v. 22. *quare persequimini me sicut DEus?* non est satis quòd me flagellet omnipotens, etiámne vos iniquis lingvis flagellatis? *quare sicut DEus?* ò Job quid loqueris? si te persequuntur sicut DEus, ergò faciunt optimè, quia se conformant Deo. sile, nè querere, DEus te persequitur justè, si illi sicut Deus, ergò justissimè atterunt, te. respondet pro afflictissimo Jobo S. Gregorius lib. 25. fol. 90. non ita intelligenda sunt verba mea: sicut Deus, hoc est, acsi vos ò amici nullis miseriis essetis obnoxii: ita me ex infirmitatibus meis affligitis, acsi ipsi more Dei de infirmitatibus meis nihil habeatis. Bona est hæc verborum Jobi interpretatio, sed meo judicio melior adhuc, quam S. Paschasius lib. 2. c. 1. attulit: quare persequimini me sicut DEus, *verba sunt non conquerentis sed increpantis. quomodo vos inquiritis in statum conscientiæ meæ, & judicatis me de internis, quod soli DEO competit?* Auctori tantùm debetur hoc privilegium, ut conscientiam possit intrare: secretam hanc clavim soli sibi refer-

servavit: *ego Dominus scrutans cor* Jerem. 1. v. 7. de internis alios censurare, est se Altissimo æquiparare, quid? cogitare de altero mala in cordibus suis, est dæmonem incarnatum repræsentare. *Æmulantur divinitatem* ait Tertull. Apolog. 22. *dum furantur divinitatem*, hoc est, dum usurpant judicandi alios maximè de internis facultatem. Quod Achab ad Prophetam dixit 3. Reg. 20. hoc aliquando tibi DEus repetet, quisquis mala de proximo tuo in corde tuo cogitas: *hoc est judicium quod ipse decrevisti*, quisquis malè de aliis sensisti, malum teipsum effecisti.

§. 8. Reprehenditur malus adolescens qui Christum vocat bonũ.

Marci 10. blandissimis verbis Christum interpellat adolescens: *Magister bone quid faciam, ut vitam æternam percipiam*. sensit aculeum Dominus & reposuit: *quid me dicis bonum*? quid? bonum? quis te ò Christe bonum non dicat, qui ipsissima Bonitas es; nemo te melior, quia ter optimus es. nemo locutus est veriùs. si veritatem ergò locutus est adolescens, laudari & amari dignus est. at JEsus scrutator cordium scit, quid cui respondeat: *versuta interrogatio* ait S. Ambrosius lib. 8. in Lucam *& ideo acuta responsio*. adulator ille vafer fuit & censor pessimus, censuit enim Christum non esse DEum, bonum nihilominus appellavit, unde Christus: quomodo tu me confiteri audes bonum, quem diffiteris in animo tuo DEum? seu ùt Ambrosius: *quid me dicis bonum, quem negas DEum*? quid bonum dicis, cùm bonus nemo nisi solus DEus? neminem tu vocaveris bonum, qui ipse malus es, & ideo de Bono sentis malè, cúmque bona loqui videris, sentiendo interim malè non laudem sed vituperium, non amorem sed odium, non beneficium, sed supplicium promereris.

§. 9. Benè cogitare de aliis Bonorum est.

Quare si apud DEum & homines bene audire volumus, sentiamus de proximo in bonitate, sicut Joseph de Sponsa sua, sicut tres Reges de Herode, sicut undecim discipuli de Juda. Dixerat Christus: *qui intingit mecum manum in paropside, hic me tradet* Matth. 26. v. 23. nec tamen mali quidquam bonus Apostolorum chorus suspicabatur: *Cùm enim longè à tali scelere abessent, nec de aliis suspicabantur* S. Chrysostomus hom. 71. in Joannem. Tres Reges quærunt in alieno regno nëonatum Regem, nihil sinistrum de Herode suspicati: *quia bonâ erant mente præditi, talem quoque Herodis mentem esse credebant* ait Balthasar Arias serm. 2. de Epiphania. Joseph cùm esset justus, noluit traducere gravidam virginem, quia possibilius esse credebat mulierem sinè viro posse concipere, quàm Mariam posse peccare ait S. Chrysostomus. Voluit tamen dimittere quoniam *magnum Sacramentum in ea cognoscebat, cui approximare se indignum æstimabat* Origenes apud D. Thom. in cat. Horum exemplo cogitemus de proximo mali nihil, de nobis verò boni nihil; & erimus boni, boni valde.

Chrysost. hom. 1. in Matth.

§. 10. Emblema.

Denique ut Problematis hodierni resolutionem: *Qui & Quare mala cogitent* in Emblemate assignem, Aquilam prope Corvi nidum colloco, quæ infaustâ ave expulsâ, ova pariter confringit, nè mali supersit propago, nam Mali corvi malum ovũ. inscribe lemma: *ab Ovo mala multa sequuntur*. Vel Lilium fingamus, in cujus cor sive bulbum, qui speciem cordis refert, si ater infundatur liquor, totum nigref-

grescit lilium. lemma ; *indicium cordis.* ex nigrore videlicet lilii infectionem radicis colligimus ; similiter ex malitia oris & operis pravitatem cordis concludamus.



PROBLEMA XXI.

Quid Vestis Nuptialis significet?

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

Amice quomodo huc intrâsti non habens vestem nuptialem? Matth. 22. v. 12.

§. 1. Cultiori vesti adscribit côviva admissionem ad epulas.



Arrant mercatorem Florentinum in more positum habuisse, ut singulis Dominicis, festisque diebus ad frugale admitteret epulum, quotquot prandere unà luberet, dummodò honesto prædití amictu comparerent. Accidit aliquando Civem ingenio, quàm opibus locupletiorem ad mercatoris comparere januam, atque ad solitum prandium cupere admitti; verùm quia laceris indutus erat vestibus repulsam pati debuit, donec comparato nescio unde honestiori vestimento compareret denuo ad mercatoris ostium, ubi sine mora admissionem impetravit. Qui, dum prandium hilariter peractum esset, & convivæ cæteri modimperatori suo liberales referrent gratias, tunicam exuit, & non hospiti, sed vesti gratias egit, quòd huic præ illo admissionem ad epulum deberet. Vesti itaque profundissimam reverentiam exhibuit, osculum fixit, gratiarum verba protulit, & gratitudinem non sine spectantium joco, plansûque dixit. Quidsi & hodierni Evangelici convivæ, gratias potiùs vesti, quàm Regi egissent, quòd ad nuptiales recepti epulas, lautissimè festivissimêque habiti sint? potuissent sanè, nisi vestem nuptialem non alteri, quàm ipsimet Regi in acceptis referre debuissent; ab hoc enim non tantùm gratiosè invitati, sed & congruis vestibus donati sunt, ut nisi sordidi esse vellent, malè vestiti comparere non possent. Verùm cùm hæc vestis Evangelica non corpus ornet, sed animam, (sicuti epulum non est sensuum, sed affectuum) quærere meritò quis possit, quid ea vestis propriè significet, quâ nos indui Rex supremus tantopere desiderat, ut non nisi bene vestitis convivium regale indulgeat, carceres alioquin & compedes, æternaturàque supplicia minetur? Omissis plurimis interpretum opinionibus,

bus, tres solummodo in medium proferam, & pro bona intentione definiam. Sit hæc *Intentionalis Quæstio*, quæ in bonam, quam præviè Auditoribus meis inesse cupio, resolvetur intentionem.

§. 2. Per Vestem Nuptialem intelligi potest Gratia Sanctificans.

Potior Doctorum pars cum magno Augustino per Nuptialem vestem *Gratiam* intelligit *justificantem*, vestem omnino pretiosam, de qua Doctor Angelicus: *bonum gratiæ unius majus est, quàm bonum naturæ totius universi.* Nulla res in toto orbe cum illa (gratia) potest comparari, inquit S. Chrysostomus & D. Augustinus in *Ps.* 102. sangvini theandrico eandem æquiparat: *sangvinem fudit unicus DEi Filius pro nobis, ô anima* gratiosa *tanti vales.* Conficit hanc nobis vestem Sanctus Spiritus, cujus materia infiniti omninò est pretii, sangvis videlicet & merita Christi. Ductus enim Christus ad occisionem sicut ovis, tunsus & tonsus in passione, candidum & rubicundum corporis vellus deposuit, atque nobiles has divini corporis sui exuvias in indumentum nostrum â Spiritu Sancto adaptandas reliquit, qui dum *virtute ex alto* Apostolos die Pentecostes induit, vestis hujus, sive gratiæ justificantis dispensationem in se recepit. Juvat repetere breviter & nervosè, quæ in gratiæ appretiationem illuminatissimus nostri ævi asceta, cujus sanctis luminibus plurimi debemus plurimùm, in suo Theophilo consignavit. Per gratiam justificantem fimus filii adoptivi DEi, adeóque ratione illius accipimus jus ad gloriam cœlestem, tanquam hæreditatem filiis debitam. *Si filii & hæredes.* Hinc infanti baptizato debetur gloria cœlestis tanquam hæreditas, quia in baptismo accepit gratiam. Fit autem hæc adoptio filiorum DEi non solâ opinione, ut apud homines, apud quos, qui adoptantur, non fiunt reipsâ filii, neque Patris adoptantis aliquid acquirunt præter externas fortunas; at quos DEus adoptat, hos regenerat, & sibi similes facit, ut sint *nova creatura.* Facit hæc vestis, gratia, inquam, animam pulchram, divitem, dilectam. Cùm eâ vestirentur Apostoli, contestatus mox est Christus: *jam non dicam vos servos, vos amici mei estis.* O mira divinæ bonitatis dignatio, exclamat D. Gregorius, servi digni non sumus, & amici vocamur. Tam chari DEo sunt, quicunque sunt in gratia, ut si DEus ratione immensitatis suæ non foret ubique, nihilominus semper intimè præsens esset illi, qui est in gratia, nec vellet ab eo separari, sed mansionem apud eum faceret, ut societas ejus sit cum filio ejus JESU Christo per Spiritum Sanctum. Divitias quid memorem? pone mendicum, qui habet gratiam, & monarcham mundi sine gratia, quasi infinities hoc ditior est mendicus ille. Pulchritudo porrò tanta est, ut si clarè eam videres, cor tuum rumperetur præ gaudio, prout Dominus aliquando S. Brigittæ dixit, Divæ Catharinæ Senensi autem pulchritudinem animæ gratiosæ cùm revelâsset, extra se rapta fuit Catharina, & ab eo momento mundus ei sorduit. Si omnis pulchritudo naturalis, quæ est in Angelis & hominibus, & aliis creaturis poneretur â Deo in una creatura, quàm esset illa formosa! tamen respectu animæ habentis minimum gradum gratiæ sanctificantis, nulla ratione esset comparabilis, imò videretur esse quædam deformitas. Hæc pene ad verbum ex Asceta illo eximio.

P. Joan. Weier Exerc. Spiritual. hebd. 2. p. 27.

Rom. 8. v. 17.

Joan. 15. v. 14.

§. 3. Varia animæ in gratia constitutæ Symbola.

Vidit Apocalyptica Aquila cap. 12. signum magnum in cœlo, mulierem sole amictam, lunâ calceatam, stellis duodecim coronatam, per quam

quam licèt passim benedictam in mulieribus Virginem DEi param intelligi, aut sponsam Christi Ecclesiam non ignorem, potest nihilominus quælibet anima in DEi gratia constituta signo huic assimilari, quam sol justitiæ JEsus undequaque protegit, & communit, ut eam amicire videatur, virtutum quoque radiis cingit, & coronat. Lunam proterit, quia cuncta temporalia, ut loquitur D. Gregorius, & omnem creaturarum mutabilitatem despicit, duodecim redimitur stellis, quia duodecim fructus Spiritûs Sancti, quos Apostolus enumerat, perpetim participat. Hoc nimirum est amictum esse sole sicut vestimento.

S. Greg. l. 34. Moral. c. 12. Gal. 5. v. 22.

Regius Psalmographus animam gratiâ præditam Reginam appellavit auro vestitam, divinæ assistentem dexteræ, cujus decor, non tam foris, quàm intus mirum quantam coruscat: *adstitit Regina à dextris tuis* (o Regum Rex) *in vestitu deaurato, circumdata varietate. omnis gloria ejus filiæ Regis ab intus, in fimbriis aureis circumamicta varietatibus.* Regina meritò dicitur, quia per gratiam, velut pronubum annulum filio æterni Regis desponsata est: *Sponsabo te mihi in sempiternum, & sponsabo te mihi in justitia & judicio.* Quapropter in hodierno Evangelio dicitur Rex instruxisse nuptias filio suo, ut ei desponsaret Reginam auro vestitam, gratiâ videlicet instructam, & virtutum varietate, puta candore innocentiæ, rubore verecundiæ, virore spei, cærulo contemplationis, pallore sancti timoris, prasino humilitatis exornatam. Potissima gloria non in externo virtutum moralium habitu, sed in interiori perfectissimorum habituum nitore, ac potissimùm in aureis sanctissimarum cogitationum fimbriis elucescit. Sic exornatæ, stantíque à dextris Reginæ omnes Angelorum chori applaudunt, & epithalamium canunt.

Ps. 44. v. 10. & 14.

Osee. 2. v. 18. & 19.

Considerant alii animam gratiosam velut speculum crystallinum soli objectum quod solem excipit, â radiis totum penetratur, & illuminatur, vicina quoque accendit. S. Theresia vidit globum crystallinum, in cujus medio sedebat speciosissimus DEi Filius radios spargens undequaque speciosissimos; hic est typus animæ, in qua sol justitiæ relucet. Alii hierothecam Eucharisticam sibi fingunt (in cujus medio SS. Eucharistia ab Angelis sustentetur) vel ex cera Virgine sicut nonnunquam apes construxisse leguntur, aut ex achate, qualis est in Monasterio S. Laurentii prope Madritum, aut ex auro purissimo, crystallo nitidissima, carbunculo radiantissimo, & hanc esse ajunt gratiosæ animæ imaginem, in qua Sacrosancta Trinitas facere dignatur mansionem. Veneramur MARIÆ uterum, tanquam thronum eburneum, thalamúmque aureum, in quo Incarnatus DEus quievit; pœne suppar animæ gratiosæ est dignitas, quam matrem suam & sororem & fratrem DEi filius nuncupare dignatus est, propter expletam Patris cœlestis voluntatem.

§. 4. Potest præterea per Vestem Nuptialem intelligi Imitatio Christi.

Gratiosè ista pro gratia tanquam nuptiali veste dicuntur, sed neque rejiciendi illi sunt, qui pro veste nuptiali, imitationem Christi accipiunt juxta illud Doctoris Gentium monitum: *Induimini Dominum JEsum Christum*; quæ S. Thomas sic exponit: Dicitur autem induere Christum, qui Christum imitatur, quia sicut homo continetur vestimento, & sub ejus colore videtur, ita in eo, qui Christum imitatur, opera Christi apparent. Hæc vestis odoratior, quàm illa Esau, *sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus.* Qui enim Christum indutus est, non po-

Rom. 13. v. 14.

Gen. 27. v. 27.

potest non suavissimam virtutum omnium exhalare fragrantiam, & esse bonus odor Christi, ideóque novas ac novas â Patre misericordiarum promereri benedictiones. Ælianus refert Theridate præcipuo Artaxerxis Regis aulico vitâ functo, vehementer indoluisse Regem, dixisséque Conjugi viduæ: quoties â me quidvis petitura venies, Theridatis vestibus accede induta, quod & Aspasia Conjux præstitit; nec unquam â throno regio, nisi obtentis omnibus, quas postulabat, gratiis recessit. Munificentissimum experiemur DEum, si ad thronum gratiarum supplices, Christum induti, accesserimus. Quod si enim nihil iis denegandum â *Patre*, asseverat veritas, qui interposito Filii nomine orabunt, quanto magis paternam exorabunt Clementiam, qui JEsum induti acceptissimam Filii personam cultissimè repræsentabunt. *Induimini JEsum Christum.* Intellexerat *Paulus*, ut ait Ambrosius, â Romanis Neronem indui togis suis, & paludamentis intertextum. Monet proinde: *Induimini JEsum Christum*, non Neronem, sed JEsum habitu, gestúque referte, ut vita JEsu manifestetur in corporibus vestris, dicíque de vestrûm unoquoque possit: *sic oculos sic ille manus, sic ora ferebat.* Placebit id magnopere Patri cœlesti, cui externa etiam tunica arridet, si dicere possit, *quia tunica filii mei est.* In persona animæ gratiosæ est locutus Isaias: *Induit me vestimentis salutis*, vel ut legunt alii: *induit me vestimentum JEsum.* Hac veste Agnes induta leoninos assumsit animos, uti habet Breviarium Romanum. Induamur hac veste, & erimus Hercule leoninas exuvias induto fortiores, atque animosiores.

Ælian. variar. hist. c. 12. c. 1.

Gen. 37. Isa. 61. v. 10.

Cùm Henricus IV. Rex Christianissimus certo internuntio acce-pisset Alexandrum Farnesium Galliæ imminere, ad arma ocyùs conclamavit, primúsque in acie hosti obviam processit. nè autem præfulgidis ac liliatis armis robur omne hostile in se concitaret, palàm in campo arma exuit, oculísque lustravit, delegitque Heroem, quîcum arma mutaret, prævalidum omnino militem, nomine Mesplez, quem armis regiis induit, dicens: animos tuos meis pares habeo exploratos, nemo Te validiùs in medios hostium cuneos Regia inferet insignia. I, perge, & Regem te induisse memento. Perrexit ille, itáque fortiter dimicavit, ut gentilitia lilia, non jam candida, sed hostili sangvine rubentia referret, dignus in perennaturæ gloriæ fastos referri: O quæ gloria, quanti nos manent triumphi, si Christum induti, pro Christo dimicemus, victuri cum Christo, & immortaliter triumphaturi!

§. 5. Christus omni ex parte induamus.

Nemo rectè sentientium est, qui non ingentibus afficeret honoribus fimbriam vestimenti Salvatoris nostri, qualem Leo Isauricus Imp. Constant. summo dono ad Angelum Patriarcham Venetum transmisit. At longè pretiosior is DEO est, qui totum Christum induit membris omnibus: *Hunc etenim indutus*, ut Chrysostomus asserit, *omnem simul virtutem habet*; *Nam dum dicit Induimini, undique nos illo circumdari vult.* Quod ipsum Gregorius Magnus adstruit, ad illa verba Job. 29. *Justitiâ indutus sum, & vestivi me sicut vestimento*: vestimento utique cùm vestimur, ex omni parte circumdamur. Ille ergo Justitiâ, sicut vestimento vestitur, qui se undique bono opere protegit, & nullam partem actionis suæ peccato nudam relinquit. Invenire est aliquos, qui Christum oculis induunt, quos rarò de terra levant; Alios, qui manibus, quas sæpe levant

Chrysost. hom. 24. in ep. ad Rom.

Greg. l. 19. moral. c. 12.

vant in altum exemplo Christi: *sic oculos, sic ille manus.* Perpauci sunt, qui in omnibus ad vivum referant. *Exhibe te undique virtutum nitore conspicuum* monet B. Petrus Dam. *& uniformi, ut ita loquar, veste sanctitatis ornatum, cui videlicet nullus cujuslibet vitii pannus videatur assutus,* Aureè Chrysostomus: *vult nos Paulus undique velut vestimento circumdari, & ipsum in nobis per sanctimoniam conspicuum esse; indutus enim id esse videtur, quod indutus est.* Hanc Augustinus vocem audiit, cùm tollere & legere jussus, in illud incidit ad Rom. 13. *abjiciamus opera tenebrarum & induamur arma lucis.* & cùm venisset ad id *Induimini,* ait ipse: *nec ultra volui legere, nec opus erat.* Aaron in monte nudatus obiit, Eleazaro ejus Filio in paternæ vestis hæreditatem subeunte. Opulenti Booz pallio Ruth paupercula sese operuit. Josephi polymita ad invidiam usque placuit, si Christi imitatione nuditas nostra contegatur, non poterimus Patri non placere. Didacus Vega narrat de Pilato, quòd Romam evocatus â Tiberio Imperatore, ut rationem necis Christo illatæ redderet, vehementer furias Cæsaris timuerit, inconsutam itaque Christi tunicam subinduit, & ita se Cæsari stitit. Tiberius viso Pilato assurrexit, omnique posito furore, insolitâ illum humanitate ac clementiâ excepit, remisitque non sine honore. Vix abierat Pilatus ex oculis, mox ira Cæsaris recrudescit, sed ad conspectum denuò evanescit. Quod toties factum, donec fraus Præsidis innotuisset. Hanc ergo exutus tunicam Pilatus, capitalem â Cæsare sententiam audiit, & Viennam in exilium est relegatus. O peccatores! o DEIcidæ! Christi induite tunicam, & poteritis cum electis revelatâ facie gloriam Domini speculando in eandem imaginem transformari, & nuptiali veste induti immortalibus epulis accumbere hospites gratiosi.

Damian. opusc. 15. c. 27.

Chrysost. in cap. 13. ad Rom.

August. l. 8. Con. c. ult.

In ps. 3. pœnit. conc. 1.

§. 6. Optimè per Vestem nuptialem intelligitur bona intentio.

Satis jam de vestis nuptialis significatione altera dictum existimo, ad tertiam accedo, & intentionem bonam propriè intelligi per nuptialem vestem contendo. Interulam propinquiorem corpori, quàm togam esse proverbio dicimus, & nobis propiori esse curæ oportet intentionem rectam, quàm opus ipsum. Stultus ille foret qui indusium gestaret foris, intrò ad corpus togam. Unde dum albâ induêre Christum in Herodis regia, ùt stultum habuêre. & nos quandoque sic desipimus, imò & Christo illudimus, dum intentionem nostram per inanis gloriæ cupiditatem propalamus, opera autem, unde proximus ædificari deberet & glorificari Pater cœlestis, celamus contra decantatum monitum S. Gregorii: *sic opus sit in publico, quatenus intentio maneat in occulto.* vestis extima tegit interiorem & defendit, similiter intentionem tueatur, celétque opus externum. Externa spectant homines, interiora DEus, qui etsi opus quoque exigat externum, priùs tamen vult esse cor seu intentionem perfectam. Interior non exterior vestis in hodierno desiderabatur conviva, ex cujus defectu ad tenebras & lacrimas stridorésque amandatus est. Qui enim exteriorem tunicam sordibus contaminatam præ se tulisset, â vigilibus palatii custodibus nequaquam intromissus in aulam, quin & retrusus â convivis ceteris ocyùs fuisset. Interior ergo vestis illi defuerit, bona videlicet intentio, quam solus ille perspicit, qui intima lustrat, renes & corda scrutatur.

Greg. hom. 11. in Evang.

§. 7. Duplicem

Ecclesia Catholica est mulier illa fortis proverb. 31. descripta, quæ omne

à nobis vestem requirit Deus, opus & intentionem.

omnes domesticos suos vestit duplicibus, ut non tantùm exteriùs boni, sed præcipuè boni sint interiùs, non habeant duntaxat lanam foris, sed & linum intus: *quæsivit lanam & linum.* S. Bernardus expendens illud Apoc. 6. v. 11. Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, *acceperunt* inquit *jam singulas stolas, sed non vestiuntur duplicibus.* Domestici mulieris fortis Ecclesiæ militantis duplicibus vestiendi sunt. Duplex vestis est, hyemalis & æstivalis. Vestem hyemalem dico virtutes, quibus protegimur contra pluviam & grandinem tentationum, & persecutionum; hujusmodi sunt: Patientia, Mansvetudo, Humilitas, & alia id genus. Æstivalem dico virtutes quibus tempore pacis & tranquillitatis vacatur bonis operibus & contemplationi, qualis est: Charitas, pietas, devotio, sapientia. Hæc Hugo. Præcipitur Moysi: *facies quoque duos Cherubinos aureos.* Hi debebant tabernaculi esse custodes, eâ formâ ut sub alis occulerent legem, *testimonium quod dabo tibi.* Elegans mysterium! per tabernaculum significatur Christus: *Tabernaculum DEI cum hominibus*; hujus tabernaculi servi seu custodes debent esse Cherubini, intellectu scrutantes divina, & aurei quidem per sincerissimam intentionem, alas extendant per amplitudinem desideriorum, ità tamen ut infra alas habeant legem DEi, quàm continuò observent, & afficiantur illi tanquam thesauro suo. De electis dictum est: *in visceribus eorum dabo legem meam,* in corde. ipsorum, inquit glossa. Et hoc est habere vestem duplicem, intentionem rectam & charitatem indeficientem in visceribus, legem verò ipsam in operibus. Ninivitæ ad prædicationem Jonæ compuncti vestiti sunt saccis à majori usque ad minorem. Quæ res ita movit DEum, ut dicat textus: *Vidit DEus opera eorum quia conversi sunt, & misertus est super malitia eorum.* Notat aureus orator, quòd viderit opera, non verba. Non dixit: vidit jejunium & cilicium & cinerem. hæc tamen non eò dico, ut jejunium tollam, avertat hoc DEus, sed ut vos ad id, quod jejunio præstantius est, faciendum horter, ut scilicet ab omni vitio abstineatis. Ita Chrysostomus.

S. Bern. Serm. 3. de omnib. SS.

Apud Sylveir. tom. 3. l. 5. c. 26. num. 31. Exod. 25. v. 18.

Ps. 77. v. 60.

Jerem. c. 3. v. 31.

Jonæ 3. v. 5

S. Chrysost. hom. 4. in ep. 2. Corinth.

Pharisæus jejunans bis quot sabbatis, decimas dans omnium, extimam vestem laneam habuit (incessit in vestimentis ovium, totus humilis, mansvetus, beneficus) nec tamen DEo placuit, defectu vestis interioris, quam DEus primariò spectat, synceræ videlicet charitatis. Allusit huc Bernardus: *quidquid in ore devotum sonuerit* (quale erat illud: gratias ago &c.) *cordis nō sufficit excusare tumorem apud eum, qui alta à longè cognoscit.* En ut Deus priùs cognoscat intima, quæ alta seu profunda ac recondita possunt appellari.

Luc. 18. v. 11.

S. Bernard. Serm. 13. in Cant.

Matth. 17. v. 21. transfigurati Christi vestis describitur: *vestimenta ejus facta sunt alba sicut nix,* sicut *lux* legunt alii; hæc vestis exteriora signat opera, per quæ illuminantur homines; at quæ vestis interior? *resplenduit facies ejus, sicut sol.* Facies intentionem & affectum internum denotat, docétque tantam debere esse differentiam inter externa & interna opera, quanta est inter lucem & ipsum lucis fontem, solem. Qui foris apparet ut candidus Angelus, intus sit fulguris instar aut solis. *Viderunt* (Judæi) *faciem ejus* (Stephani) *sicut faciem Angeli*; & quare foris facies Angelica? causa præmittitur: *cùm esset Stephanus plenus Spiritu S.* Combinat hanc causam S. Fulgentius: *Habens intra se Spiritum sanctum, vultum præ*

Actor. 6. v. 15.

se

se gestabat Angelicum. plus intus latebat, quàm foris apparebat.

Cant. 1. v. 10. Tres DEitatis Personæ de anima devota loquntur: *Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* SS. Augustinus & Bernardus per murenulas intelligunt numisma pretiosum ornando pectori, ad indicandam extraordinariam sanctitatem. Sed quid hoc significat, quòd numisma aureum debeat vermiculari argento? Nos argentea numismata deauramus, non verò aurea deargentamus. DEus è contra non vult foris esse aurum, sed intus. Hypocrisin derivat S. Antoninus 2. p. tit. 4. c. 6. quasi *suprà aurum ab extra in operibus se ostendit esse aurum sanctitatis, sed intus est lutum cupiditatis.* ut de eo repeti possit illud: *ecce iste coopertus est auro & argento & omnis spiritus* (aurum charitatis optimum) *non est in visceribus ejus.* &c. Habac. 2. v. 19.

Attendamus proinde, ut vestis interior quàm mundissima sit, & integerrima, optima videlicet ad DEum intentio, & non deerit ad æternum convivium vestis nuptialis, sed tanquam gratiosissimi hospites, acceptissimíque convivæ epulabimur & jucundabimur in perpetuas æternitates.

§. 8. Emblema.

In Emblema Cygnus & Corvus veniant, quorum hic pennas nigras, pellem verò candidam habet; econtra Cygnus sub albicantibus pennis atram cutem fovet; lemma: *in cute noscendus.* Multi candicare videntur verbis & operibus, sed si interiorem inspicere daretur affectum, nigriora carbonibus omnia deprehenderentur. Alii simplicitate se suâ involventes dilectum Superis hominibúsque fovent candorem, veri cœlorum Candidati, quorum velut cœlorum *decor omnis ab intus.* Inclusæ intra concham gemmulæ inscribitur: *valor omnis ab intus.* Malogranato aliisque asperi corticis fructibus apponitur: *sapor omnis ab intus.* Horologio rotatili thecæ simplici incluso adjicitur: *Ars omnis ab intus.* Idem de recta intentione rectissimè protuleris: decor, valor, sapor, ars omnis ab intus.





PRO-



PROBLEMA XXII.

Cur Horâ ſeptimâ ſanatus Reguli filius?

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

Heri horâ ſeptimâ reliquit eum febris Joann. 4. V. 52.

§. 1. Cauſæ cur Regulus inquirat in horam ſanitatis.



Ur tam accuratè Regulus inquirat in horam, quâ filius habere meliùs cœperit, cauſam dat Ammonius & Maldonatus, ut fidem ſuam in Chriſtum ſolidaret, ſolemus enim ad confirmationem eorum, quæ credimus rationes inveſtigare. Nec fidem ſolùm ſed gratitudinem quoque Regulus ſuam erga Soſpitatorem exerere volebat, ut deprehensâ ſanitatis horâ obligatiorem ſe pro tanto miraculo profiteretur, gratus enim animus omnibus viribus intendit cognoſcere non tantum authorem beneficii, ſed etiam diem, horam, minutum, ut nunquam memoria ab animo recedat, ſicut viciſſim ingratus laborat & beneficii & benefactoris memoriam ex animo penitùs tollere; atque nè cogatur obligatum ſe fateri, fingit neſcio quam offenſam, optátque abſentiam vel interitum benefactoris. Ut autem majorem exerceat regulus gratitudinem, non eſt contentus in JEſum credere, ſed familiam inſuper ſuam ad fidem Salvatori habéndam ſvaviter inducit, ideóque interrogat *horam ab eis.* idcirco fortè horam quæſivit, ut & alios præſertim domeſticos ſuos ſolidaret in fide ait Dionyſius Carthuſianus. nimis bene horam ſibi notârat regulus, quâ plenum gratiarum Verbum *Vivit* à Chriſto acceperat, interrogat nihilominùs de felici temporis articulo, ut inde ſumat occaſionem inſtruendi ſervos, & excellentiam Servatoris noſtri deprædicandi, quod eo affectu præſtitit, ut teſte Evangeliſtâ crediderit domus ejus tota. Felix certè hora fuit, quâ filius reguli ſanatur in corpore, regulus in corde, tota domus in fide. & quæ illa hora? ſeptima. cur ſeptima? ſeptem breviter cauſas inſinuabo.

§. 2. Cauſa prima, ut conſtet definita habere DEUM tempora & horas.

Primum quod Evangeliſta Joannes docet per biverbium *horâ ſeptimâ* videtur eſſe, quòd DEus numeratos habeat, non tantùm annos, menſes, dies, ſed horas & momenta, quibus nos lætari aut triſtari, abundare aut penuriam pati, valere vult aut ægrire. Duravit febris ad horam usque ſeptimam, non caſu, ſed providentiâ divinâ. *Conſtituiſti terminos ejus, qui præteriri non poterunt* inquit Job. c. 14. v. 5. terminos ſanitatis, terminos felicita-

citatis, terminos morborum, terminos miseriarum constituit, sicut mari & elementis ceteris terminos posuit, quos excedere non possunt. ita namque DEus ordinavit tempora, ut in rationum divinarum libro scriptum habeat non tantùm quid unquam & uspiam factum, sed & quid horis singulis liberè & necessariò sit futurum. eximiè Paulus Atheniensibus concionatus est, & paucis verbulis multa dixit, dum DEum distributorem esse temporum docuit : *definiens tempora.* Quod Paulus ex libro Sap. c. 11. v. 22. addidicit: *omnia in mensura & numero & pondere fecisti.* Insipienter is agit, qui calamitate nescio quâ pressus suspirat, & tantùm non desperat: *hoc nimis grave est, hoc nimis longum est, hoc nimis multum est.* ò insipientissime mortalium, scit sapientia æterna, quod pondus, quis numerus, quæ mensura tibi apprimè conveniat. Et quia eadem est Sapientia DEi, quæ Bonitas, non patietur tentari te supra id, quod potes. Incipiebat hodiernus filius mori, sed mori non potuit, necdum hora moriendi fuit. patientiam habe ò regule, dum septima audiatur. Et vos patientiam tenete afflicti quotquot estis, donec veniat hora vestra, quam novit & definivit DEus. hæc veritas in ipso Christo quasi in speculo clarè elucet. habuit ille tempora & horas & momenta definita, quorum arenulam aut guttulam non excessit, non præterivit. Petebat Mater Domini primum abs filio miraculum, Joann. 1. v. 3. at ille v. 4. *nondum venit hora mea.* expectat videlicet momentum illud, quod ab æterno Pater præordinavit ad aquam in vinum mutandam. Sic petunt multi aquam tribulationis verti in vinum consolationis, sed respondet è cœlo Christus: *nondum venit hora mea.* habet ergò DEus horam benefaciendi & consolandi, extra quam nihil fiet. habuit Christus horam recreationis: *in illa hora exultavit spiritu* Luc. 10. v. 21. habuit horam patientiæ Matth. 26. v. 45. *ecce appropinquarit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Surgite eamus,* evadere non possumus, quia hora ab initio & ante sæcula à Patre constituta præsto est. Habuit horam orationis ac desideriorum, quâ gemebat, ut si fieri posset transiret ab eo hora Marci 14. v. 31. habuit horam tentationis: *hæc est hora vestra & potestas tenebrarum* Luc. 22. v. 33. habuit horam mortis Marci. 15. v. 34. *horâ nonâ exclamavit JESUS.* quoties volebant judæi interimere innocentem, sed *nondum venerat hora ejus* Joann. 7. v. 30. *necdum venerat hora ejus* Joann. 8. v. 20. venit autem anno ætatis trigesimo tertio, exacto mense tertio, tertiâ post meridiem horâ. Discamus proinde horam nobis destinatam præstolari, ut simus térque quatérque beati omnibus horis, certissimò experturi Ferdinandeæ illius tesseræ veritatem:

Accidit in puncto quod non speratur in anno.

Alterum quod hora septima indicat, est insigne mysterium sacri hujus numeri post septem dies, ex quo Noë in arcam ingressus est, diluvium exoritur, die septimâ Columba ex arca emittitur Gen. 7. septem colorum (ùt volunt pictorés arcus in signum fœderis erigitur, septem agnæ ad puteum fœderis Abrahamum inter & Abimelech initi statuuntur Gen. 21. septem annis servire pro sponsa Jacob jubetur Gen. 29. septem boves pingves, & septem spicæ fertiles fœcunditatem & frugum copiam designant Gen. 40. septem diebus azyma comedenda Ex. 12. totidem diebus se-

Act. 17. v. 26.

1. Cor. 10. v. 13.

§. 3. Causa secunda, quia numerus septenarius mysteriis plenus est.

festum tabernaculorum celebrandum Lev. 23. septem agni & septem vituli pro peccatis immolandi Num. 28. septem dierum solennitates multoties præcipiuntur, septem crinibus fortitudo Samsonis definitur, Naamon in Jordane lavari jubetur septies 4. Reg. 5. septies intincto in passeris sangvinem digito aspergitur leprosus Num. 19. septem tubas adhibet Josue, & septies urbem circuit, ut Jericho evertatur Josue 6. v. 6. septem sunt columnæ, quibus domus Sapientiæ innititur proverb. 9. v. 1. septem lucernas videt Zacharias in candelabro Tabernaculi indeficienti oleo abundantes, septem sigilla in agni libro, septem cornua agni, septem stellas in manibus Filii hominis Joannes describit.

Deut. 16.

Pythagoras dicebat septenarium esse numerum universitatis, numerum authoris naturæ, numerum sacrum ac divinum. Cujus asserti causam dat Philo lib. 1. alleg. *senario vocantur mortalia, quia dividitur senarius, septenario immortalia, quia dividi nequit.* Sapientiùs Cicero in somnio Scipionis: *septenarius est plenitudo rerum, quia DEus est unitas, à quo fluit senarius creaturarum,* nempe angeli, elementa, mixta, inanima, bruta, homo. Septenarius numerus Medicus est ait Tostatus, crises enim ostendit natura, si aliunde impedita & lacessita non sit die septimo, aut ejus geminatione, ex qua naturæ inclinatione docent Medici septimo quoque anno fieri aliquam in humanis corporibus inclinationem. quin & numerus septimus decies repetitus pro vitæ termino à Psalmista ponitur: *numeri annorum in ipsis septuaginta anni* Ps. 9. Magnus itaque animarum corporúmque Medicus eâ horâ dispulit febres, quæ numerum medicum sonat.

Horâ septimâ reliquit eum febris. per septem horas septena Sacramenta designari existimo, per quæ septuplex animæ febris, septem videlicet peccata capitalia felicissimè persanantur. Notavit enim Doctor angelicus febrem esse septuplicem: Febris *continua* & quidem caustica seu ardens est luxuria. *Quotidiana* gula. *Tertiana* ira. *Quartana* acedia. *Hectica* avaritia. *Ephimera* superbia, *putrida* invidia. Contra has febres instituit Archiater noster septem Sacramenta, & quidem contra febrim continuam luxuriæ, magnum illud in Christo & Ecclesia *Matrimonii* Sacramentum; contra quotidianam gulæ sanctissimum *Altaris* sacramentum, in quo omne delectamentum svavitatis; contra Tertianam iracundiæ *Confirmationis*; contra quartanam acediæ *Ordinis*; contra febrim avaritiæ hecticam, *extremæ unctionis*, contra febrim putridam invidiæ, *baptismi* Sacramentum, ut sicut per invidiam diaboli mors intravit, ita per baptismum diabolus sua cum invidia submergatur atque extingvatur; contra ephimeram superbiæ Sacramentum *pœnitentiæ*, & hac horâ derelinquit febris hominem, cùm hic delicta sua contritus & humiliatus in aures Spiritualis Medici deponit.

§. 4. Causa tertia ut connotetur numerus Sacramentorum.

Horâ septimâ reliquit eum febris. per divina quæ enumeravi Sacramenta speremus sanitatem, hæc enim nobis ùt vulgo loquimur indicant, quotam sonuerit horam, quantam videlicet salutis spem concipere possimus. Habent námque Sacramenta ista voces suas, imò sunt mera vox, unde & à Psalte Ps. 28. per voces denunciantur. *Vox Domini super aquas* in baptismate. *Vox Domini in* Confirmationis *virtute*. Vox Domini in Eucharistiæ Magnificentia. Vox Domini

§. 4. Causa ... tia ut ... notetur numerus Sacramentorum.

mini confringentis Cedros in pœnitentia. Vox Domini intercidentis flammam ignis in Matrimonio. Vox Domini concutientis desertum in Ordine. Vox Domini præparantis cervos in extrema unctione. En quàm sonorum tibi DEus præparârit horologium.

§. 5. Causa quarta, quia eâdē horâ Reguluꝰ Christo credere cœpit.

Horâ septimâ reliquit eum febris. quia eâdem horâ, ùt vult Ammonius in catena græca, regulus credidit & obedivit; qui enim ad DEum accedit per fidem, eidémque per patientiam adhæret, & abscedit per obedientiam, næ is fructum fidei suæ ocyùs consequitur. Non differt dona sua DEus, cujus dicere est facere, & promittere gratiam, est reapse conferre. Plus dat Christus donis, quàm proferat verbis, & citiùs dat, quàm rogetur, imò excellentius quid confert, quàm expectetur. Dixerat Christus: *filius tuus vivit*, neque addidit: *sanus est*, dicendo autem Vivit, contulit sanitatem; non distulit ùt Elisæus Namano significans: *vade lavare septies in Jordane, & recipiet sanitatem caro tua* 4. Reg. 5. v. 11. Sed eo ipso momento sanitate filium donavit, & vivere fecit, quo vivere eum dixit. efficax nimirum DEi verbum est, nec morulam ullam in executione operis admittit. illa nobis hora septies beata est, quâ fidere DEo seriò incipimus, constantérque eidem decernimus obedire.

§. 6. Causa quinta, numerus septimus signat quietem.

Horâ septimâ reliquit eum febris. Numerus septimus est quietis simul & perfectionis symbolum ait Doctor Angelicus & Hebræorum Doctissimus Philo: *septenarius numerus* inquit *quietis est*, quapropter septimus numerus miris à Deo privilegiis (ùt adnotat Cornelius fol. 996. in Pentateuch.) est insignitus. Septimus annus libertatis erat & Sabbati terræ; septem hebdomadæ dierum Pentecosten denunciabant, septem hebdomadæ annorum jubilæum adferebant. Nam Dominus ipse septimo die quievit ab universo opere, quod patrârat; *in quo significatur* (pergit Thomas) *quod vita spiritalis in quiete spirituali consistat. hæc dicit Dominus DEus, si quiescatis, salvi eritis* Is. 30. v. 15. nihil æquè ad salutem conducit, quàm à negotiis sæculi tantisper quiescere, mentem componere, cor tranquillare. Habet impius cor semper inquietum, & marino æstui persimile juxtà illud Is. 59. v. 20. *Cor impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, redundant fluctus ejus in conculcationem & lutum.* hinc ex tempestate tempestas, hinc salutis naufragium, hinc omnis eáque æternatura calamitas.

Horâ septimâ reliquit eum febris. septima in judæorum horologio hora, nostram primam pomeridianam æquat, & hâc horâ juxtà communiorem sententiam cœpit genus humanum in paradiso febrire; cœlestis itaque Medicus filio reguli, qui posteritatem Adami figurabat, eâdem horâ contulit sanitatem, quâ morbum contraxerat, & mori inceperat. Quales febres contraxit Adamus? capitales fuerunt, quia videlicet caput generis nostri capitali superbiæ delicto fataliter æstuavit: Suggerit hanc caussam Albertus M. *horâ septimâ febris eum reliquit, eadem scilicet horâ, quâ febris genus humanum apprehendit, hoc enim factum est post meridiem* Gen. 3. v. 8. repræsentat proinde morituriens reguli filius genus humanum, quod incipit mori, cùm vivere incipit. Hujus parens Adam ad JEsum venit, quando in cruce pendente Salvatore calvaria Adami ad pedes Crucis jacuit, impetravítque, ut post septimum verbum descenderet beatissima Christi

§. 7. Causa sexta, quia horâ septimâ febres Adam cōtraxit.

anima in limbum, & vivificaret interemtâ morte genus humanum. *Heri horâ septimâ.* post septem in Cruce verba expirante JEsu vivere cœpimus. Solet nimirùm benignissimus DEus per idem medium arcere malum, per quod intraverat, sicut per scorpionum oleum sanat morsum scorpionum, & per simul ꝛcrum ænei serpentis morsus serpentinos, & per pilos rabidi canis illata vulnera. Cùm fama increbresceret in terra Chanaan adventâsse immani numero filios Israel, congregati adversùs hos fuêre Reges omnes terræ illius numero viginti quatuor, ùt vult Carthusianus, unde non populus modò Israëlis, sed & dux invictus Josue timore concuti cœpit, cui confortando ita loquitur Dominus: *nè timeas eos, cras enim hâc eâdem horâ tradam omnes istos vulnerandos in conspectu tuo* Josue 11. v. 6. eâdem horâ, quâ timor, mœror, dolor invaserat populum, affecurat Dominus de gladio, jubilo, triumpho, ubi enim timor, ibi gaudium, ubi fiducia, ibi victoria, ubi recursus ad DEUM, ibi triumphus. Samariam tanta fames presserat, ut nec prolibus parcerent matres, ideóque Rex furore velut febri phræneticâ in Elisæum incitatus, quem mali hujus authorem falso judicio censebat, caput eidem amputari jussit, at impavidus Propheta exclamat: *audite verbum Domini: hæc dicit Dominus: in tempore hoc cras, modius similæ uno statere erit.* oppresserat DEus Samaritas fame magnâ ait Abulensis, & finita fuerat in hoc, quòd duæ mulieres comederunt filium unius, ideò DEus jam volebat avertere iram suam & dare abundantiam, & pronuntiavit hoc Elisæus. in tempore hoc, scilicet in hora ista. Notet unusquisque horam quâ premitur, & sciat eandem sibi fore térque quatérquo beatam. Quin & ipsa hora septima parasceves nobis perquam salutaris fuit. horâ septimâ peccavit ùt dixi Adam, horâ septimâ secundus Adam paradisum nobis reseravit, dum latroni promisit: *hodie mecum eris in paradiso.* dixit enim hoc horâ primâ pomeridianâ, ùt communiter tradunt Sacræ Scripturæ interpretes, adeóque eâdem, quâ protoparens paradiso exciderat, ínque febres inciderat. adhæreamus JEsu crucifixo boni exemplo latronis, ejusdémque clementissimam sæpiùs imploremus memoriam: *Domine memento mei in regno tuo.*

4. Reg. 6. v. 31.

Horâ septimâ reliquit eum febris. per horam septimam D. Bonaventura & Hugo Cardinales accipiunt septem dona Spiritûs Sancti per quæ confertur nobis remissio peccatorum atque animæ vita, *nam Spiritus est, qui vivificat* Joann. 6. v. 64. *accipite Spiritum Sanctum, quorum peccata remiseritis, remittuntur eis* Joann. 20. v. 22. ipse enim ùt confitetur Ecclesia, est *remissio omnium delictorum.* Pro his donis septies quotidie suspiremus, ut septies oscitantes cum puerulo illo 4. Reg. 4. v. 35. ad vitam æternam respiremus. Amen.

§. 8. Causa septima quia numerus septimus septem dona Spiritûs S. designat.


In Emblemate Solem exhibeo curru vectum aureo, quem pro caballis, duodecim Horæ trahunt, ornatu & mole admodùm diversæ, ex quibus virgâ aureâ Septimam Sol contingit: *ô térque quatérque beata!*

§. 9. Emblema.

cui votum subscribo meum:
hæc fluat, hæc refluat!



PRO-



PROBLEMA XXIII.

Cur Servo debitori iteratò delinquenti facta denuò non sit gratia?

DOMINICA XXI. POST PENTECOSTEN.

Iratus Dominus tradidit eum tortoribus. Matth. 18. v. 34.

§. I. Septuagies septies jubet Christus remitti offensam, cùm tamen Rex non remittat Secundam.

Væsierat ex Christo Petrus, quoties ignoscendum adversario? an satis foret septies condonâsse, octavâ autem vice sumere liceret ultionem! cui Dominus: *non dico tibi, usque septies, sed septuagies, septies* Matth. 18. v. 22. vel ut in græco est: *septuagies septem.* hoc est 490. vicibus, ut alludatur ad 70. hebdomadas Danielis, quæ faciunt 490, annos, quot videlicet fluxerunt à decreto reædifiandæ Jerusalem ad Nativitatem Christi, per quem facta est plenissima peccatorum omnium remissio. Vel si vulgatæ inhærere malumus, ideo numerus septuagesimus septimus positus est, ut alluderetur interprete D. Hilario ad Lamech, qui de se confitetur Gen. 4. v. 24. *Septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagesies septies.* Sicut enim Lamech in 77. filiis suis, quos omnes in diluvio perdidit velut in septuaginta septem generationibus punitus est, ità Christus in generatione septuagesima septima prognatus est ad omnem peccatorum culpam pariter ac pœnam abolendam. aut Si Gregorii Magni & Divi Augustini præplacet interpretatio, ideo numerus septuagesimus septimus positus est, quia Septimus numerus est Symbolum Universitatis, eò quòd septem dierum spatio conditum & ornatum sit Universum omnéque tempus diebus septem volvatur & concludatur, numerus verò undécimus symbolum est peccati, quia hic numerus unitate transgreditur denarium divinæ legis seu decalogum. jam ergo septies undecim faciunt 77. ergò per 77. numerum omnia omninò peccata remittenda esse Salvator Significat. Audeo dicere, inquit Augustinus, etsi septuagies octies peccaverit, ignoscas: & si centies, & omninò quoties peccaverit, ignosce. Sic enim Christus millia peccatorum invenit, & tamen omnia donavir. Ut ergò suo Christus exemplo persvaderet indefinitam peccatorum remissionem, parabolam adducit de Servo 120. millionum debitore, quod tamen illi debitum ad exiguas preces clementissimè fuit remissum: *Ideo assimilatum est regnum cœlorum homini regi, qui voluit rationem ponere cum Servis*

S. Gregor. l. 32. moral. c. 12. S. Aug. Ser. 15. de verb. Dom.

vis suis. Sed hæc ipsa in parabolâ perquam difficilè mihi semper visum est mysterium, quòd Rex Servo secundùm delinquenti nequaquam pepercerit, cùm tamen septuagesimâ septimâ vice peccanti parcendum esse monuerit, in eúmque finem parabolam hodiernam adduxerit. quid hìc responsi? ex alto omnium vestrûm silentio indubitatum altissimi mysterii cepi responsum, quod brevissimè pandã.

§. 2. Veniam Servus denuò impetrâsset, si rogasset.

Facilem Servus veniam invenit, quia ingemuit, supplicavit, illacrymatus est, itaque grandem debitorum Syngrapham delevit atque difflavit: *omne debitum dimisi tibi, quoniam rogâstime.* Si denuò rogâsset & patientiam divinam appellâsset, de obtinenda rursum venia dubitari vix potest, quia verò obmutuit, idcirco clementiam non meruit, sed impatientem Sceleris DEum persensit. Quotquot unquam in sacris litteris veniam petiisse legimus, non difficulter eandem novimus impetrâsse. paradiso non exulâsset Adamus, si orare quàm se excusare maluisset; in paradisum admissus cum dextero fuisset latro sinister, si orare potiùs quàm blasphemare placuisset. Si Cain, si Core, si ceteri omnes peccatores divinam adorâssent patientiam, spondere ausim exoraturos pariter fuisse, ut recepti in gratiam immortalis gloriæ imperium hodie obtinerent. Habet certè oratio eam vim ac efficaciam, ut imperare potius videatur, quàm impetrare. Percusserat Angelus Domini populum Israeliticum pestilentiâ ob superbiam Regis, ut pestis peste elueretur. quia tamen justitiam nunquam non comitatur misericordia: *Misertus est Dominus super afflictione, & ait Angelo percutienti populum: sufficit. nunc contine manum tuam* 2. Reg. 2. & tamen Angelus pergit percutere, donec orâsset David: Ambrosius in Ps. 37. *Si mandaverat Dominus Angelo, ut parceret, quomodo feriebat adhuc Angelus? etsi Dominus vult ignoscere, vult tamen rogari.* quasi Angelus potiùs precibus deferret eliminatæ pestis horrorem, quàm jubentis DEi nutui.

Matth. 26. Sanatâ Malchi auriculâ increpat Dominus Petrum: *An putas quia non possum, rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquàm* 12. *legiones Angelorum.* Quid ô Domine loqueris? *possum rogare.* cur non possum *imperare*, æqualis enim cum Patre es potentiæ. Scit Filius DEi stylum curiæ, Angeli etsi prompti ad parendum, promtiores sunt ad voces precantûm. Ità Joseph de la Cerda in Judith: *maluit* (Christus) *uti rogationis potentiâ, quàm Deitatis imperio, velut si velociùs accurrerent castra cœlestia roganti ùt homini, quàm ùt Numini tunc jubenti.*

Pugnabat invictus dux Josue contra 5. Reges Amorrhæorum, sed deficiente die prosequi commodè victoriam non poterat. quare contra solem conversus exclamavit: *Sol contra Gabaon nè movearis.* c. 10. v. 12. & ecce dicto citius stetit Sol in medio cœli. habuitne Sol aures ad audiendum? & licèt audiisset, an non debuisset potiùs præceptum DEi servare, *quod illi præceptum posuit & non præteribit.* Stetit Sol obediente Domino voci hominis. Nimirum tam potens est oratio, ut Sol obliviscatur præcepti. Eleganter Salvianus l. 2. de gubern. ad illud Davidicum: Aures DEi in preces justorum; *non audientia tantùm DEI, sed quædam quasi obedientia designatur.*

Rebecca post sterilitatis vicennium tandem propter preces Isaac fœcundatur. At colliduntur in utero parvuli. tum illa: *si sic futurum*

rum erat mihi, quid necesse erat concipere. Notat Didacus Celada in benedicto Patriarcha verbum *necesse* quod naturæ impossibile est, precariâ orationis omnipotentiâ, non tantùm possibilè, sed etiam necessarium redditur. quin & ipse Servus debitor post latam primam à Rege sententiam, quâ venumdari cum uxore & filiis & familia universa jubebatur, non venditus est, sed rogare permissus, & veniam consecutus. Stupet Hieronymus epist. ad Damascenos. utrùm potentius sit verbum supplex Servi, quàm Regis edictum? vult DEUS esse preces nostras prope potentiores præcepto suo. *DEus ipse qui nullis contra se viribus superari potest, orantis precibus vincitur.* Hinc oratio *dominans* à Cl.Alex. in strom. vocatur. dominata fuisset vice quoque alterâ servi oratio, si eam promptè protulisset. quia verò obmutuit servus, obsurduit pariter Dominus. Sed cur obmutuit? cur culpam confessus non est, neque veniam spopondit? malitia Servum nequam non tantùm excæcavit, ut in infinitam Regis clementiam non respiceret, sed & elinguem reddidit, ut divinarum multitudinem miserationum nè verbulo interpellaret, sed in sua induratus impœnitudine, veniam penitus desperaret. Exaggerabatur, ùt opinor, eidem execranda relapsûs sui enormitas quæ primam culpam facilè septies ob septemplicem malitiam solet reddere deteriorem.

§. 3. Septuplex malitia in relapsu.

Et prima quidem est intoleranda ingratitudo. *indulgentiæ ingratus est* (inquit Chrysostomus Ser. de lapsu primi hominis) *qui post veniam peccat.* Sanitate indignus est, qui se ipsum, postquam curatus est, vulnerat, imò qui medicum suum mercedis locò vulnerat; nec mundari meretur, qui semetipsum post gratiam sordidat. propter quam ingratitudinem docet idem Orator aureus peccatum secundum præ primo nimiùm quantum aggrauari: *post hæc peccata dupla & quadrupla fiunt, quia ingrati sumus, propter ingratitudinem malum fit immedicabile;* ità ille homil. 1. in acta. Ingratitudini accedit infidelitas, cùm enim juxta doctrinam Divi Hilarii in ps. 137. *confessio peccati professio sit desinendi*, professionem hanc nequiter violat fidemque datam frangit, qui denuò peccare præsumit. idcirco Servus *nequam* appellatur, qui Domini sui clementiam irritavit. *Servo peior est*, inquit iterum Chrysostomus, *qui Patronum post datam libertatem*, imò post fidem stipulatam, *offendit.* Unde mirum non est, quòd misericordiam non mereatur, nec patronum facilè reperiat, qui pro reo intercedere dignetur. *Quis miserebitur tui Jerusalem?* ait. Dominus Jerem. 15. v. 5. *aut quis contristabitur pro te? aut quis ibit ad rogandum pro pace tua?* cùm enim relapsus peccator DEi & hominum fidem fefellerit, idcirco sanctorum nullus spondere pro tali audebit. Ingratitudinem hanc comitatur contemtus divinæ veniæ, quam si appretiare relapsi, ùt par erat, voluissent, tam facilè eadem haudquaquam prodegissent: *deliquerunt mihi & spreuerunt me* Jer. 33. v. 8. quia verò contemsère, idcircò contemti à DEo sunt juxta illud: *Væ qui spernis, nonne & ipse spernêris* Is. 33. v. 7. vilissimo certè loco inter peccatores ceteros est relapsus, ùt patet ex illa admirantis Jeremiæ quæstione c. 2. v. 36. *Quàm vilis facta es nimis iterans vias tuas?* Comparantur recidivi *sali infatuato*, quod ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras & conculcetur ab hominibus. Matth. 5. v. 13. In statuam salis abiit uxor Lothi, quia respexit & imagi-

maginem eorum expressit, quotquot ad priora respectant scelera, & divinam gratiam contemtui habent. qui in agro divinæ amicitiæ est, non redeat retrò ad cœnum vitiorum. *memores estote Uxoris Lotb* Luc. 17. v. 32. *quæ Uxor Lotb* (S. Prosperum recito) præcepta contemnens retróque respiciens statua Salis effecta, suo exemplo fatuos condivit, in proposito sancto quo tendunt, noxiâ curiositate retrò non respicere. Respexit mulier, quia contempsit, & quia contemsit in salem infatuatum conversa contemni ab omnibus meruit. Extremo digni contemtu & proculcatione sunt omnes illi, qui dum vetera repetunt flagitia, conculcare, ùt ait Apostolus, Filium DEi non verentur. *Quomodo conculcat quisquam FiliumDEi?* quærit Chrysostomus, & respondet: *quando qui particeps est cum ipso in mysteriis, peccatum committit, nónne illum conculcat? nónne illum contemnit? sic enim, quæ conculcamus, nullius momenti pendimus: Sic & qui peccant,* & quidem secundò, quartò, sextò, septuagesimò idem peccatum patrant, *Christum nullius momenti existimant.* At Sentient momento vitæ supremo & æternitate totâ quid sit DEum contemsisse, irrisisse, proculcâsse. *DEus non irridetur,* multò minùs conculcatur, ipse verius in interitu illorum ridebit, subsannabit, conculcabit. Putant quidem relapsi, se facilè veniam denuò consecuturos, sicut priùs consecuti sunt, ideóque ex præsumta DEi misericordia peccant (quæ est quarta malitia & peccatum in Spiritum Sanctum, quod æterna Veritas vocat *irremissibile* Matth. 12. v. 32.) at non erit tam facilis venia, quàm sibi ipsis imaginantur. quia enim impudenti ex præfidentia DEo toties verterunt dorsum juxta id Jerem. 2. v. 27. *verterunt ad me tergum* & non faciem, talionem iisdem minatur DEus: *dorsum & non faciem ostendam eis in die perditionis eorum* Jerem. 18. v. 17. Monet proinde D. Ambrosius diligentissimè cavendum esse relapsum, nè prior pœnitentia in graviorem cedat damnationem, sicut prima debitorum remissio Servo hodierno majorem Domini provocavit iram ad severiùs nequam Servum puniendum: *eos qui pœnitentiam agunt, hoc solùm timere oportet, nè ipsius pœnitentiæ agant pœnitentiam.* quamvis enim *sinè pœnitentia sunt dona DEI* Rom. 11. v. 29. adeóque peccata semel remissa semper remissa censentur ùt docent Theologi cum Angelico Doctore, nihilominus peccatum repetitum gravius redditur & acerbiùs punitur. Quanquam dubitare quis non immeritò possit, utrùm seriò acta pro peccatis fuerit pœnitentia, si tam citò & facilè delicta pristina reiterentur. hypocrisin potius appellavero & crocodili lacrymas, quàm ut mihi persuadeam synceram scelerum detestationem & emendationis propositum præcessisse. Si ergò simulata fuit pœnitentia, pœnam longè gravissimam merebatur juxta receptissimam D. Augustini gnomam: *Simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas.* Demus tamen seriò synceréque pœnitentiam actam fuisse, si nihilominus condonata rursum perpetrentur flagitia, immanem suam insipientiam recidivus manifestat, & se amentibus omnibus dementiorem esse indubitatè demonstrat. *Avicula semel capta* (Chrysostomi est oratio homil. 13. ad pop.) *laqueo mox elapsa, & cervus in rete decidens & effugiens iisdem iterum difficilè capientur. Nam cuique fit experientia cautelæ magistra. Nos sæpiùs iisdem capti in eadem cadimus.* Ideóque

S. Prosper de benedict. & promiss. p. 1. c. 16.

Gal. 6. v. 7.

S. Ambros. l. 2. de pœnit. c. 9.

3. p. q. 88. a. 1. & 3.

que non tantùm jumentis insipientibus à Psalte comparandi, sed brutis ipsis longè deteriores pronuntiandi sumus. & hinc est, quòd nè mutire audeat relapsus Servus, eò quòd excusatio non occurrat, quâ prudenter nova sua insipientia possit exculpari. Inexcusabilis es ô homo omnis, qui te ipso judice ac teste pronuntiâsti: *Malum & amarum est reliquisse Dominum DEum*, hunc nihilominus Amabilem Dominum dicto citius deseris, & ad amaritudinem concitas. Si timorem, angorem, amarorem, mœrorem, & sexcentas ærumnas, quæ unumquodque peccatum è vestigio consectantur, peccator non persensisset, excusari fortasse apud tribunal justitiæ & veniam sperare posset, at qui toties tot se tantisque obrutum sensit amaritudinum fluctibus, quoties stillulam falsæ voluptatis, quâ illitum est peccatum, degustavit, nihilominus tamen easdem appetere illecebras cum enormi Divini Numinis disgustu non dubitavit, quam tandem excusationem proferet, quam veniam sperabit, quam pœnam subibit? Septuplum ultio dabitur de Cain, quòd à DEo monitus, nè iram fovendo pessimè sibimetipsi faveret, dum vultum concidere, quietem animo fugere, omnem vitæ jucunditatem disperire sentiret, post amicam hanc DEI monitionem priorísque remissionem culpæ, nihilo secius in voluntarium istum Dæmonem (ità iram Chrysostomus) sponte inciderit, & fratrem innoxium de medio scelestissimè sustulerit. Septuplum ultio dabitur de Cain, qui in seipsum desperatione plenam protulit Sententiam: *Major est iniquitas mea, quàm ut veniam merear.* Non meretur facilè veniam, qui facilè priorem repetit culpam: cave cùm mortuus fueris semel, moriaris iterum, jam non peccato morieris, sed veniæ. ità Ambrosius Serm. 18. in Ps. 118. Septuplum ultio dabitur de Cain, de Lamech verò septuagesies septies, quia Caini supplicium vidit, nec tamen culpam cavit, sed duplicavit, cùm Cainum pro fera habuit & occidit, armigerum verò suum, à quo falsò monitus de fera fuerat, arcu insuper percussum exanimavit, adeóque duplo sese scelere obstrinxit, dignus non duplo sed septuplò graviore mactari supplicio. Dignus enimverò est omnis relapsus pœnâ saltem septuplum majore, quàm prius commeruerat peccatum, quod supponimus fuisse remissum.

Jerem. 2. v. 19.

§. 4. Relapsus in peccatum septuplò gravior est priore lapsu.

Ponamus itaque exempli gratiâ homicidium, adulterium, perjurium vel quodcunque aliud flagitium primâ vice patratum promeruisse septem plagas juxta illud divinæ Justitiæ decretum: *percutiam vos septies.* Levitic. 26. v. 24. & illud Psaltis postulatum: *redde vicinis nostris septuplum* Ps. 78. v. 12. si post impetratam veniam denuò patratum est, jam non septem, sed septies septem, puta 49. plagas merebitur. Si secundò remissum, tertiâ vice patratum est, merebitur trecentas quadraginta tres plagas. Si tertiò remissum, quartò commissum fuerit, multabitur plagis bis millenis, quadringentis & unâ. Si quartò, vapulabit plagis decies sexiesmillenis octingentis & septem. Si quintùm, numerabuntur centies decies senties millenæ, sexcentæ, quadraginta novem plagæ. Si post sextam remissionem septimò repetitum fuerit, non sufficient nisi septem milliones plagarum, insupérque septingenta & quinquaginta tria plagarum millia, quingentæ, quadraginta tres plagæ.

§. 5. Relapsus frequens

Ne quis verò exaggeratiùs & severiùs quàm veriùs ista à me dici ex-

reprobationis indicium.

existimet, appello incarnatæ incorruptæque Veritatis oraculum, à quo didicimus ejecto ex anima dæmone assumere septem alios spiritus nequiores se, *& ingressi habitant ibi & fiunt novissima hominis illius pejora prioribus* Luc. 11. v. 26. magnus dæmon peccatum est, ut aliàs ex D. Chrysostomo dicere me memini, hic autem dæmon seu peccatum septies nequior evadit, cùm redit per relapsum pœnitentis, & pœnè desperatam recidivi reddit salutem, ità conclamante Apostolo: *Impossibile est eos, qui prolapsi sunt rursus renovari ad pœnitentiam*, cujus horrendæ assertionis causam mox subjungit: *rursum crucifigentes sibimet ipsis Filium DEi.* læsa toties Dei patientia fit furor, ut vel spatium pænitentiæ relapsis non concedat, vel gratiam congruam non indulgeat. *super tribus* inquit iratus DEus *sceleribus Gazæ, & super quatuor non convertam eum.* Amos. 1. v. 6. per tria scelera intelliguntur plurima cogitatione, ore, opere commissa, & per seriam pœnitentiam remissa, per quartum verò designatur recidiva, quæ divinam tantopere exacerbat clementiam, ut ulterioris conversionis gratiam rescindat: *super quatuor non convertam.* Concludant proinde Doctores Ascetici frequentem in eadem scelera post actam pœnitentiam relapsum, manifestum esse reprobationis indicium, sicuti sæpe relabi in morbum, vicinæ mortis est signum. Clara sunt æterni Judicis verba: *Nemo mittens manum ad aratrum, & respiciens retrò, aptus est regno DEi.* Manum mittere ad aratrum, inquit divinorum Interpres verborum Gregorius, est per quendam quasi compunctionis vomerem ad proferendos fructus terram sui cordis aperire. Sed retro post aratrum aspicit, qui post exordium boni operis ad mala revertitur, quæ reliquit. & talis à DEo & Angelis relinquitur, quia regno DEi aptus non habetur, hinc illæ Angelorum voces: *Curavimus Babylonem & non est sanata, derelinquamus eam.* Cùm verò à tutelaribus Geniis, volente DEo, derelinquitur, in flagitiorum omnium barathrum finitur incidere juxta id Ps. 80. v. 13. *dimisi eos secundùm desideria cordis eorum: ibunt in adinventionibus suis*; donec impleta scelerum mensura in puncto in infernum descendant. non sunt canes apti cœlo. *foris canes*, neque mittuntur cœlestium deliciarum gemmæ ante porcos, canibus & porcis similes sunt, qui redeunt ad vomitum & volutabrum luti, infelices heu victimæ, nil miserantis orci! *In duobus contristatum est cor meum*, inquit Siracides *& in tertio iracundia mihi venit.* Non cupio scire duos illos, qui contristant sapientem, tertium potiùs rescire aveo, à quo ad justum furorem se concitari fatetur: quis quæso ille est? *qui transgreditur à justitia ad peccatum, Deus paravit eum ad rhomphæam.* ad romphæam parari est, ad æternum supplicium præsciri, contra reprobos enim rhomphæa bis acuta ex ore judicis egreditur, quæ corpus & animam feriat in perpetuas æternitates. *qui transgreditur à justitia ad priora peccata, DEus paravit eum ad rhomphæâ.* quamvis omne scelus divinam provocet iram, illud tamen longè gravius sentitur, quod post remissionem acceptam. Videamus id breviter in exemplis.

Hebr. 6. v. 6.

Luc. 9. v. 62

S. Gregor. hom. 3. in Ezechiel.

Jerem. 51. v. 9.

Apoc. 22. v. 15.

Eccli. 26. v. 25.

§. 6. Exempla Relapsorũ

Peccant contra primum Decalogi præceptum tres Magi, peccat & Balaam, omnes maleficiis & præstigiis devoti, ùt docent, Augustinus, Ambrosius, Hieronymus. Viderant Magi stellam, prævidit & Balaam; *orietur stella ex Jacob* fortè

August. Ser. 2. de epiph. Ambrof. super Luc. Hieron. in C. 19. If.

tè Magi non vidissent, nisi Balaam præmonstrâsset. hac duce stellâ ad solem justitiæ perveniunt tres Magi,& tanquam stellæ firmamenti lucent in omnes æternitates, Balaam contrà in noctem æternam incidit, & tanquam ignis fatuus in tenebrarum chaos relegatur. Cur salvantur Magi, reprobatur Balaam? quia hic veritate sæpiùs agnitâ ad priores relabitur superstitiones, illi verò ad viam veritatis & salutis semel conversi priorem non repetunt semitam,sed ùt Evangelista loquitur: *per aliam viam reversi sunt in regionem suam.* per aliam viam per alteram vitam ad illam primam nostram revertamur, de qua per Adam ejecti infeliciter sumus, ità Chrysologus Ser.159. Chrysostomus verò homil. 2. in imperf. qui relicto Christo vadunt ad Herodem, frequenter revertuntur ad Christum, qui autem relicto Herode ad Christum veniunt toto corde, nunquam revertuntur ad Herodem. & hi in bona stella ad solem æternæ felicitatis appropinquant. Matth. 2. v.12.

Peccat contra pleraque Decalogi præcepta Manasses, peccat & Achab; salvatur ùt spes bona est Manasses,reprobatur ùt extra controversiam est Achab, quia Manasses post pœnitentiam pœnitenda amplius non commisit, pœnitenda verò plurima post pœnitentias plures patravit Achab, qui *venundatus* esse dicitur,ut faceret malum, quòd suâ se lubricitate & relabendi in pristinos errores pronitate dæmoni mancipârit, ut sui vix amplius juris videretur esse, sed pro dæmonis arbitrio nunc per uxorem, nunc per pseudoprophetas in quævis scelera præcipitaretur. Et quamvis pœnitenti Achab veniam spoponderit DEus: *quia igitur Achab humiliatus est mei causâ,non inducam malum in diebus ejus;* nihilominus ùt ex sequenti c. 22. v. 35. constat, ipse Rex cum exercitu suo devastatus occubuit & periit, non quòd verbum DEi esset immutatum, sed quia immutata erat pœnitentia Regis: *Dominus autem non potest mutabilis æstimari* inquit S. Ambrosius, *sed confessionis immemori non putabat esse servandum, quod promiserat pœnitenti.* 3. Reg. 21. v.21.&29. S.Ambros. de Naboth c.17.

Peccat contra quintum & Sextum præceptum David, peccat & Herodes; Salvatur David non Herodes,quia ille relapsus non est,concione prophetæ Nathan auditâ,relapsus est Herodes, qui licèt audito Joanne multa fecerit, teste Marco, quia tamen priora repetiit malefacta,quidquid aliquando boni egit, actum egit. Marc. 6. v. 20.

Peccant contra præceptum quartum & sextum Ruben & Absalon,Ruben Sanctorum Syllabo adscribitur, expungitur Absalon, quia hic reconciliatus patri, sæpius eundem graviúsque lacessivit, Ruben verò offensæ primæ secundam non adjecit.

Peccant contra secundum & quintum præceptum Saul & Saulus, Saul perjurus innoxium Davidem persequendo,Saulùs nomen Salvatoris insectando,omnésque qui invocant nomen hoc ad compedes & catastas inquirendo. Salvatur Saulus non Saul,quia Saulus semel conversus nunquam amplius est perversus,Saul contrà errorem toties agnitum deflevit, nec tamen insonti genero mortem machinari destitit, indignus idcirco habitus, qui corriperetur ampliùs aut lugeretur cohibente Samuelem DEo, nè preces amplius pro Saule funderet: *usquequo tu luges Saul, cùm ego projecerim eum* 1. Reg. 16. indigni sunt, qui lugeantur, quotquot post salutarem pœnitentiæ luctum lugenda rursus perpetrant; projecti à facie DEi


sunt qui ad reconciliationis osculum admissi, faciem DEo denuò obvertunt. contra quos clamat Jeremias c. 18. v. 23. *abutere eis in tempore furoris tui* quia tuâ illi patientiâ sunt abusi.

Peccant Ezechias & Pharao peccato superbiæ, ideóque ambo plectuntur, leviùs Rex Solymæ, graviùs Ægypti, hic tamen in pœnis magis induratur, donec ex profundo aquarum in profundum flammarum devolveretur, Ezechias econtra conversus ad parietem plorat & exorat tria vitæ lustra, & æternas insuper beatæ immortalitatis delicias, quia nihil ultrà dignum lacrimis patravit.

Peccant in mitissimum Magistrum suum Judas & Petrus, hic illo prope graviùs, quia pluribus beneficiis devinctus, & tamen in gratiam ampliorem recipitur, ille in malam abire crucem permittitur. nimirum Petrus benigno Christi aspectu ad pœnitentiam emollitus cœpit flere amarè, nec amare Magistrum destitit, dum supremum illi spiritum in ara crucis litavisset. At Judas postquam pœnitentiâ ductus argenteos retulisset, & solenne pœnitentium verbum *peccavi* protulisset, novo se iterum scelere nefariæ desperationis sordidavit, fœtentémque spiritum ruptis iliis in fauces Tartari exhalavit.

Caveat relabi, qui timet reprobis accenseri, & bis acutâ justitiæ rhomphæâ jugulari, timeat relabi, qui timet à DEo deseri & disperire, horreat relabi, qui cum servo nequam in æternos compingi carceres perhorrescit. Meritò veniam post lapsum alterum consecutus non est, qui in septemplici suâ malitiâ voluit esse térque quatérque miser & misericordiæ infinitæ visceribus indignus. Quod Lamachus Centurio de bello dixit, de universa hac vita, quæ est militia super terram, repetere libet: *in bello*, in vita, *non licet bis peccare.* peccatum satis est, jam non peccabimus ultrà. Ità nos Deus amet & infinita ejus, quam ad ultimum vitæ spiritum confidentissimè rogamus, patientia. **§. 7. Cavendus relapsus.**

In Emblemate propono avem stupidam, quæ in laqueum & viscũ, unde vix evaserat, revertitur; Scarum piscem, qui in rete ultrò redit & capitur; feram quæ in foveam, unde vix elapsa, sponte recidit & interit; lemma omnibus idem: *si redit illa secundò, non redit illa secundè.* Vel crystallum in frusta comminutam, & rosam in minutias discerptam fingamus cum lemmate: *deperit illa semel.* Multis bis peccare non datur, vel bis peccantibus venia non conceditur. peccatum semel est, peccatum satis est. **§. 8. Emblema.**



PRO-



PROBLEMA XXIV.

Quomodo Laudatus gerere se debeat?

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

Quid me tentatis hypocritæ? Matth. 22. v. 18.

§. 1. Laudatoribus non credidit Salvator.



FAcili veracíque anagrammate idem est *Laudator* quod *Adulator*, & *Minister* quod *mentiris*. Ministri aulici erant ii quos ad CHRISTUM ablegatos ex Herodianis & Pharisæorum discipulis accepimus, ut fucatis suis laudibus incarnatæ Veritati imponerent, hoc est, Christum caperent in sermone. Adulatores erant, quia laudatores, mendaces erant quia hypocritæ & mendacissimi aulæ Ministri. At frustra ante pennatorum oculos rete jacitur, frustra adulationis oleum & fallaciæ opera fallendæ Sapientiæ impenditur, frustra mentitur iniquitas sibi. Scit beatissimus JEsus servare in exhauriendis calumniis patientiam, in laudibus modestiam, non flecti in prosperis, non frangi in adversis, nec adulantibus credere, nec persequentibus latum ungvem à recti tramite cedere. Quam scientiarum divinissimam, ut & nos addiscamus, quomodo laudatus gerere sese debeat, docebo.

§. 2. Laudare potius quàm vituperare solitus est JEsus.

Negare nemo prudens ausit plurimùm quandoque laudes conducere, ut de virtute in virtutem homo progrediatur, & præconiis potiùs quàm vituperiis ad vitiorum odium, virtutúmque amorem per moveri; unde Salvatorem nostrum sæpissimè laudibus egisse, & peccatores ubi ubi poterat commendâsse accepimus, ut salutari hac captos escâ pertraheret ad salutem & gloriam. Sic Samaritanæ dictum est: *bene dixisti.* sic temerario judici Simoni leproso responsum est: *rectè judicâsti.* sic Magdalena commendata: *opus bonum operata est in me.* sic disciduli rixosi compositi: *Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis.* Sic plurimi alii benedicto Christi ore dilaudati, cui semper proprium erat laudare & comprobare, reprobare verò & objurgare alienum. Verùm cùm periculosa admodum laus sit, nî adsit JEsus, faciliúsque sit ab humanis laudibus afflari & disrumpi, quàm in virtutibus proficere & perfici, idcircò ingeniosâ opus est industriâ, ut laudes ipsæ nobis in majorum honorum segetem excrescant conducántque.

§. 3. Os potius quàm aures lauda-

Elegantissimus est discursus Divi Epiphanii, cur optimus Salvator laudes dæmonis non acceptaverit,

toribus dandum. S. Epiph. ferm. de malolinguæ.

verit, cùm Filius DEi prædicaretur, acceptavit autem fel & acetum, cùm à Sathanicis ministris crucifigeretur? cur os proditori porrexerit, non porrexerit laudatoribꝰ dæmoniis aures? *exibant dæmonia à multis clamantia & dicentia: quia tu es Filius DEi, & increpans non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum.* Luc. 6. v. 41. nimirum securius est os ad osculum inimicis exhibere, custoditis tamen, & à blandiloquio aversis auribus, quàm aures ad præconia adulantium convertere, averso licèt ore ab eorundem basio & amplexu; adeò enim lethale est adulationis toxicum, ut non tantùm illius saturitas, sed vel levis gustus enecet innocentem, & sontem efficiat. Audiamus ipsummet hac super re loquentem Epiphanium: seipsum sponte morti obtulit Salvator, & Sermonibus mendacii aurem nequaquam, os suum aperiens acetum cum felle gustavit, qui scelesti verba (laudes dæmonis) auribus excipere recusavit; os proditori osculandum exhibuit, & deceptori responsum dare noluit; sic & os tuum maledicis osculandum præbe, aures verò minimè. nam si tuum illis os præbueris, osculum illos condemnabit: si aures illis accommodaveris, jam te verborum gustus occidet. hucusque Epiphanius. en quanti plenum sit periculi, laudatoribus aures concedere, & vel gustulum propriæ commendationis admittere. prudentes proinde ut serpentes, imò serpentibus omnibus prudentiores sunt, qui obturant serpentùm more aures suas,
Ps. 57. v. 6. nè exaudiant vocem incantantium, & venefici incantantis sapienter.

Surdâ pertransiit aure humillimus Dei filius ingentia illa præconia quæ in palmari triumpho plenis crepabant buccis festivæ turbæ: *Hosanna Filio David, benedictus qui venit in nomine Domini, hosanna in altissimis* Matth. 21. v. 9. cur nullum pro tanto præconio reponit præmium, cur vicissim populo benedicere, & verba laudum regerere prætermittit? laudavit Samaritanam & Chananæam laudatrices suas, benefecit Jerichuntino cæco, Simoni Petro, aliísque Encomiastis suis, cur non & populo præconi? prævidebat nimirum eandem omninò turbam pauculis pòst diebus encomia in vituperia verso impiè folio conversuram, ideoque parum illi deferendum censuit, à qua tam citò se reprobandum deferendúmque prævidit. Idem præcogitet, quisquis humanis infascinari laudibus non vult, noverítque laudes humanas Euripo inconstantiores, quâvis aurâ mobiliores, Vertumno magis esse versatiles, illúdque propheticum sibi occinat: *qui te laudant, ipsi te decipiunt.* Non à popello, sed à tribus Regibus opulentissimis Elipha Themanite, & Baldad Suhite, & Sophar Naamathite amicis suis laudabatur Job, quos tamen reciproco iste præconio non affecit, quin potiùs severissimè objurgavit: *quare detraxistis sermonibus veritatis* Job. 6. v. 25. quid tam asperè ô mortalium patientissime in amicos tuos, in Encomiastas, in Reges inveheris, quibus omnem redhibere benevolentiam, próque exhibito compassionis officio amplissimas dicere gratias convenit? respondet pro Jobo Olympiodorus: Sermone consolabantur eum, verba dabant, fucos faciebant, illudere potiùs & ciconiam à tergo pinsere gestiebant. Job verò quia simplex erat ac rectus, & timens DEum, laudibus moveri nescit, hæc etenim rectorum ac simplicium certissima nota est, humanis laudibus non moveri, non peruerti, non fascinari.

Laudabat cœlestis genius Na- §. 4.
zare-

Turbatur MARIA, agonizat JESUS ad laudes suas.

zarenam Virginem, & gratiarum plenum *Ave* afferebat, at prudens Virgo salutationis novam formam mirata, ùt loquitur D. Ambrosius (cùm teste D. Bernardo *omne novum suspectas reddat insidias*) cogitabat qualis esset ista salutatio? non fuit turbata in visione Angeli, quia visionibus Angelorum assveta (ità Doctor Angelicus) sed in admiratione eorum, quæ ei ab Angelo dicebantur, quia de se non tam magnifica cogitabat. hæc enim sapientum est consvetudo, ut cum alieno laudantur ore, proprio torqueantur corde.

S. Ambros. in C. I. Luc. S. Bernard ser. 2. de Annunt.

S. Thom. p. 3. q. 30. a. 3. in fine

Orabat Patrem suum DEus-Homo in horto oliveti, ut imminentem passionis calicem auferret, cui recreando Angelus cœlo lapsus omnes consolatoris optimi partes exactè obivit: *Apparuit autem illi Angelus de cœlo confortans eum* at parum momenti Angelica confortatio attulisse visa est, cùm mox subjungat Evangelista: *& factus in agonia prolixiùs orabat, & factus est sudor ejus sicut guttæ sangvinis decurrentis in terram.* Angitur dum laudatur, sudat dum confortatur, agonem subit, dum audit præconem. nimirum confortatio Angelica, si D. Epiphanio & Theophylacto credimus in exaggerata laudum magnitudine consistebat: *Angelus confortabat eum admirando ejus fortitudinem, laudando ac dicendo: tua est potentia Domine, tua est fortitudo* ad quas ille obticuit, contremuit, sangvinem sudavit, ipsáque morte intolerabiliores laudes habuit, siquidem tunc horrore mortis ob oculos oberrante solummodo dixit: *tristis est anima mea*; laudibus verò suis in aures ingestis *factus est sudor ejus sicut guttæ sangvinis.* quod totum factum fuit ad nostram eruditionem, ut ad nostri commendationem magis quàm mortis ipsius mentionem perhorrescamus.

Luc. 22. v. 24.

S. Epiph. hæres. 69.

§. 5. Auditis laudibus in cognitionem vilitatis propriæ exemplo Sponsæ descendendum.

Miras Sponsæ suæ laudes divinus decantat Sponsus in toto epithalamio ac potissimùm c. 6. v. 3. ubi eam auroræ, lunæ, soli comparat *& beatissimam* pronuntiat; At illa divertere laudes suas solicita; *descendi*, inquit, *in hortum meum, ut viderem poma convallium & inspicerem, si floruisset vinea, & germinâssent mala punica, & nescivi.* quid nescivit? laudes suas, quas surdâ aure pertransiit ínqué hortum suum, sive cognitionem propriam, ùt cum D. Ambrosio Doctor Angelicus interpretatur, descendit reflectendo se in congenitam naturæ suæ vilitatem, & quovis præconio indignissimam reputando. placet audire Philonem Carpathium in sponsæ verba ità commentantem: *Castissima sponsa & quævis fidelis anima divinâ gratiæ svavitate & supernâ cognitione repleri solet, ut extra se posita quid senserit, ubi fuerit, quóve torrente divinæ voluptatis potata sit ignoret, & id sese nescire prorsus & apertissimè fateatur.* descendit enimverò ad poma convallium, & mala punica, dum se infra omnes creaturas collocat, & ad oram sacerdotalis vestimenti fructus suos appendit soli directori conscientiæ contenta cœlestium charismatum dona aperire, ac velut ad pedes ejus deponere.

§. 6. Exemplo Abrahæ & Nathanaelis surdâ velut aure laudes excipiendæ.

Humandæ uxori suæ Saræ locum exquirens Abraham filios *Heth* convênit, & quâ erat præditus modestiâ, gratiam sibi & dilectæ conjugi fieri rogavit, ut justo pretio spatium in sepulcrum redimere liceret. Captus humanitate Abrahæ Gethæus populus unanimiter respondit: *Audi nos Domine, princeps Dei es apud nos* Genes. 23. v. 6. quasi dicant: tuum Rex magne quod optas explorare labor, nos jussa capessere fas est. *tunc Abraham surrexit & adoravit populum terræ & ait illi: inter-*

tercedite pro me apud Ephron. proh quanta divini hujus Principis modestia & in vilissimum populum reverentia! cur auditis laudibus suis tantopere sese demittit? quia non nisi invictissimi cujuspiam herois est, laudibus & encomiis suis non labefactari, sed cedere tempori non virtuti, concedere tantillum mutabilis vulgi consvetudini, nihil recedere à pristinis modestiæ pietatísque moribus. breviter & acutè de Abrahamo Philo. *dum extollitur humiliatur.* Verum Abrahami posterum se Nathanaël exhibuit, quem ipsemet Rex gloriæ suis dignatus est laudibus: *Ecce verè Israelita, in quo dolus non est.* Joan. 1. v. 47. quid poterat dici candidius, quid nobilius, quid eminentius? nec tamen laude sibi à JEsu attributâ capitur Nathanaël, neque vicissim in laudem laudatoris sui sibi incogniti (prout hodie fieri passim amat) subitus erumpit, sed instat prudentissimè inquirendo: *unde me nôsti?* ô verè doli omnis expertem Sophum, qui cognitioni sui ipsius intentus non pensat, quid de se sentiant alii, dum alienis sese laudibus longè inferiorem agnoscit. ô verè Israelitam, qui simplice mentis oculo DEum videns videri & laudari ab hominibus non curat. *Animadverte hominis constantiam*, exclamat Chrysostomus, *non intumuit laudibus, neque his obviam factus.* Chrysost. hom. 19.

§. 7. Repetitio Concionis

Satis ut opinor ex dictis colligere est, qui laudatus gerere sese debeat, ne laudes in vituperium salutísque suæ periculum cedant, timere nimirum oportet cum humillima Domini Ancilla, surdâ pertransire aure, imò ad agonem usque resistere cum exinanito DEo, demissiùs se gerere cum Abrahamo, sanctè aliquando indignari cum Jobo, se penitiùs nosse cum Nathanaele, imò nescire & abnegare cum Sponsa, ut non à peccatore, in cujus ore speciosa laus esse non potest, sed ex incorruptæ Veritatis oraculo æternam aliquando laudem mereamur. Non est in hac vita *laus de tempore*, cùm tempus desierit & beata cœperit æternitas, *tunc erit laus uni cuique à DEo.* 1. Cor. 4. v. 5. D. Bernardus laudatus reposuit: *orate ut talis fiam, qualem me prædicatis.* S. Bernard ep. 11. Gregorius Magnus oratori suo Panegyrico acutè dixit: *DEum precare, ut ea quæ de me prædicas, vera efficiat.* Carolus V. Lutetiæ laudibus in cœlum elatus sapientissimè respondit: *hæ laudes me commonent, qualis esse debeam.* Ità sentiamus dicamúsque, & omni laude superiores evademus.

§. 8. Emblem.

Corona Problematis esto Rosa & Tulipa candida & rubicunda; candidum item & rubicundum Pomum ac Cerasum in phialis aureis aureo cum lemmate: *quàm bene conveniunt Candor hic, ille Rubor.* Nihil pulcrius, quàm si Candor innocentiæ componatur cum purpura verecundiæ, ut qui laudatur pro merito, erubescat pro modestiæ affectu: Salva enim res, erubuit.



PRO-



PROBLEMA XXV.

Cur Manum Puellæ CHRISTUS tenuerit?

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

Tenuit manum ejus. Matth. 9. v. 25.

§. 1. Poterat Christo sine adminiculo manûs resuscitare puellam.



Uod David de se cecinit, meliori jure de se repetere Jairi filia potuit & inter prima gratiarum verba Sospitatori suo JESU accinere: *DEus meus es tu, in manibus tuis sortes meæ* Ps. 30. v. 18. non mihi fortuitò vita rediit, sed à gratiosa tua Optime maxime JEsu præsentia & à vitalibus manibus, quibus meas contingere dignatus es, emanavit. *in manibus tuis sortes meæ*, vel ùt habent Hebræa, *in manibus tuis tempora mea* cum præteritis præsentia, cum præsentibus futura, cum finitis infinita. in his manibus meam lego vitæ lineam, verámque teneo felicitatem, quam nemo tollere poterit, nisi me tuis tollat de manibus. Poterat Christus solo vivæ vocis oraculo puellam resuscitare, ùt postea Lazarum è monumento fœtidum evocavit, poterat vitalem inhalare spiritum, sicut primitus inspiravit in Protoparentem nostrum vitæ spiritum, ut fieret in animam viventem, placuit nihilominus manum suam adhibere, manuśque puellæ jungere ex causa, nî fallor, quintuplici, quam breviter indigitabo.

§. 2. Causa 1. ut satisfieret petitioni Patris.

In promptu prima impositæ manûs causa est, ut desiderio Archisynagogi satis fieret, eóque modò resuscitaretur filia, quo pater petierat, dixerat enim: *Veni impone manum tuam super eam.* v. 18. Manum Christi imploraverat Jairus, quia recordabatur, quòd suis hominem manibus DEus in principio formârit, illúdque Jobi altè imbiberat: *manus tuæ fecerunt me & plasmaverunt me totum in circuitu.* (Job. 10. v. 8.) quare manum imponi postulavit, ut destructum divinæ potentiæ opus ab eodem Artifice eodémque instrumento repararetur: *quia qui posuit* (verba D. Paschasii) *cùm formaret ex nihilo deposuit. rogat itaque ut imponat iterum manum, & reformet eam de perditione.* (S. Paschas. l. 5. in Matth.) Clariùs D. Chrysologus serm. 33. *credidit ergo DEo* (Jairus) *quia eâdem manu, quâ creatam senserat filiam, recreari ac reduci posse ad vitam noverat: Veni & impone manum tuam, ut qui sponte posuit ad creandum, ad reparandum iterum exoratus imponat.* habet enim DEus in more positum, ut primam benevolentiam multis beneficiorum incre-

crementis augeat ac multiplicet & plusquàm perfecti operis authorem sese esse demonstret. & verò manum Homo-DEus imposuit, votum Patris modûmque præscriptum implevit, defunctam redanimavit, eóque mysterio docuit, quòd postulata nostra concedat ad eum modum, quem petimus ac desideramus. Desiderârat leprosus solo voluntatis divinæ imperio se mundari: *Domine si vis potes.* & mox reposuit Salvator: *Volo. mundâre.* Illud mirabile (admirabundus exclamat Ambrosius) quòd eo sanavit genere, quo fuerat obsecratus. Certè tot signa (subjungit D. Chrysostomus) & talia operatus, nunquam hoc verbo usus refertur. Hic verò ut de potestate sua opinionem & leprosi sanaret & populi, addidit: *Volo.* Mirabilis certè DEi nostri humanitas, quòd in benefaciendo modum non determinet, sed servet ab exorante designatum. Ibat Hebræorum heroina Judith ad Assyriorum castra obfirmato in Holofernis necem animo, quam priusquam inferret, in hæc verba DEum legitur allocuta: *hoc quod credens per te posse fieri cogitavi, perficiam.* Cur pugionem Herois nostra non assumit aut certè novaculam, quo guttur pro barba tyranno abradat? cur inermis progreditur? nimirum longâ priùs oratione ad DEum pro populi Israëlitici salute, hostiúmque extirpatione sese Judith armârat, atque inter cetera DEum ità fuerat precata: *Fac Domine, ut gladio proprio ejus superbia amputetur*, adeóque spem ingentem magnanima mulier conceperat fore, ut alio non egeret gladio quàm Holofernis proprio, quia perbellè divinitatis nôrat genium, quod non tantùm votis annuere dignetur nostris, sed nostrum quoque observare modum, quo nobis beneficium conferri postulamus. *Veni impone manum*; venit JEsus imposuit, sanavit; nec tantùm Jairi precibus respondit, sed plus insuper præstitit, quàm fuerat petitum.

S. Ambr. l. 5. in Luc. S. Chrysost. hom. 26.

Judith. 13. v. 7.

§. 3. Plus confert DEus quàm rogetur.

Manum enim suam imponere rogatus, manum insuper demortuæ apprehendit, inque vitæ viam de regione mortis manuduxit. Similiter Centurioni petenti verbum unicum in sanitatem pueri proferret: *tantùm dic verbo, & sanabitur puer meus.* non modò verbum Christus non negavit, sed & descensurum se Capharnaum promisit; Regulo verò pro corporea filii salute roganti non tantùm vitam prorogavit, sed & spiritualem tam filio quàm toti familiæ impertiit. Paralytico quoque non tantùm corporis, quam solam expetierat, sed & animæ tribuit sanitatem. Nimirum *uberior est gratia quàm precatio, semper enim Dominus plus tribuit quàm rogatur* inquit D. Ambrosius L. 10. in Luc. 23. v. 42. ad illa verba: Hodie mecum eris in Paradiso, *ille rogabat ut memor sui esset, de Domino autem sequitur & dixit illi JEsus: hodie meum eris in paradiso.* Dilata os tuum, dicebat in persona Dei Psaltes regius & implebo illud, in quæ verba Origenes: *siquid voles petere, pete & plura exhibebo, quàm petas.* Dilata cor tuum voluntatis affectu, ut interpretatur D. Athanasius, & implebitur eâ mensurâ, quam ipsemet Dominus præscripsit Luc. 6. c. 18. *Mensuram bonam & coagitatam & supereffluentem dabunt in sinum vestrum*, quantumcunque dilatemus desideria, nihilominus DEus donis suis superabundabit, & postulatis majora præstabit. Clamabat Moyses ad dominum pro populi libertate, cùm Pharao à tergo immineret & acinacem in inermes stringeret, at DEus dives in misericordia

Ps. 80. v. 11

cordia non tantùm ea concessit, quæ pro ingrati libertate populi postulabantur, sed multa alia attribuit, quæ nulli omnium venerant in mentem, aurea videlicet spolia, supellectilem prædivitem, validissima arma, celeberrimum triumphum. semper enim DEi manus majora largitur munera, quàm mens nostra affectet.

§. 4. *Causa 2. ad comprobandam efficaciam divini corporis Cyrill. l. 1. de recta fide ad Reginas*

Tenuit deinde Dominus puellæ manum, ut divini sui corporis efficaciam manifestaret, quæ est D. Cyrilli pulcerrima ratio ità scribentis ad Reginas: *quare non priùs sicut apud Lazarum contentus fuit sermone ad resuscitandam puellam, sed tenuit manum illius? nimirum ut ostenderet vivificum suum corpus. corpus enim est vita.* quibus verbis eleganter alludit ad divini corporis communionem à qua vita procedit.

In cujus typum posuit DEUS in medio paradisi lignum vitæ, *quod sic dictum est* (inquit D. Damascenus in Gen. 1. v. 17.) *quasi habens operationem tributivam vitæ* non conferebat arbor illa vitam æternam, sed arborem Eucharisticam adumbrabat, ex qua permanentes æternæ vitæ fructus percipimus. Vidit Joannes Apocalypticus Ecclesiam militantem tanquam sponsam Christi sub civitatis sanctæ schemate, mirabili lumine præditam: *Ostendit mibi civitatem sanctam Jerusalem descendentem de cœlo à DEO, habentem claritatem DEi, & lumen ejus simile lapidi jaspidis.* Ap. 21. v. 11. cur lumen jaspidi potiùs, quàm adamanti, topazio, carbunculo, sapphiro assimiletur, causam dat doctissim⁹ Sylveira, quia propri9 jaspidis color est viror, viror autem vitam significat quam Ecclesiæ suæ confert Christus, cùm eam ad vivificum corporis sui pabulum admittit, ut viridis semper consistat, vividóque longævitatis flore exultet. per iaspidem Eucharistiam intelligit Andreas Cæsareæ Episcopus: *tanquam perpetuò virens cunctisque viventibus vitam largiens.* Mirabile quid observat Rupertus ad illa verba Gen. 35. v. 8. *Mortua est Debora nutrix Rebeccæ* quòd nuspiam in sacris litteris obitus Rebeccæ legatur, cùm tamen ceterarum sanctarum mulierum mors, putà Saræ, Rachelis, Judithæ diligenter annotetur: *Rebeccæ mors nunquam invenitur.* quid mysterii quòd Rebecca non describatur mortua ac funerata? quia Eucharistiæ typum gestavit in manibus, cùm Jacobo suo impetratura benedictionem panes filio in manus dedit: *deditque ei panes* Gen. 27. v. 2. per quos Eucharistia significabatur teste D. Ambrosio apud Lipom. *cibum utilem indicabat, quo futura erat remissio peccatorum.* cùm itaque typum Eucharistiæ manibus gestârit, inter victimas mortis recenseri non debuit. & hinc causa Damasceni elucidatur, cur mortuæ puellæ manum JEsus dederit, ut vitæ pignus conferret, & vivificum corpus suum ostenderet. Humato Salvatore monumenta aperta sunt, & multa corpora Sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Matth. 27. v. 51. cur resurgunt mortui? an in contestationem suæ erga demortuum commiserationis? an in vindictam inimicorum? an in Dominici reverentiam corporis, cui locum imò loculum cedere reverentissimè desiderant? respondeat Abbas Rupertus & causam edicat cur Sanctorum corpora surrexerint: *Corpora illorum in monumento jacentia virtute Cibi hujus (de Eucharistia sermo est) non caruerunt: mox ut eodem ventre quo tenebantur & ipsa recepit corpus ejus. nam vir-*

Sylv. l. 5. c. 35. in Evāgel. q. 1.

tute hujus cibi factum est, ut multa ex ipsis resurgerent in testimonium futuræ resurrectionis. en quantæ virtutis ad vitam demortuis restituendam sit corpus Christi. Audivit dilectus Discipulus voces animarum sub altari gementium & vindictam exigentium: *usquequo Domine non vindicas sangvinem nostrum?* quid sub vindictæ nomine postulent, sanctissimè exponit D. Gregorius l. 4. moral. c. 4. *quid est animas vindictæ petitionem dicere, nisi resurrectionem extinctorum corporum desiderare.* cur autem non alio in loco quàm sub altari vota sua Deo pandant, insinuat D. Augustinus Ser. 11. de Sanctis: Rectè sub altari animæ Sanctorum requiescunt, quia super altare corpus Domini offertur. hoc nimirum resurrectionis cùm sit pignus, convenientiùs nullibi sua depromert desideria, quàm subtus altare. Solenne erat primis Christianis in sarcophagum defunctorum panem vitæ deponere, tum ut corpora Sanctorum ab omnibus dæmonum ludibriis forent immunia, tum ut indubitatum resurrectionis suæ pignus capesserent. feliciter proinde actum cum Archisynagogi filia, quando in pignus vitæ Dominicâ contingi manu meruit & mox virtutem vivifici corporis persensit. dabatur olim sacra Synaxis non in os sed in manum dexteram, ut scirent se Eucharistico beneficio ad vitam manuduci & velut manu stipulatâ de beata immortalitate assecurari. Mortua Rachel, quæ Ecclesiæ sanctæ typum gerebat, in Bethleem sepelitur, quæ vox *domum panis* significat. Cur non potiùs in monte Oliveti, unde Salvator cœlum conscensurus erat, vel in monte Calvariæ, ubi acturus animam, vel prope electum Salvatoris sepulcrum in spem vitæ melioris humatur? quid Racheli amplius conferre potuit Domus panis, præ loco vitæ, sive sepulcro ubi JESUS revixit? nimirum semel è sepulchro redivivus prodiit JEsus, in domo panis autem, quæ est Eucharistia, quotidie reviviscit, novóque se exortu multiplicat; itáque vivaciorem immortalitatis spem nobis ingenerat. Has nobis cogitationes suggerit D. Paschasius l. 2. in Balthasarem ità locutus: *Rachel figuram gerens Ecclesiæ ibidem sepulta legitur, ut in eodem loco plena requies ejus signetur, ubi Christus Panis vivus, qui de cœlo descendit quotidie exortu novo sinè defectu versatur.* Finiam hanc partem verbis Cyrilli Alexandrini l. 3. in Joannem c. 37. vivificat corpus Christi & ad incorruptionem suâ participatione reducit: non enim alterius cujusdam, sed ipsius vitæ corpus est, virtutem incarnati Verbi retinens, & plenum potestate illius quo universa vivunt & sunt. Experta est hanc efficaciam puella, quæ à Christi contactu revixit, ideóque manibus dare lilia plenis Sospitatori suo potuit à cujus manibus omnem sibi emanare felicitatem & vitam persensit.

Apoc. 6. v. 10.

Gen. 35. v. 19.

§. 5. Causa 3. ex Hilario quia neminem ad vitam gloriæ Christus suscitat, nisi puræ sint manus.

Tenuit manum puellæ, quia *nisi priùs mundatæ fuerint manus, mortua non surget* inquit D. Hilarius in cat. per manus opera designantur, & hæc Dominus priùs explorat, quàm ad vitam nos evocet immortalem. nisi manus puræ, opera videlicet plena fuerint, vitam beatam non speremus. sicut Isaac Patriarcha voce filii contentus non fuit, sed manum insuper exploravit, utrùm duræ essent ac pilosæ; *Vox quidem vox Jacob est* mollis ac tenera, *manus autem manus sunt Esau* solidæ ac laboribus induratæ, ità Pater cœlestis non tam voces nostras in precibus ac promissis dulciter sonantes, quàm manus ac opera observat ut

Gen. 27. v. 22.

ut benedictionem æternæ hæreditatis impertiat. & sicut Jehu Rex ad Jonadab dixit: *si est cor tuum rectum cum corde meo, da mihi manum tuam*, ità & JEsus Regum Rex uniuscujusque fidelis manum & opera inspicit, unde cordis colligat integritatem. Denique sicut non in oculos, non in lingvam, sed in manus Patris moriens Christus commendat spiritum, ut ex illa nobis impetret digitum paternæ dexteræ, qui est Spiritus amoris ac vitæ, ità desiderat DEus ut juxta Davidis oraculum, anima nostra sit in manibus nostris *anima mea in manibus meis semper*, hoc est ut operibus ipsis nostram erga DEUM fidem ac dilectionem comprobemus, itaque mereamur ad æternæ beatitudinis vitam die mundi novissimo resuscitari. Mundemus proinde manus, ut cum Archisynagogi filia nos JEsus manuteneat.

4. Reg. 10. v. 15.

Ps. 118. v. 109.

§. 6. Causa quarta ut è manu Virginis virus expellat.

Tenuit manum ejus. Lubricæ sunt mulierum manus & vix ab alio teneri possunt, quàm ab eo, qui potest facere mundum de immundo conceptum semine. Nullius viri manum Christus tetigit cùm contulit sanitatem, mulierum verò duarum attigit manus, puellæ scilicet hodiernæ & socrus Simonis Petri, cùm ab hac febrim pelleret, illam è manibus mortis eriperet. *Quæ necessitas tangendi erat, ubi inerat vis jubendi*? quærit D. Chrysostomus & respondet: *sed Christus tenuit manum mulieris ad vitam, quia Adam de manu mulieris acceperat mortem.* lethales sunt mulierum manus, nisi divinæ manùs antidotum accedat. Manum mortifero fœtam pomo dedit Eva Adamo, & totam naturæ humanæ massam intoxicavit: ut Lothum non retraheret uxor, in salis statuam priùs convertitur, quàm alloqui virum posset, aut manum extendere. manum Putipharis uxor in Josephum innoxium extendit, & vel invitum in vitæ periculum cùm in animæ non posset, arrepto pallio detraxit. at pallio relicto castus Ephebus profugit, nè virus ex veste in corpus serperet, & ex corpore in animum subintraret. prudentissimè Josephus vel à veste imò vestis filo cavendum sibi duxit, quod manus femina tetigisset. pendet vita & salus non rarò à filo, quod mollioris manûs articulus inquinavit.

§. 7. Plures causæ insinuantur.

Denique tenuit manum, ut ostenderet se corporum Medicum, Virginum Sponsum, Angelorum Dominum, plasten corporum, fidejussorem incorruptissimum. Tanquam fidejussor manum stipulat, illúdque Siracidis tacitè inculcat: *gratiam fidejussoris nè oblivìscaris, dedit enim prote animam suam.* Eccli. 29. v. 20. Tanquam plastes primævus plasma suum restaurat, ut cum Jobo puella repetat: *Manus tuæ fecerunt me* & refecerunt me. tanquam Angelorum Dominus manum apprehendit, cùm Angelis velut servis pedes tangendos servandósque commiserit, applaudente Psalte: *Angelis suis mandavit de te, in manibus portabunt te, nè fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* tanquam sponsus Virginum manum tenet Virginis, eámque pro annulo pronubo habet, aut pro annuli gemma hyacintho, quo manus divini sponsi redundant teste sponsâ: *Manus illius tornatiles aureæ plenæ hyacinthis* tanquam thaumaturgus corporum medicus non quidem arteriam contactu explorat, sed contactu suo vitam confert & sanitatem elargitur. Fatalis quondam erat manus Domini sub qua ingemuit Jobus: *Manus Domini tetigit me!* & Azotum suspirat exspirat-

Job. 10. v. 8.

Ps. 90. v. 11 & 12.

Cantic. 5. v. 14.

Job. 19. v. 21.

que: *aggrauata est manus Domini,* at nunc vitalis & plena gratiarum est, postquam manus suas stringi fasciis, imò & funibus ligari clavóque perpessus est perforari, ut ad conferendas mortalibus gratias sese obligatum testaretur, tótque gratiarum maria in humanum genus profunderet, quot divini cruoris guttæ ab inexhausto Amore prolicitæ emanârunt: Tangant nunc nos benignissime Salvator teneántque manus tuæ, in quas nos totos projicimus, omnémque beatæ immortalitatis spem reponimns, & cum Archisynagogo ardentissimè deprecamur: impone super nos manum tuam & vivemus! impone manum tuam, & operi quod operatus es in nobis supremam imponens manum perfecti dicaris Author operis, impone manum tuam, & tuâ nos imple benedictione.

Coronemus hoc Problema Emblemate Manuali, quo Jupiter in cœlo anulum manu tenet; quem frustrà Dii omnes conantur extorquere cùm lemmate sacro: ***nemo, qui de manu tua possit eruere.*** In terra verò Hercules Clavam manu ostentet, quam nemo Gigántum abstrahere valet: ***quis eripiet?*** Ah servet nos in manibus suis DEUS, in quibus descripsit nos, & non tantùm vitam, felicitatem, salutem habebimus in manibus, sed ipsa nos Felicitas pro Anulo, imò Anuli gemma habebit in manu.





PRO-



PROBLEMA XXVI.

Cur retrò accedat Hæmorrhoissa, & fimbriam tangat?

DOMINICA XXIV. POST PENTECOSTEN.

Accessit retrò, & tetigit fimbriam vestimenti ejus. Matth. 9. v. 20.

§. 1. Quæ fuerit hæc mulier, & quam personam repræsentârit.



Mulier hæc gentilis & nobilis ex Cæsarea Philippi oriunda, quã S. Ambrosius Martham, Nicodemi Evangelium vocat Veronicam, eo cœpit anno ægrotare juxtà Ruperti lib. 8. in Matth. computum, quo nata est Jairi filia, (hanc enim duodennem fuisse probabile est) cùm audiisset de Adventu Salvatoris, spem concepit salutis, quæ deposita erat à Medicis, ùt eleganter ponderat D. Chrysologus: *in arduis langvoribus dat sæpe consilium vis doloris, in desperatis causis est sæpe magistra necessitas, invenit ipsa sibi passio medicinam.* Si divis Ambrosio, Hieronymo, Hilario, Paschasio credimus personam egit hodierna mulier totius gentilitatis, quæ tunc infirmari cœpit, quando Synagoga in Patriarchis Abraham, Isaac, Jacob prognata est. tunc verò persanata est, quando Synagoga est mortua. fluxus sangvinis sacrificia idolis oblata, & scelera idololatris familiaria significat, à quo sanari per philosophos suos & ariolos non potuit, sed *magis deteriùs habebat*, donec à fimbriæ contactu sanitatem recepit. portabat Christus pro more gentis fimbriam Hyacinthinam, quæ præceptorum divinorum memoriam cœlique spem adumbrabat. De hac fimbria & accessu ad eandem salutares duas quæstiones instituam, si solitâ, quæ unicè necessaria, patientiâ fuero donatus.

Chrysologus Serm. 33.

§. 2. Cur retro accesserit.

Non clamat hæc mulier ùt Chananæa, ùt leprosi decem, aut cæcus Jerichuntinus, non rogat ùt Archisynagogus aut Regulus, aut Centurio, sed in turba secretò latentérque accedit, ut pio quodam furto rapiat sibi sanitatem. pulchrè Chrysologus citatus: *cùm tangit fimbriam Christi, tunc divini pectoris pulsat arcanum, & furto fidei summam rapuit de fimbriæ summitate virtutem. Felix fraus quæ & lucrum salutis contulit, & damna sustulit mox pudoris.* Gaudet DEUS piâ nos fraude & dolo bono cum hæmorrhoissa, latrone, Nicodemo uti, & cœlorum rapere regnum. Sic rapiunt, qui in abscondito orant, virtutes suas celant, mundum sanctè fallere nôrunt.

Accessit retrò, quia Salvatoris oculis se judicavit indignam, ùt vult Alber-

Albertus Magnus, agnovit enim fœdo se morbo obnoxiam, ideóque tantopere sublimata est, ut non tantùm conjiceret oculos in eam JEsus, sed etiam filiam appellaret, quo titulo nullam aliam in toto Evangeliorum Codice honoratam à Christo comperies. Si ad filiorum & filiarum titulum ascendere cupimus, humilitatem mulieris æmulemur, certissimò exaltanti, si retrò ad Christi fimbriam nos collocaverimus, est enim sempêrque fuit exaltatrix humilitas.

Accessit retrò, ut consuleret dignitati & authoritati Christi ùt vult Chrysologus serm. 34. curabat, nè incura sua ad curantis redundaret injuriam: providebat, ut redderetur sibi salus salvâ reverentiâ Salvatoris. injuriam facit Mecœnati mendicus, si apprehendat manum, aut trahat importunè per vestem: injuriam facit reus Judici, qui supplicem libellum intrudit in sinum: injuriam facit subditus Regi, qui in via detinere, aut dorsum eidem obvertere, aut nimiâ familiaritate cum eodem agere præsumit. Reverenter cum Christo agendum est, ùt monebat S. Theresia, quia honestissimis natalihus oriundus, atque ad omnem civilitatem expolitus aulicè tractari amat.

Accessit retrò, quia sequi vestigia Salvatoris & crucem suam bajulare post JEsum cupiebat; hic sanè optimus morborum fructus est vestigia Christi legere, fimbriam contingere, & cogitare morbos nobis ideo immitti, ut JESU simus memores, imò ut ejus induamur insignibus, quia ipse est vir dolorum, sciens infirmitates.

Accessit retrò ait iterum S. Chrysologus citatus: *ibi faciem quam declinavit, invenit. erat totus oculus, qui post se supplicem ità videbat.* non possumus ullibi nostra figere vestigia, ubi suum priùs oculum non fixerit DEus. *ipse considerat vias meas, & cunctos gressus meos dinumerat.* Job. 31. v. 4. cur tam accuratè singulas computet gressus, causam dat glossa: ut nè minutissimæ quidem cogitationes & verba tenuissima ejus judicio indiscussa remaneant.

Accessit retrò, quia ùt vult Beda, mysterium exprimebat convertendæ gentilitatis post Ascensionem Salvatoris, ut crederet in eum, quem non videbat, ideóque foret beatior: *beati qui non viderunt & crediderunt* Joan. 6. v. 21. dum enim absentem in cœlo amamus, absconditum in Eucharistia reveremur, ab invisibili nos videri credimus, ingentia nobis fidei merita, imò & cognitionis certitudinem comparamus. Certiùs enim illa scimus, quæ mentis quàm corporis intuemur obtutu. Unde Abraham Epuloni respondit: *si Moysen & prophetas* (qui mortui pridem erant:) *non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent*, quasi dicat, uti habet S. Zeno Serm. de Resurrectione: Non credunt suis oculis, qui non credunt Prophetis, fides enim quæ per auditum, superat fidem, quæ est per oculorum sensum. Luc. 16. v. 31.

Accessit retrò, ut nos instrueret, quomodo à sangvinibus per Sacramentum Pœnitentiæ liberari debeamus. Retro accedendum est, retrorsum in acta, dicta, cogitata reflectendus animus, retrò accedendum est considerando, quid habeamus ex illicitis voluptatibus, ex jactura temporis, ex supplicio quod impendet. Discamus non sufficere fidem & contritionem, quâ omnia DEo confiteamur peccata, sed oportet eadem ad aures Sacerdotis velut Christi pedes deponere, eâque ratione tangere vestimenti fimbriam, de quâ porrò agendum est.

Ter-

§. 3. Cur fimbriam solam attigerit.

Tetigit fimbriam, non manus, non vestem superiorem, sed oram ultimam, quia credebat, quidquid in Christo est sanctum esse ac salutare redundanté divinitatis virtute in oram vestimenti, sicut de ungvento Aaron Psaltes meminit, quod descendit in oram vestimenti: *in Christi fimbria* ait. S. Chrysologus serm. 34. *divinitatem totam videt inhabitare.* Inducti hoc mulieris exemplo plurimi alii, de quibus Matth. 14. rogabant Christum, ut vel fimbriam vestimenti ejus tangerent. Confundit proinde & condemnat mulier hæc nostrates heterodoxos, qui persvadere sibi nolunt, crucem, spinas, aliáque passionis instrumenta, virtutem aliquam supernaturalem à Dominici corporis contactu contraxisse, ideóque veneratione digna esse; at amabò intelligant, reliquias Sanctorum idcirco nobis esse in pretio, quia non minùs virtutis habent, quàm ossa mortui Elisæi, quorum contactu mortuus revixit 4. Reg. 13. Legissent meliùs acta Apostolica, ubi Pauli sudaria Act. 19. imò & umbram Petri. Act. 5. deprehendent à primis Christianis affectata fuisse. Sicut autem virtus erat in veste Pauli & umbra Petri ad sanandum ægrotos, ità in Sanctorum cineribus ad expellendos dæmones ait S. Chrysostomus serm. 35. de virt. & vit. *custodit enim Dominus omnia ossa eorum* Ps. 83. *capillus de capite non peribit.* Luc. 21. si ergò DEUS ea habet in honore, nos inhonorare ausimus?

Habent Sanctorum cineres & ossa affinitatem cum animabus cœlesti jam gloriâ donatis, quibus uniendæ denuò sunt, ut cùm laborum fuerint socii, sint aliquando & bonorum; honoranda proinde similia ossa, quia cœlo certissimò inferenda; honoratur designatus Episcopus vel Rex, etsi solium suum nondum conscenderit, possessionem necdum adierit. honorant Anglicanæ aulæ Ministri vacuum Registhronum eúmque circumstant, veluti Rex ipse actu sederet. honorantur vestes festales, & mundo loco asservantur, cur non vestes ac reliquiæ Sanctorum, qui cœlestibus jam gaudent nuptiis? simus Ægyptiis non deteriores, qui sublatam Saram ob formæ miraculum, in domum Pharonis amârunt, & amore illius benefecerunt Abrahamo: *Abraham verò bene usi sunt propter illam.* Gen. 12. v. 16. sustulit DEUS animas Sanctorum in domum suam, nos si aulici esse volumus, honoremus corpora propter animas, erítque nobis propter hunc ipsum cultum bene in corpore & animâ.

Tetigit fimbriam. per fimbriam S. Bernardus intelligit Sanctos & servos DEI, ac proinde, si Salutem consequi nolumus, ad DEi Servos manus nostras & obsequia extendamus. *Tetigit fimbriam*, cum magna sinè dubio reverentia, humilitate, compunctione, fide, spe ac desiderio sanitatis, quibus virtutibus quia nos destituimur, idcirco sanitatem non consequimur, etsi non fimbriam, sed ipsam carnem Christi realiter tangamus, & Christum cum hodiernis turbis comprimamus. Aurea est illa S. Petri Chrysologi serm. 34. oratio: *Audiant Christiani, qui quotidie corpus Christi attingunt, quamnam de ipso corpore possunt sumere medicinam, quando mulier totam rapuit de sola fimbria sanitatem? sed quod nobis flendum est, mulier de vulnere medicinam tollit, nobis medicina ipsa retorquetur in vulnus.*

Denique accessit retrò & fimbriam tetigit, ut quàm reverentissimè cum Salvatore ageret, certa de-

fideriorum se suorum eò faciliùs fore compotem, quo majori in precando modestiâ uteretur. Ità enim passim comperimus in Evangelio Centurionem, Chananæam, decadem leprosorum aliósque citò singula impetrâsse, quæ petebant, quia singulari cum reverentia Dominum convenêre, at verò Matrem filiorum Zebedæi, Pharisæos signum aliquod de cœlo petentes, Scribam in familiaritatem JESU sese minùs reverenter ingerentem tulisse repulsam, non sinè verborum sale, quo Sapientia æterna insulsas eorum preces condire solebat. Sapientissimum Seraphicæ Virginis Theresiæ erat monitum: honestissimo genere JESUS meus natus est, amat proinde modestè reverentérque tractari. Reverentissima erat illa MARIÆ vox ac gestus dicentis: *Ecce Ancilla Domini*, ideóque in reginam cœli sublimari meruit, modestia Joannis Baptistæ, quâ corrigiam Dominicorum calceamentorum solvere pro summa reputabat gratia, majoratum inter natos mulierum eidem obtinuit. Civilitas Zachæi, reverentia Publicani, demissio Magdalenæ, exquisitam DEi-hominis commendationem ac gratiam conciliârunt. quorum exemplo submissè reverentérque nos geramus, ut corporis atque animi consequamur & integram servemus sanitatem.


Corona Problematis esto Solsequium, quod Solem non præit, sed sequitur: *Dulce sequi.* quid miramur retrò accessisse mulierem? Solsequium esse voluit, non ergò antecedere sed subsequi debuit, id quod illi utile ac dulce fuit.

-83)o(83-





PRO-




PROBLEMA XXVII.

Quantum temporis ad Diem Novissimum?

DOMINICA XXV. POST PENTECOSTEN.

Stitote quia propè est in januis. Matth. 24. v. 33.

§. 1. Mundus semper deterior.



Quòd mundus senescat & passibus magnis ad interitum vergat, dubitari vix potest. abundat enim iniquitas, refrigescit charitas non tantùm multorum, sed potissimorum, refrigescit heu! sangvis Christi in multorum cordibus, memoria passionis tabescit in mentibus, serius salutis Zelus in plerisque evanescit, certè si S. Medardus circa annum quingentesimum quadragesimum, S. Gregorius circa annum quingentesimum nonagesimum secundum, S. Vincentius Valentinus circa annum millesimum quadringentesimum decimum quintum consideratis sceleribus illius temporis putârunt paulò pòst consummandum sæculum, quid de hoc nostro sentirent, si viverent, in quo deteriora omninò omnia, quàm quondam fuerint, invenirent. Fuit Ecclesia sicut statua Nabuchodonosoris, cujus caput aureum per primos quadringentos annos aureâ fulsit charitate, fuitque omnium cor unum. successit pectus argenteum tempore SS. Hieronymi, Ambrosii, Augustini, quando Ecclesia, ùt loquitur S. Hieronymus in vita Malchi, potentiâ quidem & divitiis major, sed virtutibus minor facta est ob Hæresin Arii. Venter dein æreus usque ad Gregorii magni tempora, succrevit, quibus Mahomet vastabat Africam, & Christus perditurus erat mundum, nisi Divi Franciscus & Dominicus columnæ duæ suppositæ fuissent. Hinc ad nostra tempora tibiæ extant ferreæ, cùm homines ferro duriores verberibus coërceri potiùs debeant & frangi, quàm flecti se & regi patiantur, candoris & splendoris expertes. Sequentur porrò pejora sub Anti-Christo tempora, pedes videlicet ferrei & lutei, indurati toti & immersi voluptatibus homunciones. & tunc lapis sinè manibus abscissus decidet, Christus ad judicium descendet, totámque hanc machinam conteret & conquassabit; quod quanto pòst tempore futurum sit, conjecturis pauculis definiamus.

Quamvis nostrum non sit nòsse tempora, quæ Pater posuit in sua potestate, non est tamen à modestia Christiana alienum piè indagare in tempora mundi novissima, quorum §. 2. Conjectura I. ex creatione mundi.

rum scientiam nobis Incarnata insinuat Sapientia: *Scitote quia prope est* (seculorum finis) *in januis.* Nihil ex sensu meo definiam, sed quæ à doctissimis divinarum paginarum Lucubratoribus congesta esse comperi, in medium breviter proferam. Observat inprimis doctissimus Hebræorum Philo in verbis illis, quibus creationem mundi descripsit Moyses: *in principio creavit DEus cœlum & terram* Gen. 1. v. 1. sex aleph apud Hebræos reperiri; cùm autem quodlibet aleph arithmeticè mille significet, insinuare visus est DEus mundum ad sex aleph, sive ad sex millia annorum, quibus perduret, esse conditum. Sex diebus conditus est mundus die septimo requievit DEus ab universo opere. Sex diebus puta Sex millibus annorum probabiliter mundus consistet (mille enim anni, ut David & Petrus inquiunt, sunt apud DEum sicut *dies unus*) post quos requiescent homines à laboribus suis: *Ego arbitror* inquit D. Hieronymus ad S. Cyprianum, Psalmi 89. versum quartum explicans, *Ego arbitror ex hoc loco mille annos pro una die solitos appellari, ut scilicet, quia mundus in sex diebus fabricatus, sex millibus tantùm annorum credatur subsistere, & postea venire septenarium & octonarium numerum, in quo verus exerceatur Sabbatismus.* similiter S. Gaudentius Brixianus tract. 10. S. Germanus Patriarcha Constantinopol. S. Cyrillus aliíque sentiunt: *expectamus illum verè Sanctum diem septies millesimi anni, qui adveniet post dies sex, sex millium videlicet annorum seculi, quibus completis requies erit veræ Sanctitati.* Sex primi parentes orbis, Adamus, Seth, Enos, Cainan, Malaleel, Jared, mortui sunt, septimus verò in paradisum translatus adhuc vivit, ex quo infert D. Isidorus, sex millibus annorum regnaturam in mundo mortem, septimo autem millenario inchoandam immortalitatem, & homines vel in paradisum cœlestem vel in centrum terræ tansferendos esse. Definitur ætas hominum Gen. 6. v. 3. centum viginti annorum, quos si symbolicè accipias & annos Mosaicos seu jubilæos interpreteris, habebis sex annorum millia, quibus totius mundi ætas terminetur.

2. Petr. 3. v. 8.

Isid. in gloss. Gen. 5.

§. 3. Conjectura Secunda ex statibus seu legibus.

Hæc de creatione mundi insinuâsse sufficiat, ex conservatione ejusdem sive statibus diversis, quos Leges distinxêre, durationem mundi libet observare. Triplex in mundo Status seu Lex notatur, Naturæ, Circumcisionis, Gratiæ; duravit Lex naturæ ab Adam ad Abraham annis prope bis millenis; Lex Circumcisionis ab Abraham ad Christum annis præcisè bis millenis, durabit & Lex Gratiæ non plus bis millenos ultra annos, in cujus Symbolum doctissimus Serarius in l. 3. Josue gratiosè observat mandatum à DEo fuisse, ut Arca fœderis in transitu Jordanis bis mille cubitis distaret à populo, quò per cubitos bis millenos totidem anni describerentur, per quos sacer baptismus per Jordanem significatus patebit, & sanctissima Sacramenta populum electum ad terram promissionis deducent. Vix fore autem legis gratiosæ tempus longius, quàm fuerit Naturæ aut Circumcisionis, conjicimus ex illa scribendi formula, quâ Petrus, Paulus, Joannes, Jacobus, in epistolis suis usi sunt: *omnium finis appropinquavit* 1. Petri 4. v. 7. *finis seculorum* 1. Cor. 10. v. 11. *novissima hora est* 1. Joan. 2. v. 18. *adventus Domini appropinquavit* Jacob. 5. v. 8. ex quibus omnibus inferas: si juxta computum Cornelii à lapide Christus natus est Anno mundi 3950. & consequenter hoc anno Christi 1680. agitur annus mundi 5630.

5630. non restabunt ad septimum millenarium & mundi finem anni plures 370.

§. 4. Conjectura 3. ex prophetia Malachiæ.

Non modicum huic nostræ conjecturæ pondus accedit ex oraculo S. Malachiæ Ardinacensis in Hybernia Episcopi Anno 1148. piè demortui ac plurimùm à S. Bernardo dilaudati, cujus annua in Sanctorum fastis memoria celebratur 2. Novembris. Consignavit is secuturorum Romanorum Pontificum numero centum duodecim seriem, eósque sub obscuris depinxit Symbolis, ex quibus viginti sex post Innocentium undecimum, cui DEUS annos Petri faveat, supersunt, hisce sub tesseris designati. 1. *Pœnitentia gloriosa.* 2. *Rastrum in porta.* 3. *Flores circumdati.* 4. *de bona religione.* 5. *Miles in bello.* 6. *Columna excelsa.* 7. *Animal rurale.* 8. *Rosa Umbriæ.* 9. *Ursus velox.* 10. *Peregrinus Apostolicus.* 11. *Aquila rapax*, 12. *Canis & Coluber.* 13. *Vir religiosus.* 14. *De balneis Etruriæ.* 15. *Crux de Cruce.* 16. *Lumen de cœlo.* 17. *Ignis ardens.* 18. *Religio depopulata.* 19. *Fides intrepida.* 20. *Pastor Angelicus.* 21. *Pastor & Nauta.* 22. *Flos Florum.* 23. *de medietate lunæ.* 24. *de labore solis.* 25. *Gloria Olivæ.* 26. *Petrus secundus Romanus, qui pascet oves in multis tribulationibus, quibus transactis Judex tremendus judicabit populum suum.* Quæ prophetia si vera est, ùt esse piè creditur, adeóque non nisi viginti sex supersunt, nullus omnium verò 25. annos in pontificatu vivere solet, unde & electo novo Pontifici solenni verbo acclamatur: *Annos Petri beatissime Pater non videbis*, annos videlicet 25. quot Petrus gregi Dominico præfuit, facilè conjicimus ultra annos 370. mundum nequaquam duraturum. Demus enim quemlibet secuturorum Pontificum annis duodecim regnaturum, ex residuis 26. pontificibus non plures annis trecentis supra 12. conflabuntur. Scimus autem complures Romanorum Antistitum nec annum nec mensem supervixisse, & quovis seculo facilè 16. pontifices sibi invicem successisse, primo quidem seculo quatuor numerantur; undecim secundo & quarto, quindecim seculo tertio, duodecim seculo quinto, tredecim seculo sexto, & octavo, viginti seculo septimo, septendecim seculo nono, viginti sex seculo decimo, octodecim seculo undecimo, sedecim seculo duodecimo, totidem decimo tertio, decem seculo decimo quarto, tredecim seculo decimo quinto, septendecim seculo decimo sexto, novem hoc nostro seculo decimo septimo, videlicet Leonem XI. Paulum V. Gregorium XV. Urbanum VIII. Innocentium X. Alexandrum VII. Clementem IX. Clementem X. Innocentium XI. Bene proinde Bernardus Eugenium suum in pontificem anno 1145. electum monuit ep. 237. *quantorum in brevi Romanorum Pontificum mortes tuis oculis aspexisti? ipsi te prædecessores tui tuæ certissimæ & citissimæ decessionis admoneant & modicum tempus dominationis eorum paucitatem dierum tuorum* (addo & interitum mundi) *nuntiet tibi.*

§. 5. Conjectura ultima ex Romani Imperii diminutione

Hierarchico imperio politicum addamus dominatum & ex Romani diminutione Imperii (quod usque ad Anti-Christi tempora duraturum prædixit Dani-

el. c. 2. v. 43.) prope esse mundi interitum conjecturemus. Consvevêre Christi fideles pro Romani diuturnitate Imperii frequentissimas ad DEum effundere preces, ùt testatur Tertullianus in Apologet. c. 23. utpote ex cujus incolumitate integritatem orbis bene ominabantur. Est enim quadruplex mundi Monarchia Nabuchodonosori per statuam grandem objecta, cujus caput aureum felicitatem & gloriam Babyloniorum, pectus argenteum opulentiam Persarum, venter æreus potentiam & sapientiam Græcorum, tibiæ ferreæ firmitatem Romanorum designabant, & quia Imperium hoc in Orientale & Occidentale divisum fuit, per geminas tibias adumbratur, desinétque tandem in decem digitos cùm dividetur in decem regna ab Anti-Christo conterenda. At quota jam Romani pars Imperii superest, quanta regna & provinciæ ab ejus se dominatu subduxêre & pœne quotidie subducunt? ubi Hispania, Gallia, Anglia, Polonia? ubi Ægyptus, Græcia Syria, Asia? quantilla ex tanto terrarum mariúmque tractu particula Romani Imperii titulo digna? Decrescit Imperium, senescit orbis totus, scitote quia interitus prope est in januis. Quod de suis temporibus scripsit D. Cyprianus ad Demetrianum, veriùs de nostris repeti debet: scire debes senuisse jam mundum, non illis viribus stare, quibus priùs steterat, nec vigore & robore eo valere, quo antea prævalebat, hoc mundus ipse jam loquitur & occasum sui rerum labentium probatione testatur: non hieme nutriendis seminibus tanta imbrium copia; non frugibus æstate torrendis solita flagrantia est; nec sic verna de temperie sua læta sunt; nec adeò arboreis fætibus autumna fœcunda sunt. Minùs de effossis & fatigatis montibus eruuntur marmorum crustæ, minùs argenti & auri opes suggerunt exhausta jam metalla. Deficit in agris agricola, in mari nauta, miles in castris, innocentia in foro, justitia in judicio, in amicitiis concordia, in artibus peritia, in moribus disciplina. Minuatur necesse est, quidquid fine jam proximo in occidua & extrema devergit. hæc sententia mundo data est: hæc DEi lex est, ut omnia orta occidant & aucta senescant; & infirmentur fortia & magna minuantur; & cùm infirmata & diminuta fuerint, finiantur: Cum olim ultra 800. & 900. annos vita hominum longæva procederet, vix nunc potest ad centenarium numerum pervenire. Canos videmus in pueris, capilli deficiunt antequam crescant, nec ætas in senectute desinit, sed incipit à senectute. Sic in ortu adhuc suo ad finem nativitas properat, sic quodcunque nunc nascitur, mundi ipsius senectute degenerat; ut nemo mirari debeat singula in mundo cœpisse deficere, quando tot ipse jam mundus in defectione sit & in fine. Hucusque Rhetor & Martyr Cyprianus.

§. 6. *Omnis dies, hora, momentum sit nobis novissimum.*

Ex his omnibus conjiciat unusquisque suo arbitrio, quantum prudenter censeri possit superesse temporis ad mundi finem. mihi dicere sufficiat cum recentissimo Concionatore: Malè sibi quidam imaginantur procul abesse judicii diem; contra quam Servator clamet: *Attendite nè superveniat in vos repentina dies illa.* *tan-*

tanquam laqueus enim superveniet in omnes. Luc. 21. v. 35. Pisces & aves cùm securissimè vivere videntur, ecce laqueo capiuntur, ex quo extricari difficile, pœnè impossibile est. *sic capiuntur homines in tempore malo, cùm eis extemplò supervenerit.* Cur laqueo dies novissima comparetur, causam triplicem reddit Cornelius; sicut laqueo ex insidiis capiuntur aves incautæ, ità homines voluptuarii die novissimo capiuntur; sicut laqueus aves strangulat, sic judicii dies peccatores suffocat; sicut laqueus semper retinet, quod semel cepit, sic novissimi judicii sententia homines perpetuò constringit. Extemplo superveniet cùm minimè putabitur; erit proinde ille dies novissimus, illa hora novissima, illud novissimum momentum, quod non putatur. in aliis putare est errare, in hoc verò Salutis æternæ negotio putare quemlibet diem, horam, momentum esse novissimum, est extra omnem errorem versari.

Ex clestiastic. 9. v. 12.

Quodsi igitur scire quis aveat, quot anni, quot dies, quot horæ & quadrantes, & quadrantium momenta ad novissimum sint diem, horam, quadrantem, minutum? huic respondeo esse unicum:

Omnem crede diem tibi diluxisse supremum.

nec diem tantùm, sed horam, sed momentum supremum puta:

Momento à quovis vitæ pendere memento,

Sive perenne bonum, sive perenne malum.

Tantùm à die novissimo abes, quantùm abes à morte: qualem te novissimus vitæ dies inveniet, talem novissimus mundi dies te Judici sistet. hæc duo cogita & age quod agis, quia mors, judicium, æternitas prope est in janius.

Antonii Magni documentum fuit supremum: ut manè quotidie cogitent diem illum fore sibi novissimum, itaque actus omnes quisque die illo sic obeat, quasi certò sit moriturus & coram æterno judice redditurus rationem. dicat unusquisque sibi quotidie: hodie cœpi vivere DEO, hodie quoque finiam & moriar. Idem documenti dedit D. Gregorius Nazianzenus in monostichis: *Agendorum principium & finem constitue DEUM, vitæ lucrum sit quotidie excedere vitâ & mori.* Utilitatem hujus exercitii describit S. Hieronymus epistolâ ad Cyprianum qui ubi dixisset: *nihil ità decipit genus humanum quàm quòd, dum ignorant spatia vitæ suæ, longiorem sibi sæculi bujus possessionem repromittunt. unde & illud egregiè dictum est, nullum tam senem esse & sic decrepitæ ætatis, ut non se adbuc uno plus anno vive-*

vivere suspicetur. hæc inquam ubi dixisset, prudentissimè subjungit: *ad hunc sensum pertinet & illud quod dicitur: memorare mortis tuæ & non peccabis: qui enim se recordatur quotidie moriturum, contemnit præsentia & ad futura festinat.* Diem novissimum cogita esse in januis, ut cùm dominus venerit & pulsaverit, confestim aperias ei, dicásque festivum illud: *Ingredere* auditurus vicissim: *Intra in gaudium Domini tui.*


Corona Problematis esto Horologium, cujus indicem Mors dirigit, cum apposito circumscriptis duodecim horis lemmate: *Ex his una.* Ex nubibus tubicen Angelus insonat: *quâ horâ non putatis.* in idem horologium digitum intendens Pathmæus Vates monet: *filioli hora novissima est* Tutelaris verò Genius suggerit: §. 7. Emblema.

Quovis Momento Finem appropiare Memento.





PRO-




PROBLEMA XXVIII.

Cur incarnandus DEI Filius rori comparetur?

DOMINICA I. ADVENTUS.

Rorate Cœli desuper! Isaiæ 45.

§ 1. Utì solaris annus, ità Ecclesiasticus quadrifariam dividitur.



Quemadmodum annus solaris in quatuor partes: Ver, Æstatem, Autumnum & Hyemem sapienter est divisus; ità sapientissimè in quatuor principaliores partes, annum suum sanctum, Sancta Mater Ecclesia partitur: Adventum scilicet, Quadragesimam, Pascha & Pentecosten. Initium facit hodie à Dominico Adventu; qui quia quadruplex est, quatuor itidem Dominicas sese insequentes quadruplici Adventui sacras esse voluit; quarum quælibet diverso Domini ad nos adventui corresponderet. Et primus quidem Domini adventus fuit secundùm Carnem; quando videlicet Verbum Domini carne vestitum apparuit: quem figurâsse videtur in Evangelio Dominicæ quartæ, utpote Nativitati Christi viciniſſimæ, in quo mentio fit vaticinij Isaiæ Prophetæ, de Messia venturo ità vaticinantis: *Videbit omnis Caro Salutare DEI.* (Isaiæ 40.) Quo tempore mundus quasi in Vere quodam delicioso fuit, ac florido; siquidem *Virga Iesse* tunc *floruit* & *flores apparuerunt in terra nostra. Cant.* 1. secundus Domini Adventus fuit, éstque defactò per inhabitantem corda nostra gratiam sanctificantem, secundùm illud Christi: *si quis diligit me, Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus.* Joannis 14. Adumbratur adventus hic in Evangelio Dominicæ (Matth. 11.) secundæ, in quo multiplices gratiæ, à Christo adveniente, hominibus collatæ memorantur, quæ gratiæ fructus quidam autumnales sunt, & poma nova. Cantic. 7. in vicem pomi Adamei, humano generi fatalis, à Redemptore nostro mortalibus allata. Tertius Domini adventus erit in particulari cujusque nostrûm judicio juxta illud Pauli: *statutum est omnibus hominibus semel mori, & post hoc judicium.* (Hebr. 9.) Huic respondet Evangelium Dominicæ tertiæ Adventûs, ubi Joannes: *Tu quis es?* rigidè examinatur. Hoc verò Judicium brumali tempori apprimè comparatur. Quartus Domini Adventus erit in die judicij, quem ipsum hodiernum Evangelium æstivo tempori comparat. De novissimo hoc adventu, quia jam fusè egi alibi, & S. Mater Ecclesia singulis totius adventûs diebus solenni suo *Rorate* primum Domini adventum in carne, nobis in memoriam revocat, huic ipsi & ego hodie immorabor, quæstionem hanc resoluturus: Cur incarnandus DEI Filius rori comparetur?

Famosus ille inter Poëtas Naso Tomitanus postquam mundi Creationem versibus suis adamussim depinxisset, in quatuor ætates eam ità dispertijt, ut primam auream, argenteam alteram, tertiam æneam, quartam demum ferream compellaret:

§ 2. Mundus in quatuor ætates divisus.

Aurea prima sata est ætas, - - -
Subiitque argentea proles,

Tertia post illam successit ahenea
- - - - de duro est ultima ferro.
Hæc ille sub gratioso fabularum involucro. Et sanè, si nuda sub veritate rem consideremus atque proponamus, quid aliud fuit Innocentiæ prima ætas, quam ætas argentea, argento pretioso æquè ac candido persimilis? Verùm proh dolor! vix paucorum illa dierum, imò nè vix quidem, sed paucarum fortè horarum fuit, & en mox illi ferrea successit, ferreos proferens homines, qui horridis diluvij aquis absorpti, mole sua graves, in ima barathri præcipites, ferri ad instar iverunt. Ætatem ferream ænea subsequuta est, qua durante scriptam legem DEUS Israëlitico dedit populo, Numer. 21. æneúmque serpentem Moyses exaltavit in deserto. Extrema tandem ætas illuxit aurea, quando DEUS ipse, simul Dominus, illuxit, & in carne nobis apparuit. Ætas profectò aurea, ac felicissima, quæ ceteras omnes fulgentissimi auri, margaritarum, & omnigenâ bonorum copiâ superavit: tunc enim apertis, imò disruptis Cœlis, Job. 37. qui teste Jobo solidi, & quasi ære fusi, veluti quodam cornucopiæ super tellurem effuso, quæ antehac marcida, sterilis, & infæcunda reviviscere, & revirescere cœpit humus; impletúmque est illud Ps. 71. v. 6. Davidicum: *Descendet* (Christus Messias) *sicut pluvia in vellus, & sicut stillicidia stillantia super terram. Orietur in diebus ejus Justitia, & abundantia pacis.* Veluti post pluviam vernam, seu Majalem rorem fieri assolet. Hæc nimirum est illa pluvia, hic ros tantis támque diuturnis per quinque millenos centum & nonaginta novem annos antiquorum Patrum votis expetitus, indesinenter Isai. 45. v. 8. clamantium: *Rorate Cœli desuper, & nubes pluant justum.* Rorârunt, pluerunt, in tantum quidem, ut, quod prædixit Joël c. 3. In (Proles) illa die (id est Incarnationis Christi) stillaverint montes dulcedinem Cœlestis illius roris. Plúsne amabò ad auream ætatem, sæculúmque requiri potest, quàm cùm Cœli nil, præterquàm merum aurum, aurum purissimum rorant, & verò pluunt? Quòd si enim rorem ordinarium, & pluviam, auri insignimus nomine, quâ sitiens terra opportunè irrigatur, singulásque guttas merum aurum reputamus, non alia de causa, quàm quòd irrigatio ejusmodi frugibus mirum in modum proficua, ubertatem rerum omnium spondeat, & afferat; quantò magis rorem vocamus aureum, pluviámque auream, voluntariam illam, quam segregabit DEUS hæreditati suæ? Et Ps. 67. verò, quid aliud est Caro Christi in utero Virgineo concepta, nisi aurum optimum, quale in terra Hevilath progignitur? ità docet S. Richardus à S. Laurentio inquiens: *corpus Mariæ terra est Hevilath* (Genesis 2.) *de qua exortum est aurum optimum, scilicet Caro Christi, ex cujus pretio impretiabili omnes Justi locupletati sunt.* Richardus lib. 4. de laud. Virginis.

§ 3. Jovem in rorem aureum amore Danaës mutatum fabula est: Filium Dei velut rorem aureum virgini illapsum, veritas est.

S. Augustinus lib. 1. Confess. c. 15. fabulam recenset, quam 4. Metamorph. scripsit Ovidius: quòd summus Deorum Jupiter inamoratus sit in puellam Danaën (quam aheneæ turri incluserat Pater Acrisius, nè illius pulchritudo cuiquam mortalium pateret) útque eâdem frueretur, in rorem aureum se mutârit, atque sic transformatus in puellæ sinum illapsus sit, ex cujus deinde partu Perseus prodijt Gorgonis domitor. Placuit hæc fabula Augustino, ut umbra ingeniosæ veritatis. Jupiter idem significat, quod Juvans Pater, & denotat Filium DEI, qui ab Isaia cap. 9. ℣. 8. *Pater futuri sæculi* nuncupatur, hoc est aurei sæculi. Adamavit hic pulcherrimam mulierum, David filiam, quæ erat

erat ipsamet *Turris David.,Turris eburnea,Turris Libani cum propugnaculis,* ùt ait S.Bern. serm.4. super salve. in cujus castissimum sinum se insinuans homo factus est, & hominum quidem heroúmque fortissimus, qui infernale monstrum contrivit, mundúmque totum aureo, id est, gratiarum & donorum omnium rore irroravit. Præfatus Jupiter (eodem Nasone fictore) tenerum sui cultum compensaturus Rhodijs, aureique cujusdam seculi speciem facturus, super eos auream rupit nubem, auróque in signum favoris pluit. At obmutescat Ovidius: sileant Rhodij aureum in nube Jovem, quinimò stupeant, & admirentur in omnibus aureum Numen: quantus enim non iste DEI favor est, quantæ non opulentiæ seminarium, non unam aliquam roscidam nubem, sed ipsum, ut ità dicam pectus rupisse, indéque fontem omnis boni, thesaurósque incomparabiles non super unam Rhodum, sed super universum mundum effudisse!. *sic DEUS dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret*, ait ipsemet DEI Filius Joannis 3. quasi diceret: sic dilexit, ut magìs non potuerit: dedit enim cum hoc rore & pluvia aurea quidquid habuit Paulo teste: *quomodo non etiam cum illo omnia donavit nobis?* Rom. 8. v. 32. scitè Hugo in illud Matth. 13. *simile est Regnum Cœlorum thesauro &c.* Christum, *DEI Thesaurum* appellat; rursus explanans illud, quod sequitur: *simile est homini negotiatori quærenti bonas margaritas &c.* Christum margaritæ comparat pretiosissimæ, quæ ex sæpe dicto aureo rore cœlitùs delapso nata est. Divus item Ambrosius, *margarita* (inquit) *Christus est Dominus, quam negotiator ille dives in Evangelio, venditis omnibus rebus suis emere festinavit, & maluit omnes quas habebat sæculi gemmas amittere, tantùm ut unam Christi emeret margaritam.*

Nicolaus Causinus symb. L. 1.

D.Ambros in festo S. Luciæ.

§ 4. Rorem gignit Luna; Jesum Maria, in cujus utero velut concha in Gemmam efformatur.

Quærit Job 38. v. 28. quis genuit stillam roris? O Job quàm miror, te id ignorare. si de rore naturali quæris, respondebo cum Physiologis, Lunam esse genitricem roris; si de Divino loqueris, dico: pulchra ùt Luna Maria hujus roris Genitrix fuit, & idcirco hoc sacro Adventûs tempore illius honori *Rorate* decantatur; Maria equidem est, quæ *procedit quasi aurora*, seu aura rorans, cujus castissimus uterus conchæ instar fuit, in quam Ros ille aureus decidens in pretiosissimam margaritam efformatus est. Quapropter S. Damascenus hortatur: *Lætetur mundi mare: in ipso concha gignitur, quæ cœlitùs concipiet, & Christum, ingentis pretij unionem pariet.* Et D. Ephrem serm. de margar. pretio: *O immensam DEI liberalitatem! conchæ enim* (Mariæ) *committit margaritam* id est, Filium suum.

Orat. de Nativ. Virginis

Plinius l. 9. c. 35. principium, culménque pretij rerum omnium margaritam appellat. Tertull. Lib. de habitu mulier: vocat eas Patrimonia. quasi nimirum pretio suo ampla patrimonia & hereditates, imò Insulas & Regna integra exæquent. Brevissimis conchæ prolibus (inquit) patrimonium grande præfertur, *saltus & Insulas cervix fert.* Ob hoc margaritæ, ùt res desideratissimæ votum mundi dictæ sunt. Inde etiam metaphora ad homines, qui nobis præ alijs cari & desiderati sunt, ducitur, ut margaritæ dicantur. Sic Theodora Augusta Theodosium post longa desideria sese illi exhibentem, Gemmam suam nuncupavit. Sic Proclus in panegyrico Chrysostomi, eum prædicationis margaritam asseruit; cupidissimè siquidem ab omnibus audiebatur. Et quis amabò majoris pretij, quis magìs in votis orbi universo erat, quàm

Epiphan. ep. 40.

Christus Messias: qui idcirco Prophetæ Aggæo *desideratus cunctis Gentibus* ac populis indigitatur *Veniet desideratus cunctis Gentibus*; vel ùt Hebræus habet: *venient desideria cunctarum Gentium.* Licèt enim (ait Cornelius hìc) Gentes infideles eum non desiderarent desiderio & appetitu elicito, utpote quem non cognoscebant, desiderabant tamen appetitu innato seu naturali, tanquam sibi maximè utilem & necessarium ad hoc, ut è suis tenebris liberarentur, sicut terra arida hiando pluviam, & quodammodo ipsa clamat: *Rorate Cœli.*

Aggæi 2. v. 8.

§ 5. Margaritæ magni pretij: sed maximi, & inæstimabilis Incarnatus Dei Filius.

Gemmæ ob pretium & venustatem, quâ nitent, præcipua hominum ornamenta sunt. *Gemmæ* (inquit Tertull. de habitu mulier: c. 6.) *tardè teruntur, ut niteant, & subdolè substruuntur, ut floreant, & anxiè forantur, ut pendeant*; de collis videlicet, auribus, & pectore &c. quo sese ornandi studio fæminas maximè distineri asserit, porrò inquiens: *maximi pretij margarita mundum muliebrem per summam lasciviam mirandum in modum invasit.* Non pudet miseras totum suum studium in hoc ostreo ponere. Verùm quid margaritæ orbis universi, si in computum veniant cum illa, quæ est Christus ex cœlesti rore aureo in concha Virginei corporis concepta & efformata? Omnis illarum splendor respectu hujus meræ tenebræ; pretium, non nisi quisquiliæ sunt. O quàm infinities venustiùs hoc unione exornata comparuit S. Agnes, castissima sponsa, quæ dum ad profanas nuptias à Præside solicitaretur, hunc in modum protestabatur: *Amo Christum, in cujus thalamum introibo; cujus Mater Virgo est, cujus Pater fæminam nescit: quem cùm amavero, casta sum, cùm accepero, Virgo sum, qui dexteram meam & collum meum cinxit lapidibus pretiosis, tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas, & circumdedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis.* Quàm longè illustrior incessit conversa ad Christum Pelagia Antiochena quàm dum meretricio ornatu in tantum fulgebat, ut mera gemma videri posset; rogata enim subinde à S. Nilo, quod ipsi nomen? respondit: *naturali nomine Pelagia dicta sum à Parentibus, Cives verò Antiochiæ margaritam me vocant, propter pondus ornamentorũ, quibus me adornaverunt peccata mea. Ego enim eram ornamentum & ergasterium Diaboli.* Quasi dicere voluisset, ornamenta, quibus peccatrix ornabatur, fuisse quasi carbones & titiones inferni, respectu donorum Cœlestium, gratiæque Divinæ, quâ eam verus sponsus Christus JESUS decoravit. Rectum judicium, & prorsus conforme D. August. Margarita pretiosa est Christus, sinè qua nihil tibi prodest quodcunque habueris; quam si solam habeas, sufficit. Huic enimverò longè meliùs convenit epigraphe, quam Carolus IX. Rex Galliarum Gemmæ cuidam insculpi fecit, Nobili pòst matronæ donatæ: *Qui me habet, omnia habet.*

In officio Ecclesi:

Tract. 5. in ep. Joan.


De Cornelia Gracchorum Matre scribit Valerius, cùm Campana Matrona apud illam hospitata, annulos, uniones, gemmas, omnia denique ornamenta sua illo seculo pulcherrima ostendisset, Corneliam dum è schola redirent liberi (qui ad nutum Matris Campanam salutaturi accesserant) dixisse hospitæ: *hæc mea ornamenta sunt.* O quantò magis anima, quæ Christum, hanc gemmam possidet, illius gratiâ ornata dicere potest: *Hæc ornamenta mea sunt.* Sicut enim teste S. Ignatio Mart. pretiosissimum Christi monile sunt Virgines, atque adeò omnes animæ justæ; ità illis pretiosissimum monile est Christus.

A. A.


§ 6. Quàm vili aliqui rorem aureum, & pretiosissimam margaritam habeant.

A. A. Faciamus ad Epilogum, brevem super nos ipsos reflexionem, in quo pretio memoratum hucusque Cœlestem aureúmque Rorem & Margaritam habuerimus. Nobilissimus nonnemo in Gallia Cardinalis gemmam habuit charissimam, quam propter mirificam lucem & pulchritudinem centum ferè millibus aureorum æstimabat, dederat hanc fidissimo familiæ suæ securitatis gratiâ ad cor gestandam. Verbum, quod nostrî amore Caro factum est, dignissima sanè gemma est, quæ ad cor, imò in corde ipso mundo, ùt concha, feratur. Sed (prô) quàm multi mortalium cæci sunt! qui pretiosissimam hanc gemmam vilissimis rebus posthabent! Quid vilius edulio lentis? & tamen huic pretiosam primogenituram Esau postposuit. Esau ad mentem Cornelij peccatorem significat edulium vile, vilem quamvis delectationem, quam in quovis gravi peccato inquirit peccator. Primogenitura Mariæ Primogenitus Christus est, & sancta ejus gratia, cui sæpe sæpius momentanea, eáque peccaminosa delectatio præponitur, atque ità gratia venditur. Judas mercator pessimus dicitur, eò quòd gemmam pretiosissimam Christum 30. argenteis vendiderit. Judâ pejores, viliori quandoque vendunt. Væ ejusmodi stultis mercatoribus in ultimo illo adventu Domini! dicetur illis: *nescio vos.* quia vos me prodegistis & pretium mei agnoscere noluistis. Non sic nos A. A. sed ùt monet S. Chrysostomus discamus nunquam negligere à DEO data, neque perdere magna propter parva & vilia. Quod si aliquis neglexisset, gemmam & rorem hunc perdidisset; hoc sacro tempore clamare & ingeminare non cesset: *Rorate Cœli!* O aurea hora quando venies! O Luna pulchra & plena, quando rorem paries? en hiat cor meum, ùt concha: expando cum Gedeone vellus desideriorum meorum: cum Jacob de rore Cœli benedici postulo! Porrò ubi desiderio adverterimus annuisse Rorem hunc aureum, hanc pretiosissimam gemmam feramus in corde, ut vicissim ejus in corde ab ipso portemur, id est, æternum amemur.

Matth. 25.



PRO-



PROBLEMA XXIX.

Quare Joannes in Vinculis?

DOMINICA II. ADVENTUS

Joannes in vinculis, Matthæi 11. v. 2.

§ 1. Elogia S. Joannis.

JOannes in vinculis? Joannes gratiam ſonat, gratiarum epitome Joannes fuit, & ille in carcere? *Joannes virtutum ſchola, magiſterium vitæ, ſanctitatis forma, norma juſtitiæ, Virginitatis ſpeculum, pudicitiæ titulus, caſtitatis exemplum, pœnitentiæ via, peccatorum venia, fidei diſciplina, Joannes major homine, par Angelis, Legis ſumma, Evangelij ſanctio, Apoſtolorum vox, ſilentium Prophetarum, Lucerna mundi, præco Judicis, præcurſor Chriſti, Notator Domini, Teſtis DEI, totius medius Trinitatis.* Chryſologus ſerm. 167. Et Joannes in vinculis? *Joannes, qui antè pervenit ad cœlum, quàm terram tangeret, antè cœpit vivere DEO, quàm ſibi,* inquit idem ſerm. 91. Et hic Joannes in terra in vinculis? *Inter natos mulierum, qui in terra unquam vixêre, vivunt defactò, aut victuri ſunt, Joannes præcellit cunctis, Joannes eminet univerſis, & quisquis ex muliere* (ſcilicet non Virgine) *inferior eſt Joanne.* S. Ambroſius ſerm. 94. Et hic in vinculis? *Quisquis Joanne plus eſt, non tantùm homo, ſed DEUS eſt.* Auguſtinus ſerm. 4. de Bapt. nimirum ùt doctè S. Maximus: *hic eſt, qui judicio cœleſtis ſententiæ cunctis mortalibus antefertur,* dicente Domino: *Inter natos mulierum non ſurrexit major Joanne Baptiſtâ.* Ex quo Dei hominis oraculo colligit Gerſon, Dominum in Cœlo Matrem ſuam ſuper omnes & hominum & Angelorum choros collocâſſe, & huic proximum Joannem Baptiſtam, loco ſcilicet thronóque Luciferi. Et hic tantus Joannes, adeò apud DEUM gratioſus in carcere, vinculis, tribulatione & adverſitate? Ità eſt, *Joannes in vinculis,* & paulò pòſt educendus, capite crudeliter minuendus. ſed cur hoc? Nomen pro ratione eſt, quia *Joannes,* id eſt gratioſus DEO, quod ipſum Joannes agnovit. *Ioannes ſpecie homo, formâ Angelus, quia nihil carnis erat in eo. corpus tenebatur in carcere, anima autem in cœlo, & quod Herodes illi faciebat pro pœna, ille ſuſcipiebat pro beneficio, & irâ illius quaſi DEI miſericordiâ, ſeu gratiâ fruebatur.* Chryſoſtomus hom. 27. operis imperfecti. Quâ, ut & nos fruamur, vincula, & per hæc intellectas adverſitates Dei beneficiũ gratiæq; ſignum certum eſſe oſtendam.

§ 2. Neſcit homo utrùm amore an odio dignus ſit, moralem tamen habet certitudinem ſi multa patiatur.

Cæteras inter multiplices ſolicitásque curas, quibus cor humanum frequenter inquietatur, etiam illa eſt, quæ hominem in dubio ponit, qualis coram oculis Dei appareat: *Neſcit enim homo, utrùm amore an odio dignus ſit, ſed omnia in futurum ſervantur incerta.* Eccleſiaſtes 9. v. 2. *Quis poteſt dicere* (quærit S. Bernardus ſerm. 1. de ſeptuag.) *ego de electis ſum, ego de numero filiorum ſum?* Et ferè ſimilem fecit ad ſuos fra-

os fratres interogationem Idem ser. 2. in Ascens. S. Aug. L. de ovibus. c. 10. *Quis scit an omnium vestrûm, quos hic video, nomina scripta sint in cœlo? Quanto putas gaudio replerentur omnia ossa mea si id scirem? ovem te putas, hircum te fortè novit DEUS.* Hæc ipsa cogitatio S. Mechtildem multum quondam angebat, quæ cùm feriâ quartâ post pascha in sacri, cui aderat, introitu legi audiret illa verba: *Venite benedicti Patris!* In lacrymas soluta, in hæc prorupit verba: *O si scirem me unam esse ex benedictis illis?* cui Christus comparens dixit: *Scias certò filia te unam ex illis esse, Et ut nihil dubites, ecce ego do tibi cor meum in pignus amoris.* Tanto repleta fuit gaudio, & consolatione, ut penè dissolveretur, sicque hoc divini amoris pignus Mechtildem confortavit, ut usque ad vitæ finem inter millenas adversitates, quibus eam exercuit DEus, semper hilaris, semper in divinam conformis voluntatem plura pati promptissima vixerit. Tantum potuit ad patienter ferenda omnia adversa pignus amoris Divini. Et licèt nos ejusmodi oculari & palmari signo sui erga nos amoris non dignetur DEus, satìs tamen esse debet ad æquo fortique animo ferenda adversa omnia, illa, quam ex Patribus & Scriptura sacra habemus, assecuratio Divini erga nos amoris, vel ex hoc ipso, si DEUS nos sæpenumero adversitatibus visitet, si ùt terram aratro & occâ tribulationum Findat & scindat, si ùt frumenti granum varijs tentationum ventis probet. *Ubi patientia ibi DEUS* inquit Tertullianus, Patientia in adversis signum est evidens, ac apertissimè demonstrans animam in me consistere pariter & in ea me per gratiam esse, dixit, repetijtque cœlestis Pater S. Catharinæ Senensi Revelat: dial. & T. 145. *Vis scire utrùm in hoc regno, in hac Urbe in hac Domo, in hoc homine, habitet DEUS? Vide utrùm ibi sit patientia. Ubi patientia ibi DEUS.* Patientia, velut magnes ferrum, & magnetem stella polaris ad se trahit, ità DEum attrahit. Clarissimis verbis idipsum Christus Matth. 5. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam.* & S. Spiritus Apoc. 3. v. 19. *Ego quos amo, castigo. Quem diligit Dominus corripit, & quasi Pater in filio complacet sibi.* Proverb. 3. *Multæ tribulationes non quorumcunque sed justorum,* ut S. Ambrosius L. 4. in Lucæ 4. Blosius dialogum refert inter Sapientiam divinam & B. Henricum Susonem, in quo Sapientia errorem communem hominum de tribulationibus sic refutat: *Non rectè sapiunt illi, qui gravatè, & cum querimonia afflictionem ferunt, omnino enim paterna castigatio est & virga mea ex maximo amore proficiscitur.* Blosius de consolatione pusill. c. 24.

Blosius in appendice de quatuor sanctis fœminis.

Fingunt Poëtæ quòd summus DEorum Jupiter sagittas quibuscum pingitur & quibus hominibus immissæ diversæ tribulationes significantur, priusquam illas ejaculetur in ardentissima Vulcani fornace igniat. Hæc fabula, sed Christiana Veritas est, quòd magnus & verus DEus sagittas tribulationum non mittat, nisi ignitas priùs in fornace amoris Divini. Unde David psalmo 7. v. 17. *sagittas suas ardentibus effecit.* quæ verba Græcus ità habet: *sagittas suas àmore implevit*: clariùs Hugo Cardinalis supra memorata psalmi verba interpretans ait: *Ex igne Divini amoris sagittæ amoris veniunt.* Credo tibi querenti præ dolore cum lacrymis mi Christiane, quòd longæva infirmitas tua, quâ dolorosè lecto affixus jaces, quòd multiplex contemptus, quem pateris, gravis persecutio, sub qua gemis, dura quacum conflictaris paupertas

Ovidius. 1. Metamorph.

§ 3. Jupiter sagittas quas cœlo ejaculatur, priùs in vulcania ignit. Deus verus in fornace Amoris.

pertas tua instar acutarum sagittarum sint, quæ cor animámque ipsam transverberant, salsas ex oculis cient lacrymas, è profundo corde amaros protrudunt gemitus; sed hoc solatio tibi esse debet, quòd omnia, quæ pateris immediatè aut mediatè à Deo proficiscantur, quòd ejusmodi sagittæ ex Divini amoris fornace proveniant, in animæ tuæ bonum illis vulnereris corporaliter. *Sagittas suas amore implevit.* Veritatem hanc docuit DEus Moysen Exodi 3. v. 3. *pascebat* (inquit Scriptura) Moyses oves Jetro, cúmque minâsset gregem ad interiora deserti, venit ad montem *DEI Horeb, apparuitque ei Dominus in flamma ignis de medio rubi, & videbat, quòd rubus arderet, & non combureretur.* Interpretes in hunc locum apud Cornelium dicunt rubum fuisse spinam, per spinas DEum significare voluisse tribulationes, quas actu patiebatur, passurúsque deinceps erat populus sub Pharaone; apparuit autem ardens rubus, ut intelligeret Moyses, docerétque populum tribulationem ex amore, cujus ignis symbolum est, proficisci, & ideo in patientia ferendas. Quod ipsum aliâ Scripturâ confirmari potest. Mundo & vulgo notum est, quæ & quanta ab inimico Saule innocentissimus David pati debuerit, penes DEum in cœlo, unum Davidis in terra solatium fuit Jonathas Saulis filius. Hunc, dum vice quadam ad mortem quæreretur, David pro sua fortuna obvium habuit, à quo de occultis structis insidijs admonitus, & quî se gerere deberet instructus fuit 1. Reg. 20. à v. 19. *Cras*, inquit, *calendæ sunt, & requirêris. Descendes ergo festinus, & venies in locum, ubi celandus es &c. & sedebis juxta lapidem, cui nomen est Ezel. Et ego tres sagittas mittam juxta eum: & iaciam quasi exercens me ad signum. Mittam quoque & puerum dicens ei: vade, & affer mihi sagittas. Si dixero puero: Ecce sagittæ intra te sunt, tolle eas: tu veni ad me, quia pax tibi est &c. si autē sic locut⁹ fuero: Ecce sagittæ ultra se (sive extra te) sunt, vade in pace &c. ubi notandum, quòd* sagittæ *intra*, signum posuerit Jonathas, quòd bene ageretur res cum Davide, *extra* quòd malè. Sed cur sagittæ *intra* signum vitæ, signum pacis, contrà *extra* signum malum, signum periculi David & mortis? Auditores Christiani, voluit DEus hoc mysterioso sagittas jaciendi modo docere nos, quî agnoscamus qualis apud DEum & nos sit constitutio. Si sagittæ tribulationum intra nos sint, si affligamur, signum bonum est; secus, si extra, si nunquam patiamur. Quo mysterioso jaculandi modo Jonathæ edoctus jam tunc David passus postea, & sagittas tribulationum sentiens solatiosè & confidenter Domino locutus est psalmo 37. *Domine nè in furore tuo arguas me.* Quod idem erat, ac si diceret, certus sum, quòd me non arguas in anima nimirum. Sed unde hæc certitudo? *Quoniam sagittæ tuæ infixæ sunt mihi*, quasi dicat, certum signum sunt flagella, quibus me cædis in corpore, quòd animæ meæ sis parsurus. *Quæ in nos interdum potens DEI manus jaculatur, non ad interitum sunt, sed salutem, quoniam signa sunt amoris Divini, non furoris*, ait S. Basilius in annot. in L. 1. Regum. Quòd bellè intellexêre Sancti DEI. unde non, sicut nos plerumque facimus, qui pro malo signo habentes & pœna, sagittas tribulationum declinamus, fugimus, & ipsi fugerunt, sed potius postulârunt cum Augustino L. 3. Confess. c. 6. & 8. *Jacula tua Domine in me sint, & sagittæ tuæ feriant cor meum, ut*

dicere

dicere continuò poſſim, charitate Divinâ vulneratus ſum. Et dum illos DEus adverſitatibus viſitavit, dum ſenſerunt ejusmodi jacula, non murmurârunt, nec queſti ſunt ùt nos, ſed egêre cum eodem pro illis gratias: *Gratias tibi ago Domine qui me creâſti hunc humilem vermem, paſcis omnibus bonis, & ſagittâſti cor meum charitate tuâ.* Non igitur murmurare, non queri, aut triſtari & puſillanimes eſſe debemus, ſi quandoque flagellamur magis quàm alij, ſed dolere, ſed metuere & ſolicitâ curâ angi de anima, ſi bene cedant omnia, ſi etiam peccantes non caſtigemur pœnis corporalibus & temporalibus. *Flagellat DEUS omnem filium quem recipit* (inquit Scripturæ verbis S. Auguſtinus L. 1. de Paſtoral.) *Eſne fortè exceptus? Si exceptus es à paſſione flagellorum, exceptus es à numero filiorum.*

§ 4. Cur Chriſtus in monte Thabor transfiguratus, Filius Dei cœlitus delapſa voce proclametur?

Inquirit Doctorum modernorum aliquis, cur ſuper Chriſtum in monte Thabor in gloria transfiguratum S. Spiritus deſcenderit, Paternáque vox audita ſit: *Hic eſt filius meus dilectus in quo mihi bene complacui. Matth.* 17. Et cur dum in infami patibulo crucis affixus erat, inter millenos corporis, animæque dolores adeò à Patre deſert⁹ ſit, ut erumperet in illa cor frangentia, & lacrymas excutientia querula verba: Matth. 27. *DEUS meus, DEUS meus, ut quid dereliquiſti me!* Auditores tunc, tunc noſtrâ opinione in doloribus & deſolatione penè pereunti Domino Pater ſuccurrere aliquo conſolationis verbo debuiſſet, eúmque ſuum filium dilectum nominare, cúm ei ſic, & ad mortem uſque obediens factus fuit. Cauſam ingenioſam dat ſupra inſinuatus Doctor, in Cruce non fuiſſe opus ut filium ſuum nominaret, teſtaretúrque, ſiquidem ipſa paſſio, ſiquidem milleni dolores, quibus ex Patris voluntate patienter cruciabatur Chriſtus, ſat clarum indicium erant, quòd ſit dilectus filius; ſecùs in monte Thabor, ubi, quia ſinè dolore, ubi, quia in gloria, quòd tamen eſſet Filius DEO dilectus, expreſſâ voce opus erat. Igitur non maleficium, ſed beneficium eſt pati, & affligi à Domino, tantum quidem, ut S. Chryſoſtomus hom. 8. in c. 4. ad Eph. dicere non dubitet.: *Vinctum eſſe propter Chriſtum illuſtrius eſt, quàm ſive Apoſtolum, ſive Doctorem, ſive Evangeliſtam eſſe. Si quis Chriſtum diligit, novit quid dico.* addit: *non ità beatum dico Paulum, quòd in paradiſum raptus, quàm quòd in carcerem conjectus eſt. Si mihi cum Angelis ſtandum fuiſſet ſurſum, aut cum Paulo vinctum in carcere, carcerem peroptâſſem.* Et S. Greg. hom. 15. in Ezech. *Tribulatio ſupremi gaudij introitus eſt*: quaſi dicat: hæc eſt via Regia, qua DEus ad gloriam nos rectà deducit, extra quam omnis alia via error eſt ad perditionem. Si enim Regnum cœlorum emendo comparatur, ſolæ paſſiones illius ſunt pretium: ſi gratuitò donatur, non niſì ſolis donatur patientibus: ſi titulo amicitiæ obtinetur, haud alij cenſendi ſunt amici, quàm qui patiuntur: ſi vi accipitur, patientes ſoli vim ipſi inferunt: ſi per cambium, aut tranſmutationem, non niſi cum patientia commutatur: ſi dignæ mercedis locò confertur, nullius merces cœlum eſt, niſi paſſionis. *Tribulatio ſupremi gaudij introitus eſt.* Omnes cœli incolæ veſtem habent ex byſſo contextam, quæ percuſſionum vi dealbatur: omnes prædeſtinati ſigno Tau, id eſt, Cruce inſigniuntur in fronte. Omnes è populo Dei electo mare rubrum, paſſionis ſymbolum tranſire debuêre. Omnes beati ſtolas ſuas laverunt in ſangvine agni. Omnes filij Dei ex mera Patris pietate flagellantur. Omnes

Apoc. 19.

Ezechiel. 9

Apoc. 7. tribulationes paſſi. Eccli. 30. v. 1.

Tob. 12. v. 13. Omnes, quotquot Deo accepti sunt per tentationem necessariò probantur. *Tribulatio supremi gaudij introitus est.* Electi ad 70. palmas nequaquam pertingunt nisi priùs amaras in Mara aquas tansierint. Peregrini Domini nequaquàm terram intrant promissionis, nisi post frequentes cum septem nationibus barbaris superatos conflictus: Joseph priùs in Ægypto non dominatur, nisi venditus priùs à proprijs Ismaëlitis fratribus. Onustus divitijs ad patriam Jacob non revertitur, nisi perpessâ priùs, eáque diutinâ peregrinatione, atque exilio. Nec ad Regnum priùs sublimatus est David, nisi post longas Saulis persecutiones. Denique nec patientissim' Job benedictione omniũ priùs repletus est, nisi bonorum omnium corporis, atque ipsarum etiam prolium jacturam passus fuisset. *Tribulatio supremi gaudij introitus est. Nullus unquam ex his qui maximè DEO acceptabiles fuerunt, sinè pressuris vixit*, ait Idem l. de Provid. sed bene illi, qui peccatores, qui filij iræ. qui quia spem non habent æterni boni, propter aliqua, quæ tamen agunt bona, permittit in temporalem remunerationem DEus, ut illis ad tempus sit bene, quibus æternùm erit malè. Unde S. Hieron. ep. 25. ad Castrat. *Magna ira est, quando peccantibus non irascitur DEUS.* Medicus deserat infirmum; de sanitate desperatum est: si Magister eliminet discipulùm è schola, signum est incapacitatis: Pater si conniveat omnia filio, signum est, quòd seriò non amet. His tribus officijs erga nos DEus Medici, Magistri, Patris, si non propinet subinde amaram potionem tribulationum, virgâ te adversitatis non percutiat, exigua spes profectûs in virtute, amoris & salutis est. S. Hieronymus in c. 16. Ezech. *Non eris amore dignus, qui indignus castigatione censeris. Misericordiam banc ego nolo, super omnem iram miseratio ista est.* S. Bernardus serm. 42. in Cant. Si ità est Auditores, si tribulari, si pati adeò fructuosum est, si signum Divini amoris, conformemus nos in omni passione Divinæ voluntati, osculemur paternam nos castigantem Virgam DEI, optantes cum Bernardo: *volo, irascaris mihi Pater misericordiarum, sed illâ irâ, quâ corrigis devium, sic cùm sentio te iratum, maximè considero propitium.* dixerim ego. Verbo: dum sum in vinculis, agnosco me Joannem, Amen.

Numer. 33. v. 9.



PRO-



PROBLEMA XXX

Qualis vox olim Joannes fuerit, & quales defactò voces sint homines?

DOMINICA III. ADVENTUS

Ego vox clamantis. Lucæ 3.

§ 1. Universæ Creaturæ Sunt voces



Doctissimus Philo, posteaquam subtiliter de Divino sex dierum opere disseruisset, quasi pro complemento absolutissimam illius molis, unicam aliquam vocem pro universo diffusam desideravit, quæ DEO debitam diceret panegyrim. Laudetur DEus, qui tam bene omnia fecit! Sed, quam Philo desideraverat vocem, hanc illo sapientior Paulus observavit & deprehendit, dum Creaturas omnes vocales & linguâ præditas nominavit. *Multa* (inquit) *genera linguarum sunt in hoc mundo, & nihil sine voce est.* Nam teste Psalmistâ Psal. 18. *Cœli enarrant gloriam DEI. Vocem dederunt* (& usque modò dant.) *nubes*, Psal. 78. *Flumina quoque elevaverunt vocem tuam.* Habac. 3. *Dedit vocem suam terra.* Psal. 92. Denique, canente Ausonio: *Nil mutum Natura dedit.* Et sanè si prorsus elingves agnovisset David Creaturas irrationales inanimatas, cur eas ad laudandum DEUM toties invitâsset? maximè Psal. 148. *Laudate Dominum de Cœlis* &c. Laudant equidem, & in se ipsis DEI Potentiam, Sapientiam, Bonitatem, & Pulchritudinem omnibus commendant; Juxta illud S. August. lib. 13. Conf. *Ecce Cœlum & terra clamant: facta sumus. Tu Domine fecisti ea, quia pulcher es; pulchra sunt enim*, &c. Quid jam dicemus de homine, Creaturarum visibilium facilè principe? O! quanta in hoc solo vocum diversitas! quanta lingvarũ varietas! cùm unaquæque Natio alio atque alio utatur sermone; Ut non immeritò *Homo* in Latino duplici vocali O. O. & M, quæ semi-vocalis est, exprimatur; ad significandum credo, hominem totum debere esse in mundi hujus deserto, quemadmodum Joannes erat, *Vocem Clamantis*. Quòd si ità est, videamus primò, qualis olim Vox S. Joannes fuerit? secundò, quales defactò voces sint homines?

I. Cor. 14. v. 10.

§ 2. Triplex hominis vox est. Oris, Cordis, Operis.

Prænotandum, triplicem homini esse vocem: Una, est *Oris*, altera *Cordis*; postrema tandem *Operis*. Quod primam *Oris* vocem attinet; sua inter Philosophos quæstio, eáque controversa est. Stoici volebant esse percussum aërem. Democritus sonum in aëre excitatum. Alij, fluxum verborum ex ore fluentium, & ad se invicem allidentium, ùt solent undæ. Aristoteles melioris Philosophiæ ocellus, ait esse sonum animalis ore prolatum. Et hæc prima hominis vox est. Sed

& altera, quæ *Cordis* dicitur; hoc enim ſubinde auditum eſt loqui. Certè hoc, quo vivimus ævo, P. Rochus Gonzalez Soc. JESU, fidei & Religionis cauſâ à barbaris capite plexus, auditus eſt ab illis, ex imo corde voces edere, & quidem articulatas, quæ ijs immanem cordis duritiam exprobrabant; quod hominem, qui ab extremo orbe, eorum ſalutem quæſiturus, venerat, capite minuiſſent, vitámque mortalem ei abſtuliſſent, qui immortalem illis allaturus venerat. Sed hoc recentioris eſt memoriæ; demus alterum antiquioris. S. Mechtildis ſuperis chara JEſum audivit, hæc ad ſe corde proloqui: *Veni amica mea, ſoror mea, ſponſa mea; veni poſſide paratum à me tibi regnum.* Cui & ipſa corde reſpondit: *Dilecte mi, ſponſe mi; Ecce me!* Manet ergo cor humanum ſubinde loqui, & in voces abire. Sed cum miraculo inquies: non abnuo, verumtamen etiam illi ſua vox, & quidem ſinè miraculo eſt; Vox inquam, amoris atque affectûs pij, quâ cum DEO loquitur. Juxta illud Davidicum: *Eructavit cor meum Verbum bonum.* Pſal. 44. Poſtrema vox eſt *Operis*; de qua ità D. Cyprianus L. 2. de Martyr.: *Habent opera linguam ſuam; habent facundiam ſuam, etiam tacente linguâ.* Hæc paucis de triplici illa voce, à qua olim in Orbe Judaico inſonuit non ſolùm ore ſed æquè corde ac opere Magnus Baptiſta, imò inſonuére rupes quoque, & nemora.

§ 3. Joannes fuit vox Oris, Cordis, & Operis Luc. 3. v. 3.

Primùm ab *oris* voce; fuit enim *vox clamantis in deſerto: parate viam Domini: rectas facite ſemitas ejus.* Ecce! quæ vox ab illius ore fluxit; quæ concio ad frequentem populum, dum eſſet *prædicans Baptiſmum pœnitentiæ.* Quem ut Auditoribus perſvaderet, ad vocem *oris* addidit & *cordis* affectus, piósque motus, è quibus effervеſceret cor, ebulliret, eructarétque illud adverſus obdurata capita, Lucæ. 3. *Genimina viperarum, quis oſtendit vobis fugere à ventura ira?* Vis aliam *cordis* vocem, eámque demiſſionis? audi quid de Chriſto dicat Marci 1. v. 7. *Venit fortior me poſt me, cujus non ſum dignus procumbens ſolvere corigiam calceamenti ejus.* Vis & aliam fidei teſtem, atque indicem Meſſiæ? Excipe, quid de illo: *Ego Baptizavi vos aquâ, ille baptizabit vos Spiritu Sancto.* Ecce *cordis* voces! Excipe & *operis*, ſimúlque illud Evangeliſtæ: *factum eſt Verbum Domini ſuper Joannem Zachariæ filium.* Cur inquies, in deſerto *factum*, ac non potiùs *dictum*? ſanè *Verbum dicitur* non *fit.* Hic latet arcana quædam ſecretioris Myſterij ratio, quâ docemur Joannem non tam voce, quàm opere locutum. Et verè in Joanne loquebantur omnia. Solitudo, in quam ſe abdiderat, vox erat; veſtitus è pilis camelorum & Zona pellicea circa lumbos ejus vox erat: Locuſtæ & mel ſylveſtre, quòd edebat, vox erat: pœnitentia, quam ſubibat, & quô etiam alijs prælucebat, exemplum, vox erat. & hinc Evangeliſtæ calamo rectè dicitur: *factum eſt Verbum Domini ſuper Joannem*, non autem *dictum*; quia magìs incubuit illi *facere*, quàm *dicere*. Unde bene Chryſologus ſerm. 167. ſic de Joanne: *Erat Joannes totus vox, non ore ſolùm ſed vultu, veſtitu, toto corpore, totóque animo DEUM ſonabat.*

Marci 1. v. 8.

Luc. 4. v. 3.

§ 4. Homines de facto in mundi deſerto plerique nuda vox Oris.

Qualis vox olim in deſerto Joannes erat, talem nos vult DEUS etiam habere modò in deſerto hujus mundi; vult, ut ſimus vox *Oris*, alios ad bonum hortando, Chriſtum confitendo &c. Verùm non tantùm *Oris*, ſed vult, ut ſimus etiam *vox Cordis; corde & opere* illum diligen-

diligendo. Sed, proh! quàm pauci æmulantur Joannem! plerique enim philomelæ similes sunt, de qua ille: *Vox, es, prætereàque nihil.* Vox, sed nuda oris tantùm quales erant Pharisæi & Scribæ, de quibus Christus, Matth. 23. v. 2. *Dicunt, & non faciunt.* Quasi diceret, inquit Cornelius hìc: *bene loquuntur, bene judicant, sancta docent, sed malè vivunt, tum quia exemplo suo alios scandalizant, & ad violandam legem impellunt.* Contra ejusmodi inanes *Oris* voces, vox & verba Christi stant Matth. 7. v. 21. *non Omnis, qui dicit mihi: Domine, Domine, intrabit in Regnum Cœlorum; sed, qui facit voluntatem Patris mei &c.* Consequenter & meam: Nam Patris & Filij eadem est voluntas; *Regnum enim Cœlorum sola verborum officia non obtinet* (inquit S. Hilarius apud Cornel.) *de nostro est beata æternitas promerenda, præstandúmque aliquid de proprio.* Unde S. Chrysostomus: *qui*, inquit, *non conversatur secundùm verbum Christi, non intrabit in Regnum Cœlorum.*

§ 5. Deus vult cor gestari in humero ad indicandum, ut fimus vox Cordis & Operis.

Romani veteres pro Nobilitatis insigni Cor aureum gestabant in pectore, quod nulli præterquam Nobili sangvine prognato licebat gestare. Vult & DEus à Christianis ùt electo & Nobiliori populo suo Cor gestari. Sed ubi? Respondet Jeremias 31. v. 21. *Dirige cor tuum in viam rectam.* Septuaginta Interpretes habent: *Da cor tuum in humeros.* In humeris, non in pectore, ut genuinæ Nobilitatis insigne, vult DEus cor gestari. At nunquid Cordis locus est in pectore; cur ergo in humeris ferendum? Causam symbolicæ hujus gestationis reddit S. Hieronymus hìc: *significavit DEUS, quod cogitationes & verba debent operibus conjungi.* Quod est tantundem, ac si diceret: Christianus non debet solùm esse vox Oris & Cordis, sed & *operis.* Putâssem hanc Hieronymi doctrinam sufficienter exprimendam fuisse, si cor electis dandum fuisset in Manus, prout S. Augustinus cum corde inflammato in dextera pingi solet. Verùm profundius hìc latet Mysterium, dum cor dare jubemur in humeros. Tandem ubi priùs rationem inquisiero, cur Salvator post Petri oretenus factam Confessionem, & manifestatum cordis amorem, & propter utrumque traditas ipsi claves, concionem habuerit, de cruce bajulanda. Ediderat Apostolorum Primicerius fidei suæ professionem ad Cæsaréam Philippi, & Apostolorum Collegio præponi meruerat. *Tibi dabo claves.* Matth. 16. Cum ecce cœpit mox Dominus sermonem de abnegatione sui, & tollenda in humeros cruce instituere: *Si quis vult post me venire, abneget semet ipsum & tollat Crucem suam.* v. 24. Et pauló pôst v. 27. *Filius enim hominis venturus est &c. & tunc reddet unicuique secundùm opera sua.* Cur confessioni Petri subjungit Salvator abnegationem, & ad hanc sequaces animat spe mercedis & secuturæ retributionis? Potuissent cogitare Apostoli, & circumstantes Auditores, sufficere ad salutem, si quis corde credat & profiteatur ore Christum esse Filium DEI vivi. Ad hunc errorem præcavendum, instruendósque fideles, quod præter vocem Oris & Cordis, Operum insuper requiratur, subjunxit: *Si quis vult &c. tollat Crucem suam.* Crucem tollere, hoc enim verò est: *Cor dare in humeros;* seu: *vocem* esse *Operis. Verus amor, non nisi passionibus probatur*, S. Chrysol. serm. 18. Conceptus hic S. Chrysostomi est causam reddentis, Cur post Confessionem Fidei subjun-

subjungatur bajulatio Crucis: *Confessus erat Petrus Christum esse Filium DEI; nè autem ad salutem hoc sufficere putaret, adjunxit ad hoc opus esse sui abnegationem, & Crucis bajulationem.* Nè verò Crucis portatio plùs nimio Cor affligeret, ipse præmij locò recreavit addens: *Filius hominis reddet unicuique secundùm opera ejus.* Quasi diceret: supremus Musices Magister, non delectatur, nec remuneratur solas voces *Oris*, nec solius *Cordis*; sed simul *voces operis. Opera enim illorum sequuntur illos.* Apoc.14.v.13.

§ 6.

In deserto hujus mundi non desunt voces: sed ùt plurimùm pessimè sonantes vitiorum 1.Joan 1. v. 19.

Non est quidem in hoc mundi deserto defectus vocum operum, sed non parium S. Joannis; nempe *virtutum*, cujus concentu (teste Tullio) *nihil est suavius*; sed vitiorum aures Divinas ferientium, & pessimè sonantium, Habere enim & vitia, quibus mundus plenus est (*totus mundus in maligno positus est*) voces suas, planè indubitatum est; cùm id sacræ paginæ & SS. Patres compluribus adstruant testimonijs. Sic apud Prophetam Jonam de Ninive (Jonæ 2.) ejúsque incolis peccatoribus queritur DEus: *Malitia ejus ascendit coram me.* pro quo Septuaginta legunt: *Vox seu clamor malitiæ ejus.* Et de Sodomitis, Genes. 18. *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis.* Quasi dicat: Peccata Sodomæ ità enormia sunt & impudentia (hoc enim teste Augustino clamor significat) ut ubicunque & publicè in omnium ore versentur, adeóque fama (ùt Vatablus legit) eorum per Angelos in Cœlum sparsa ad me pervaserit. Quàm horrenda autem vox & clamor sit ille peccatorum, declarat David pœnitens, Psal. 37. cum rugitu Leonis proferens; *Rugiebam à gemitu cordis mei.* Porrò, quantò majora & enormiora sunt peccata, tantò enormiores edunt voces, ità ut celari & abscondi non possint. *Clamorem* (inquit S. August. L.1. in Genes.) *solet ponere Scriptura pro tanta impudentia, ut nec verecundiâ, nec timore abscondantur.* Cujusmodi apud D. Thomam tria; in Catechismo P. Canisij quatuor ponuntur in Cœlum clamantia peccata, sic per Antonomasiam dicta: Homicidium nempe voluntarium, Sodomia, Oppressio pauperum, Operariorum merces defraudata. Nil quidem peccatoribus potiùs, quàm peccata occultare; nihilominus silente lingvâ clamant, & mirabiliter propalantur.

1.Joan. 5. v. 19.

§ 7.

Stupendum est, quod Stengelius Noster refert. (a) Seniculus quidam Lucernæ Helvetiorum in hospitali jam longam ætatem vixit, ab omnibus habitus simplex & rectus. Accidit aliquando, ut otiosus inter reliquos vetulos & vetulas præ foribus domûs hospitalis assideret, ùt istis in more est. Ibi eis diversa, fabulantibus per longissimam Urbis plateam, horrificus descendit Molossus demortui hominis caput ore ferens. Quo cane cum Capite conspecto tremor cunctos & horror invasit; sed canis imperterritus per mediam stantium, sedentiúmque turbam irrumpit, & seni jam septuagenario aut octogenario calvum cranium in sinum ponit, eóque relicto tacitus abit. Admirantur factum insolens omnes, & senem intuentes obstupescunt; qui & ipse consternatus surgit, palámque fatetur: ante 30. annos puerum à se studiosum in sylva vicina occisum, eò, quòd sperâsset, se pecunias apud illum inventurum; sed non nisi tres cruciferos reperisse; corpus in fossam abjecisse; agnoscere autem caput

(a) Divinorum Judicior: T.4. l. 52.n.2. Vox peccatorum horrifica

put occisi nunc ad se delatum; quia à puero ad DEI tribunal citaretur. Captus igitur, & in tam sera ætate capite plexus est, ut supplicio suo doceret: & mortuos, eorumque ossa vociferari & clamare. Ecce! hoc est, quod dixit Christus Hierosolymam ingressus, Lucæ 19. *Amen dico vobis, si hi tacuerint, lapides loquentur.* Pharisæis hoc dictum, volentibus turbæ Hebræorum festivum Osanna impedire. Idem tibi dictum puta sangvinarie parricida, scelestе fur, & inique raptor, turpissime Sodomita, pupillorum ac viduarum injuste Oppressor, si tua flagitia tu tacueris, lapides, elementa, bestiæ & irrationales creaturæ loquentur & divulgabunt, sicut divulgâsse, passim in historijs legere est. Dicant, quod volunt pupillorum Præsides; Viduarum iniqui Oppressores; familiæ, & servorum, defraudatores, operariorum & Mercenariorum, Salarij seu debitæ Mercedis retentores: pallient, quantum possunt fraudes & injurias: aliena apud se vi retineant; illa tamen vel ex ipsa arca & crumena clamant, instántque: Cur me detines? cur me captivas, cùm tua non sim, sed pauperum, quorum sudor & sangvis in me collectus adversum te bullit, non secùs ac hominis occisi cadaver ad præsentiam occisoris? Hoc namque peccatum homicidij permagnum esse docet Divinus Sapiens, dum Ecclesiast. 34. ait: *Qui effundit sangvinem, & qui fraudem facit mercenario* (addo ego, pupillo & viduæ:) *fratres sunt.* Uterque enim vitam aufert alteri; ille percutiendo &c. iste negando, videlicet media conservandæ vitæ necessaria; Unde fame, ærumnísque miseros sensim perire ac tabescere est necessum. *Ecce* (Jacobi 5.) *merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est à vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth introivit. Nônne lacrymæ viduæ* (idem est de pupillis &c.) *ad maxillam descendunt, & exclamatio ej⁹ super deducentem eas?* Ecclesiast.. 35. *à maxilla* (pergit ille) *ascendunt usque ad Cœlum, & Dominus exauditor non delectabitur in illis.* Planè non delectabitur, sed, ût Rabanus loquitur, gravissimè offendetur, indignabitur, & puniet. Absit à Nobis, ut tales voces simus, sed qualis Joannes, virtutum omnigenarum, bonorúmque & DEO placentium operum, quibus delectatur Sponsus. *Sonet vox tua in auribus meis: vox enim tua dulcis.* Cantic. 2. Ut in die illa audire mereamur dulcissimam vocem illam: *Venite Benedicti &c.* Matth. 25.



PRO-



PROBLEMA XXXI.

Nascituro rursum in mundo Domino, quænam ipsius Mater & Genitrix?

DOMINICA IV. ADVENTUS

Venit in omnem Regionem Jordanis prædicans Baptismum Pœnitentiæ.
Lucæ. 3.

§ I. Contraria juxta se posita magis elucescunt



SI aliunde nescirem S. Evangelistam Lucam artis pictoriæ gnarum fuisse satis id ipsum colligerem ex ordine hodierni Evangelij ab ipso scripti. *Contraria juxta se posita magis elucescunt* : Philosophorum axioma est. Quod re ipsa periti Pictores observant: qui, ut colorem unum, vg. album, meliùs educant in lucem, umbram obscuram, aut colorem nigrum juxtà ponunt. Simile quid S. Evangelista & Pictor Lucas in hodierno Evangelio observâsse videtur: qui, ut immensam DEI erga Mundum benignitatem & misericordiam clariùs proponeret, juxtà posuit miserandum mundi statum, in quo, adventante in mundum DEI Filio, erar. Caput Orbis Romaníque Imperij, Tiberius erat, ob crudelem lascivámque vitam universale scandalum: Judææ præerat Pontius Pilatus, ab injusto agendi modo & pernicioso humano respectu infamis: Galilææ dominabatur turpis adulter Herodes: summi Pontifices erant Viri sacrilegi, Annas & Caiphas &c. Ex quibus mundi Capitibus, qualis tunc Mundus fuerit, colligere est. Teste namque Lucano ipsáque experientiâ: *in vulgus manant, exempla Regentûm. Et qualis Rector est Civitatis* (idem est de toto Regno aut Imperio:) *tales & habitantes in ea.* Ecclesiastici 10. v. 2. *Verè advesperascebat* (inquit de illis temporibus S. Bernardus ser. 1. de Adam) *& inclinata erat jam dies: recesserat sol Justitiæ, & abundante iniquitate fervor refrixerat charitatis. Jam non apparebat Angelus, non loquebatur Propheta. &c. Et ego* (*ait Filius DEI*) *tunc dixi: ecce venio.* Putà, ad mundi salutem.

Tunc

Tunc apparuit benignitas Salvatoris ad Tit. 3. v. 4. Tunc, cùm *Mundus totus in maligno positus* esset: Joan. 5. Tunc, cùm universali rursum cataclysmo mergi mereretur, aut delapso cœlitus igne instar Sodomæ & Gomorrhæ incinerari; tunc apparuit benignitas Salvatoris. Præcursorem suum Joannem ex eremo evocat qui Orbi toti prædicet Luc. 3. v. 3. *Baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum.* Eundem nobis prædicat S. Mater Ecclesia repetens Præcursoris verba: *Parate viam Domini &c.* Quòd autem id faciat ante instans Festum Nascentis Domini, meâ opinione facit ideo: ut denuo *formetur Christus* in Nobis. Galat: 4. v. 19. & spiritualiter nascatur. Quod si ità est: quænam illius Mater & Genitrix futura? audiamus.

Dies isti, quos annuè hoc tempore obimus, ab Ecclesia dies Adventûs; vel, ùt placet alijs, *dies Expectationis* dicuntur, eò quòd toto hoc sacro tempore & diebus, expectemus adventum & Nativitatem Domini JESU; unde etiam in quotidiano officio Ecclesia nos monet: *Propè est jam Dominus, venite adoremus.* Sed percontaari licet: si nasciturus rursum Dominus est, quænam erit ipsius Mater?

§ 2. Pœnitentia est Mater Christi.

Scio equidem annis abhinc mille sexcentis 88. castissimam Virginem MARIAM peperisse Christum; sed cùm iteratò instet Nativitatis festus dies, quænam Mater Christum Nobis est paritura? Resolvit dubium doctissimus Hugo Card. in Judith 6. v. 7. dum ait: *Pœnitentia Dominum parturit.* O beata Christi Mater Pœnitentia! quis dignitatem tuam dignè prædicet? multum in tui laudem dixisse videri potest Isidorus L. 1. c. 12. inquiens: *Pœnitentia sanat, Pœnitentia justificat, Pœnitentia peccatorum veniam donat, omnis spes in Pœnitentia.* Multùm pœnitens Augustinus L. de vera pœnit. c. 1. *Hæc est, quæ homines ad Angelos ducit, & Creaturam reddit Creatori.* Multum S. Chrysostomus in Isaiam. *Pœnitentia Cœlum aperit, eadem hominem in Paradisum introducit.* Sed laus laudum: quòd *Pœnitentia sit Mater Christi*: quòd Dominum rursum pariat. Nequis verò nudum sinè re, honoris titulum arbitretur, utramque Christi Genealogiam inspiciamus.

§ 3. Ex duplici Christi Genealogia ostenditur, Christi Matrem esse Pœnitentiam.

Lucas. c. 3. in Christi Genealogia recenset septuaginta septem Generationes Christi: *JESUS, putabatur Filius JOSEPH, qui fuit Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Levi &c.* & sic usque ad septuagesimum septimum numerum. Sed quid, quæso, vult sibi hic numerus? Meministi sinè dubio, quòd interroganti quondam D. Petro Matth. 18. v. 21. *Domine quoties peccabit in me Frater meus & dimittam ei? usque septies?* dixerit Dominus: *non dico tibi usque septies, sed usque septuagies septies.* Locum hunc explicans S. August. L. 2. c. 4. de consensu Euangel. dicit numerum septuagesimum septimum pertinere ad perfectam pœnitentiam, & peccatorum remissionem. Dum ergo D. Lucas

Lucas dicit: Christum per septuaginta septem Generationes descendisse, natúmque esse; quid re ipsâ aliud dicere vult, quàm quod memoratus Hugo Cardinalis: *Pœnitentia Dominum parturit?* quid aliud, quàm quòd Mater & Genitrix Christi sit? Sed audiamus ulteriùs, quid de Christi Progenitoribus dicat Matthæus? sic ipse Evangelium suum orditur: *Liber generationis JEsu Christi, filij David, filij Abraham &c.* Matt. 1. Præposterum ordinem dicet quis hunc esse generationis Christi, quando David junior seniori Abraham præponitur. *Liber generationis JEsu Christi filij Abraham, filij David*, ponere debuisset. At sapienter factum, prout notat Hugo Carensis, cùm ordinem generationis Christi sic Matthæus conscripsit, Abrahamo Davidem præponendo; quando causam assignat: *profundus peccator David fuit, & pœnituit.* Quasi diceret: in generatione Christi idcirco primus ac primarius ponitur David, quia, cùm esset profundus peccator, egerit autem de profundo, id est, sincero corde, pœnitentiam: hæc verò Dominum parturiat, meritò prior ponitur.

§ 4. Cur majus gaudium in Cœlo super uno peccatore quàm 99. justis.

Jam non miror id, quod Lucæ, 15. ipse Christus dixit: *Majus gaudium erit in Cœlo super uno Peccatore pœnitentiam agente, quàm super 99. justis, qui non indigent pœnitentia*, posteaquam ex doctissimo Hugone audivi: Pœnitentiam Christi Matrem & Genitricem esse. Decet enim, ut, quemadmodum gratiosâ illâ primâ Nativitatis Christi horâ gavisa est *multitudo militiæ cœlestis.* Luc. 1. id est, Angeli in Cœlo, ità pariter gaudeant in peccatoris conversione; siquidem illius pœnitentiâ de novo Dominus nascitur: sicut tunc secundùm carnem, ità hìc & nunc secundùm gratiam in corde & anima pœnitentis. Jam non ampliùs miror dictum illud Damiani, serm. 56. *Consvevit DEus honorare Pœnitentes magìs, quàm innocentes.* Lex Divina est: *Honora Patrem & Matrem.* Exod. 20. v. 12. Lex ista, licèt secundùm Jura, Lege, *Princeps*, Filium DEI non obligaverit, nec strictè obligare, juxta Theologos & S. Thomam, potuerit, quia ex essentia sua erat impeccabilis; servavit tamem eam liberè: *erat* enim (teste Evangelistâ) *subditus illis Luc.* 2. id est, Nutritio suo Joseph, & Matri Virgini MARIÆ. In quo verò constiterit hæc subjectio, explicat S. Ambrosius lib. 8. in Luc. 18. *Honoravit, inquit, JOseph & MARIAM Christus, non naturæ debito, sed pietatis officio.* Jam si Nutritium suum, si corporalem Matrem suam ità honoravit JESUS, quid mirum, honorare Pœnitentes peccatores, cùm mediante hac spiritualiter Genitores Christi efficiantur. *Pœnitentia Christum parturit.* Jam adverto, cur Christus Capharnaum voluerit dicere, *Civitatem suam.* Matt. 9. v. 1. Capharnaum enim, *Ager Pœnitentiæ* interpretatur. Meritò *agrum Pœnitentiæ* habuit pro Patria, qui

ipsam

ipsam pœnitentiam habet pro Matre atque Genitore. *Pœnitentia Dominum parturit.*

§ 5. Cur Magdalena ante pœnitentiam Mulier, pòst Maria dicatur?

Quodsi ampliùs placet veritatem hanc perspicere, Magdalenam intueamur, Pœnitentiæ speculum. Conversionem illius describens Lucas Cap. 7. v.37. *Ecce* (inquit) *mulier, quæ erat in Civitate peccatrix.* NB. *Mulierem* vocat Magdalenam peccatricem ante pœnitentiam, quam mox peractâ pœnitentiâ, *MARIAM* nominat. *MARIA*, inquit, *quæ vocatur Magdalena.* c. 8. v. 2. Miratur hanc nominum diversitatem Orator aureus Petrus Chrysologus serm. 77. *venit*, inquit, *mulier, sed redit MARIA.* Advertite Mysterium: MARIA, id est, *Mater Domini*; cùm enim Pœnitentia, Hugone teste, parturiat Dominum, idcirco Magdalena, quæ ante pœnitentiam vocatur Mulier, post eam vocatur MARIA, id est Mater Domini. Unde prædictus Hugo in c 4. Matt. dicit: *Alij portant Christum in utero cum MARIA, qui humiliati per fidem habent veram humilitatem exteriorem & interiorem facientes amaram Pœnitentiam.* Nec mirum, quòd verè pœnitentes portent Christum cum MARIA; MARIA enim oritur & deducitur ab Hebræo *Mar*, &, teste S. Hieron. L. de nomenclat. Hebræ. *Myrrhæ congeriem* significat. Quid autem aliud est Pœnitentia quàm Myrrha, id est, amara? Portavit MARIA Christum in utero, ità ut corpus ejus, quemadmodum post alios docet Salmeron T. 3. tract. 9. fol. 99. non ex quovis corporis sangvine, sed sangvine Virginei cordis sit efformatum. Unde verò, nisi ex pœnitentis lacrymis, quæ sunt sangvis cordis seu Amoris, Christus rursum efformatur? *Pœnitentia Dominum parturit.*

§ 6. Christi Matri Baptismus Pœnitentis confertur.

S. Leo Papa de Baptismo Christi sic loquitur serm. 5. in Festo Nativit. *Originem, quam sumpsit in utero Virginis, posuit in fonte Baptismatis, dedit aquæ, quod dedit Matri.* Ergo Baptismus, Christi Mater est juxta hunc S. Pontificem, assentiente etiam D. Hilario in Psal. 2. v. 7. cùm ad Christi Baptismum refert illa verba: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et S. Augustinus serm. 36. de die Baptismatis ait: *Hodie Natalis est quodammodo Salvatoris.* Quòd si verò Baptismus est Mater Christi, quis inficiabitur pænitentiam esse Christi Matrem, cùm Pœnitentia, teste Petro Damiano L. 4. fidei Ortho. c. 10. sit *Baptismus laboriosus.* Et ad hunc Baptismum hortatur nos Laurentius Novariens. L. de Pœnitentia sic: *Noli tu jam quærere neque Joannem neque Jordanem, ipse tibi esto Baptista, baptiza teipsum laborioso Baptismo Pœnitentiæ.* Et quia, teste memorato Leone, *eam originem posuit DEus in Baptismo, quam sumpsit in utero Virginis,* Ergo Pœnitens pariet, & erit spiritualiter Mater Christi. Hæc ergo causa est, cur S. Mater Ecclesia sacro Adven-

tûs tempore ante Festum Natalis Domini diem nos ad pœnitentiam hortetur, & JoannemPræcursorem, & Pœnitentiæ Præconem nobis proponat. Vult nimirum sacro instante Natalis Domini tempore nasci in nobis Dominum per gratiam, qui olim ex MARIA natus est per carnem.

§ 7. Qualis debeat esse Pœnitentia, ut Dominum pariat?

Duo, quæ ad finem adjungam, habeo, ut tantò certiores simus spiritualis partùs Domini mediante Pœnitentiâ: ut veræ DEI Genitrici Christi MARIÆ similis sit Pœnitentia nostra, & dissimilis. Paradoxum loqui videor. Explico me.

1. MARIÆ similis sit Pœnitentia nostra nimirum sit Virgo non vetula; matura, non procrastinata de die in diem, de anno in annum, &, ùt multorū, in decrepitam senectutem. Cùm enim, teste Augustino, *Pœnitentia sera, rarò vera fit*, rari eiusmodi Pœnitentes Dominum parient. sicut enim miraculum fuit, quòd Elisabeth, Anna &c. ætate provectâ & effætâ fructiferæ sint effectæ, & pepererint filios, ità, testibus Patribus, si non miraculum, certè miraculi ad instar, ut differens nimiùm Pœnitentiam, seriò pœniteat, & Filium DEI spiritualiter, ipsius putà gratiam pariat.

2. Dissimilis DEI Genitrici MARIÆ sit nostra Pœnitentia. MARIA sinè dolore Christum peperit; Christum autem & ejus gratiam sinè sincero cordis dolore non parit Pœnitentia. Lucas Pinellus L. 1. de altera vita c. 5. refert, superiori sæculo fuisse Canonicum Parisijs, qui in supremo morbo Sacramentis omnibus munitus è vivis excessit; extra dubium erat, pœnitentiâ quòd ipse suâ Dominum pepererit, sed secùs factum. Defuncti anima post mortem Amico cuidam suo comparens manifestavit; qualiter nimirum æternùm damnatus sit. Admiratione & metu plenus quærit Amicus: nunquid non pœnitentiam egisti? Egi, reponit ille, sed sinè vero dolore emendationísque proposito. O! quàm ego metuo, nè hodiedum multorum Pœnitentia talis sit, sinè dolore, sinè emendationis proposito, ac proinde Christum illis non pariat. Veræ Pœnitentiæ exemplum fuit S. Thomas Apostolus; cujus festum fors ideo S. Ecclesia agit hoc tempore, quo ad pœnitentiam nos hortatur. Virgo erat illa; posteaquam enim incredulitate peccavit, non procrastinavit pœnitere, sed primâ comparentis Christi occasione pœnituit. 2. Dolorosa erat: quod cor frangentia verba illa significant, in quæ prorupit: *Dominus meus & DEUS meus.* Joannis 21. habetur, qualiter Christus Discipulis suis in littore se manifestârit. Petrus audiens appropinquare Dominum, *tunicâ se succinxit* (*erat enim nudus*) *& misit se in mare.* Examinemus, an non per peccata à JESU elongati simus, & ideo gratiâ meritísque nudi. Si ità est, *Ecce Dominus propè est*, clamat. Ecclesia Appro-

pinqua,

pinquat, & in cordibus nostris esse vult. Accingamur tunicâ bonorum operum: immittamus nos in mare veræ Pœnitentiæ, & pariet Dominum. Ubi autem in Eucharistica sumptione secundùm Carnem & sangvinem in corde & anima nostra natus fuerit, amplectamur eum cum MARIA Matre ejus, verbis sponsæ utentes Cant. 3. *inveni quem diligit anima mea.* Aut cum Thoma: *Dominus meus & DEus meus.*



PRO-

PROBLEMA XXXII.

Quare Sanctus JOSEPH cum infante JESU timuerit redire in Judæam?

DOMINICA ANTE EPIPHANIAM.

Timuit illò ire. Matth. 2. v. 22.

§ I. Ideo Joseph cum puero Jesu declinat Judæam, ut mortis declinet periculum. Declinent malos innocentes, ut perseverent innocentes.



Favete cœli, ut contentos lapsis diebus oculos meos, & in Bethleem stabulo, amabili objecto, ibi nati parvuli occupatos, aliquantùm hodie laxare possim, ut extra Bethleem in publicis in Ægyptum ducentibus vijs exspatientur.

Sed quid primo oculorum jactu video? video hoc aspero frigidóque hyemis tempore terrestrem Trinitatem, tenerum JESUM, MARIAM, & Joseph itinerantes. O tenerrime! O pauperrime! O infans JESU! vix nuper pretiosum sangvinem in Circumcisione tua profudisti pro salute hominum, & jam de vita tua periclitaris, jam ad mortem quæreris? Id ipsum nupero manè profusus roseus sangvis nobis prognosticavit: *manè rubens cœlum venturos indicat imbres.* Tu vivum cœlum rubuisti â profuso sangvine, hic rubor imbris persecutionis, quam pateris, fuit præsignificatio. Hanc effugiturus Divinus infans JEsus in Ægyptum fugerat, ibíque tam diu mansit cum Maria & Joseph, quoadusque Joseph esset in somnis instructùs, de morte eorum, qui vitæ Pueri insidiabantur. Et quamvis admonitor Angelus Josephū in terram Israël seu Judæam abire jusserit, ipséque monito paruerit & venerit in terram Israël; nihilominus audiens regnare in Judæa Archelaum pro Patre Herode, *timuit illò ire,* & prout in somnis monitus est, secessit in partes Galilææ, & habitavit in Nazareth; nè videlicet novo mortis discrimine se, innocentémque filium JEsum exponeret. *Per quod monemur* (ait Paulus à Palatio in.

Cap

Cap. 2. Matth.) *ut licet DEUM nobiscum habeamus, eò tamen timeamus ire, ubi filij iniquitatis regnant.* neque enim S. Joseph sibi tantùm timuit ab Archelao malo filio pessimi patris Herodis, sed ut plurimùm consilio innocentissimo JESU: ut hinc discant adulti omnes, & potissimùm parentes à consortio malorum, non solùm cavere sibi, sed vel maximè innocentum sibi commissorum curam gerant, nè malorum consortio utique periculosissimo jungantur.

§ 2. Nil difficilius quàm inter malos manere bonum.

Aristippus apud Stobæum serm. 35. cùm mota esset quæstio: *quid in orbe difficillimum*? respondit: *Virum probum inter improbos probitatem servare. Serpunt enim* (ut ait Seneca L. 2. cap. 7. de tranquill.) *vitia, & in proximum quemque transiliunt, & contactu nocent.* Verissimè Isidorus, L. 2. soliloqui: *ante ignem consistens, nisi ferreus sis, aliquando dissolvêris.* Expert' id est damno suo Petrus ad ipsam usque mortem continuis deplorato lacrymis, qui stans ante ignem ô quàm dissolutus est! nemo magis novit Christum quàm Petrus, *Tu es Christus*, consistit ùt *petra* in partibus Cæsareæ. Quid generosius Petro in cænaculo? *tecum paratus sum*, &c. Quid fidelius Petro in horto? *Simon ergo Petrus habens gladium, eduxit eum, & percussit Pontificis servum.* Tunc Petrus erat in bona societate: tunc erat cum JESU, & JESU discipulis. verùm vix atrium Pontificis ingressus cadit: aulam intrat, & bonus esse desijt: ad focum stat, & dissolvitur: vult calefieri, & tepescit, imò obrigescit: ibi nil Petro fragilius, timidius, inconstantius. Nimirum Petrus bene dixerat: *Tecum paratus sum*, q. d. quamdiu tecum sum, constans in tui amore & fide ero; si inter malos, non constabo mihi. *Quàm noxia pravorum colloquia!* (ait Glossa ord.) *inter infideles homines negavit se nôsse, quem inter discipulos jam Filium DEI fuerat confessus.*

§ 3. Unde Centurio Christum in Cruce justum, unde Dei agnoverit Filium?

O si Petrus timuisset *illò ire*! O stetisset *à longè*, non caderet tam profundè. Stare cum peccatoribus, habere cum malis societatem, esse in peccandi occasione, & non peccare, malum non fieri, rarissimum est, & certum est, quòd talis verè, & exquisitè bonus, imò Dei filius sit.

Quid putatis A A. Voluerit sibi illa conversi Centurionis vox: *verè hic homo justus erat*! sive ùt habet Marcus c. 15. *Filius DEI erat*! nisi ut testimonium daret, Christum verè esse justum, & plus quàm hominem, quòd à mala latronis societate non corrumperetur. videbat Probum inter improbos, unde sic arguebat: inter malos non est malus, ergo Filius Dei; tam enim rarum & mirum, non corrumpi à malo, ut vix certius esse possit Deitatis indicium.

S. Propheta Isaias cap. 40. v. 6. die quadam vocem audit dicen-

tem

tem sibi: *vox dicentis clama: & dixi: quid clamabo? omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus quasi flos.* Ubi notandum: quod omnem carnem (excepto Incarnato Verbo) dicat; ecquis igitur sperare poterit si ad ignem accedat, se ab igne non corripiendum, si nec Petræ (intellige memoratum Petrum) securæ sunt. *Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, ut vestimenta illius non ardeant; aut ambulare super prunas, ut non comburantur plantæ ejus?* inquit Salomon Prov. 6. v. 27. Unde monet B. Laurent. Just. *devita opportunitatem peccandi, quia ante ignem consistens, etiamsi frigidus sis, aliquando dissolvêris, proximus periculo, diu tutus non erit.*

§ 4. Quemadmodum ignis materiam aptam facilè corripit, ità peccaminosum consortium.

Papilio luminis splendore allectus, eò usque lumen ignis circumvolat, donec alas comburat & pereat. Idem multis animabus accidit, quæ cum hac illáve persona periculosas fovent conversationes & societates, licet sub specie amicitiæ aut alio honesto prætextu continuent, tandem si non illicito igne ardeant, à fumo tamen ad minimum nigrescunt. *Nunquid enim tu saxeus es* (quærit S. Chrysostomus) *num ferrum es? Homo es communi naturæ imbecillitati obnoxius, ignem cernis, nec ureris? An istud rationi consentaneum est? lucernam in fœnum pone, & tunc vide, an non fœnum exuratur? quod porrò fœnum est, hoc quoque natura nostra est.* Memini me in Concione de peccato veniali dixisse, quàm miserè Carolus Navarræ Rex periêrit. periculosiùs is ægrotabat, morbo pellendo hoc datum à medicis consilium: ut linteo cremato intincto insueretur, cui dum candela abrumpendo filo admoveretur, flammam concepit, quæ priusquàm extingueretur, Rex est extinctus. In pari discrimine versamur AA. cujusque anima corporis hujusmodi quasi linteo involuta est, concupiscentiæ fomitem quaqua versum circumferimus, & levi digiti, aut manûs attactu ignem concipimus & miserè sæpe animo tenus conflagramus, dum incauti appropinquamus.

§ 5. Tetigisse vel leviter, est periisse.

De Maria Stvarta Scotiæ Regina refert Causinus L. 4. Aulæ sanctæ. Induxerat illa regno, & in aula sua foverat Nobilem Adolescentem, quem propter eximia naturæ dona charissimum habuit, qui sibi conscius de reginæ gratia & favore, die noctúque in- & egredi secretum reginæ conclave audebat; ergo nocte quadam illius cubiculum ingressus, suspenso gradu, nè quiescentem, si dormiret, excitaret reginam, lecto regio appropinquans dormientem reperit Stvartam, brachiúmque aliqua parte nudum lecto dependere notat; accedit intentione optima, manum attingit, modestè semel iterúmque basians: excitatur Regina territa, nec sciens, quis esset manum tangens, exclamat: cubiculo aliquem irrepsisse. exciti vigiles accurrunt, misellum juvenem deprehendunt, & priusquam, quid egisset, audirent, miserè gladio confo-

diunt.

diunt. In conclave reginæ ivisse, nudam manum solùm tetigisse fuit perijsse.

O quot honestæ & castæ aliàs Virgines & Innocentes juvenes Domini & Dominæ, quia incauti hanc aut illam domum, hoc aut illud cubiculum, maximè ad tenebras, ingressi, tactu manûs incipientes, eò tandem pervenêre, ut JESUM ejúsque gratiam perdiderint cum animæ jactura! Time cum JOSEPH *illò ire*, unde quoties redivisti, cum jactura gratiæ & DEI ferè semper redivisti.

Franciscus Salesius elegantem adducit similitudinem hujus veritatis: Hominem peccata quidem aversantem, sed non satis occasiones & pericula declinantem, dum ait, aliquos abstinere â peccatis, ut ægri â melonibus, aliísque fructibus crudioribus, quos tametsi medicus sub jactura vitæ illis interdixerit, nequeunt tamen sibi temperare, quin manu contrectent & odorentur; quò fit, ut dum orexis movetur, & saliva in ore est, quandoque procedant ad saporem & esum.

§ 6. Solus quandoque aspectus nocet.

Genesis 2. posuit DEUS lignum in medio paradisi, cujus fructus edere, sub pœna mortis vetitum; Utque occasionem omnem præscinderet DEUS, & timerent Proto-parentes illò ire, posuit illud in medio paradisi. Alijs arboribus abditum, nè (ùt rectè Procopius) *dum frequenter illud cernerent, quasi quibusdam irritamentis illecti, in datam legem peccarent, & manifestum incurrerent exitium.* In quod ut induceret serpens, Evæ suggessit, ut arborem curiosè consideraret, fructum videret minimè esse vetitum. Successit conceptus serpenti, *ivit illò* mulier Gen. 3. v. 6. *vidit igitur mulier, quòd bonum esset lignum ad vescendum, & pulchrum oculis, aspectúque delectabile.* Tum persvasit, si fructum legeret ac manu tangeret, odore exploraret, non morituram. Ergo *tulit de fructu illius.* O Eva! aspexisse, & tetigisse, perijsse est! mox enim sequitur: *comêdit*: & ecce cum illa omnes filij morimur. Ejusmodi hodiedum dæmonis sunt suggestiones, quibus ùt culices & papiliones in perniciem inducere solet; dum, ùt indubitatum habetur, in familiari consvetudine, primùm nil periculi honesto cuipiam juveni à virgine imminere, si puellam antehac juvenem sæpius visat, oculos in istam aut illam conjiciat, diutius loquatur, manum porrigat, charissimum det osculum, quid hoc mali? quid peccati? & tandem *tulit de fructu illius*, perit innocentia, castitas, gratia. Ità nimirum scintilla, quæ in fomitem cecidit, grande excitavit incendium, ignem libidinis tantum, qui nisi tempestivo largóque lachrymarum fonte pœnitentiæ seriæ extingvatur, ardebit usque ad inferni novissima.

§ 7. Ut curet Christus malè affectos malorum extrahit consortio.

Marci 7. v. 33. cùm devota illa turba hominem illum surdum & mutum

mutum Christo præsentâsset (figuram peccatoris) plenè quidem sanavit, cælestis Medicus, sed *apprehendens eum de turba seorsum*; cujus rei causam addit Eusebius Gallicanus: *hæc turba, de qua hic homo à Domino trahitur, vitiorum est multitudo, qui de hac turba non trahitur, â Domino non sanatur.* Idem Dionysius Carthusianus serm. 2. in hac Dominica asserit: *In hoc datur intelligi, quod DEUS eos, quos à vitijs curat & salvat, oportet prava vitare consortia.* Sic cum alijs fecit Christus, quos aut â morte, aut morbis corporis, qui erant mortis animæ aut infirmitatum figura, curavit: suscitatum Lazarum *jussit abire*: Joann. 11. v. 44. mulieri Samaritanæ inspiravit, ut exiret de Samaria: Joan. 4. v. 28. cæco illi visum redditurus, *apprehensâ manu cæci, eduxit eum extra vicum* Marci 8. v. 23. *quasi eum curare non potuerit in loco*, Petrus Chrysologus. serm. 176. Licet verò nunquam non periculosa sit malorum Societas; periculosissima tamen est teneræ ætati, ad malum magis pronæ. *adolescentia pervia videtur incomodis* ajebat Cassiodorus; tunc autem vel maximè, cùm aliorum præsertim malorum utitur contubernijs, *tunc enim alter alteri pro vitiorum fomite est* ait apud Naxeram in Libri Judicum c. 17. Construxerat sibi Michas idolum, ædificavit ædiculam, atque è filijs unum adolescentem, imò puerum in idoli Sacerdotem extulerat: *implevitque unius filiorum suorum manum, & factus est ei Sacerdos.* v. 5. Non multò post cum Levites adolescens in Michæ domum divertisset, ibi adolescentis consortio sic â religione descivit, ut idoli Sacerdotium susceperit; v. 7. *Fuit quoque alter adolescens de Bethleem Juda ex cognatione ejus: erâtque ipse Levites, & habitavit ibi. Mansit apud hominem, fuitque* v. 11. & 12. *illi quasi unus de filijs. implevitque Michas manum ejus, & habuit puerum sacerdotem apud se.* Expende illud: *Alter adolescens*, id est æqualis ætate filio, cognatus. Ergo hic dum apud Micham divertit, dum cum filio Sacrificulo agit, videt quæ ipse agit, ; fit quod ipse sacrificulus. Connivete Parentes: finite puerum, filium, aut filiam domum amici intrare, in qua malæ frugis sint proles: mox pares illis efficientur.

§ 8. Malorum consortium ætati teneræ periculosissimum.

Filij Heli in flore juventutis cum puero paris ætatis agunt, ministro omnis impietatis. 1. Regum 2. v. 13. *Veniebat* (inquit Scriptura) *puer Sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuscinulam tridentem in manu sua, & mittebat eam in lebetem.* Qualis Sacerdos! audi: *erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino.* Quorum puerorum? jubentium & famulantis. Fratres pueri, cum famulo puero agitant consilia, ad sacrificia surripienda; servus puer effert fuscinulam ad rapinam. O! quanta fuit Heli incuria, dum cum pueris puerum agere permittit! peccant unà; & ideo fors punitur, ut &

ipse,

ipſe, & filij miſerè periêrint, parentibus in doctrinam, quàm periculoſum ſit, & quam pœnam metuere debeant, ſi illorum conniventiâ aliquid mali agant filij.

Danieli in lacum leonum projecto, miſit Dominus Angelum in cuſtodiam, qui ora leonum, nè nocerent, clauderet. Daniel. 3. *DEUS meus miſit Angelum ſuum &c.* Eripiendo â leonum ferocia Danieli angelus mittitur. At pueris in fornacem ardentem miſſis aderat Filius DEI. *Species quarti* (ait Nabuchodonoſor) *ſimilis filio hominis.* nimirum ubi puer Daniel ſolus, non eſt tantum periculum, quàm ubi tres coætanei.

Ejice ancillam hanc & filium ejus Genes. 28. v. 20. (Sara rogat Abrahamum) videns cum ſuo Iſaac currentem Iſmaëlem; Iſaac erat bonus, petulans Iſmaël. nè ab hoc ille ſeduceretur, rogat ejici.

Concludo cum Petro, quocum pœnè cœpi. Actorum 12. Petrus memoratur vinctus in carcere; pòſt & vinculo ſolutus. vinctus in carcere, figura eſt peccatoris; vinculis ſolutus, figura pœnitentis.

Petrus ab angelo expergefactus, juſſus ſe induit, catenæ ſolutæ liber fuit: Sed eſto vinculis exſolutus eſſet; quia tamen nondum erat carcere egreſſus, *exiſtimabat ſe viſum videre.* v. 9. tandem procul jam carcere credebat ſe liberum, aítque v. 11. *Nunc ſcio verè quia miſit Dominus angelum ſuum, qui eripuit me de manu Herodis.* Hoc ego ad peccatorem applico: blaſpheme, injuſte, incaſte, confitere prout vis, & quoties lubet: ſolvat te Sacerdos à vinculis peccatorum, te plenè liberum non credam, niſi carcere, id eſt occaſione egrediâre. Hoc facto dicam: nunc ſcio verè, tunc credam te ſeriò nolle peccare, ubi verificatum fuerit: *timuit illò ire.*



PROBLEMA XXXIII.

Cur in medio inventus JESUS?

DOMINICA I. POST EPIPHANIAM.

Invenerunt illum in medio Doctorum. Luc. 2. v. 46.

§ 1. Jesus semper in medio.



Taceat nunc Romana Papyrium Prætextatum adhuc ex ephebis nondum egressum & tamen jam inter Romanos Senatores conspicuum: de quo A. Gellius libro 1. cap. 23. Taceat Ægyptus Adolescentem Joseph, medium inter Satrapas, fortunatissimum somniorum interpretem: Genesis cap. 41. Taceat Judæa puerum Danielem, medium inter populi seniores, pro innocentis & morientis Susannæ vita ac libertate nervosè perorantem: Danielis cap. 13. Taceat Israël Salomonem, ætatis anno duodecimo postulantem à Deo sapientiam, inauditámque impetrantem: Libro 3. Regum cap. 3. Hos inquam aliósque taceat mundus; at JEsum loquatur, laudet, & deprædicet, anno ætatis duodecimo medium inter Doctores considentem, & ad stuporem omnium eis sapientissimas quæstiones proponentem, & ad eorum respondentem. Bene de venturo Messia vaticinatus est Propheta Regius Psal. 83. *operatus est salutem in medio terræ.* in medio inquam: utpote qui principaliora salutis nostræ opera, alios inter, medius operatus reperitur. Nascitur in medio: *cùm medium silentium tenerent omnia*: *in medio duorum animalium cognosceris*, inquit Habac. 3. Cùm primùm in templum illatus est puer JEsus, præsago de illo ore & spiritu cecinit David. Psal. 47. *Suscepimus DEUS misericordiam tuam in medio templi tui.* Ubi ætatis annum attigit duodecimum, à mæstis perditus, & quæsitus parentibus, in templo in medio Doctorum invenitur. Munus Prædicatoris obiens stat medius: *Medius autem vestrûm stetit*, inquit Joann: 1. Ad Salutis humanæ consummationem properans, crucem bajulans, & in

ea

ea pendens, medius inter latrones ducitur & moritur. *Crucifixerunt eum, & cum eo duos alios hinc & hinc, medium autem JESUM.* Joann. 19. A mortuis resurgens, tristibus affuturus solatio discipulis: *stetit in medio illorum* Joann. 20. pacem apprecans. Ubi denique gloriosus in cœlum abijt, seditque ad dexteram Patris, visus est Apocalypticæ aquilæ c. 1. v. 20. *in medio septem candelabrorum aureorum.* Cur autem JEsus tenuerit medium, sequens evoluet Concio.

§ I. Jesus tenet medium, quia æquus est omnibus.

Causam assignat S. Bernardus sequentem: quam dudum ante extulit Tertullianus Lib. adverf. Judæos. cap. 7. quod æquus sit in omnes nullique propinquus magis. *Non Regis apud illum major gratia, non barbari alicujus imperiosa lætitia, non dignitatum aut natalium cujusquam discreta merita: omnibus æqualis, omnibus Rex, omnibus DEUS, & Dominus est.* ità Tertullianus. Et S. Bernardus in suprà allegata verba: *suscepimus DEUS misericordiam tuam* &c. *In medio templi misericordia est, non in angulo, aut diversorio, quia non est acceptio personarum apud Dominum, in communi posita est, offertur omnibus, & nemo illius expers, nisi qui renuit.* Nimirum sic se habet JEsus, ùt hic sol aspectabilis, qui, ùt scitè advertit Sanctus Ambrosius Lib. 4. Hexamer. c. 6. *à nullo distat, nulli præsentior, nulli absentior est.* Quod in Christo JEsu, hoc & in Deo notat Divus Augustinus in psal. 45. in illa Psalmistæ verba: *DEUS in medio ejus. Quid, inquit, est DEus in medio ejus? hoc significat: æquus est omnibus DEus, & personas non accipit: quomodo enim illud, quod in medio est, paria habet spatia ad omnes fines; ità DEus esse dicitur æqualiter omnibus consulens.* In exemplum eorum, qui favente Numine, ut præsint alijs, electi sunt, ut & ipsi sint in medio eorum, quibus præsunt hoc est, æquales in omnes, æquè distiti, æquè propinqui, omnibus æquâ manu beneficia sua favorésque distribuentes, non in unum aliquem profusè cogentes omnia, & alios sicco alveo destituentes, quod est contra boni Principis, ipsámque donorum naturam. De quibus extat illud Regis Theodorici L. 3. epist. 29. apud Cassiodorum: *hoc sunt regia dona, quod semina, sparsa in segetem coalescunt, in unum coacta depereunt.*

§ 3. Alia causa cur in medio Jesus ut discretionem nos doceret, sine qua nulla est virtus.

Aliam cur Dominus in medio steterit, & cur in medio Doctorum sedens inventus JESUS, causam assignat Didacus Nissenus Periochâ 3. Dominicæ in albis. *voluit*, inquit, *nos eo facto Divinus Præceptor docere modum, quem in omnibus nostris operibus servare debeamus medium, scilicet seu discretionem, sinè qua nulla virtus.* Virtus (unde Creaturæ sua laus) generatim loquendo, significat cujusque creaturæ vigorem, & bonam dispositionem, à quo vigore & dispositióne quævis res bo-

na & perfecta denominatur. Ità definit Aristoteles Lib. 2. Ethicorum c. 6. *Virtus est, quæ bonum facit habentem, & opus ejus bonum reddit.* Sic virtus v. g. oculi, est interior vigor, & dispositio, clarè & constanter videndi; Equi, promptitudo currendi, aut sessorem portandi ab his namque oculus, aut equus dicuntur boni: Humana proinde virtus, seu hominis, est ille vigor, & dispositio, propter quæ homo, & ejus operatio dicitur bona ità, ut unum, idémque sit esse bonum, & esse virtuosum. Et quia homo secundùm animam rationalem duplici pollet facultate operandi; Intellectûs scilicet & Voluntatis, sunt etiam duplices hominis virtutes; Voluntatis nempe & Intellectûs; quæ virtutes singulas perficiant Potentias v. g. Intellectum, Sapientia, & Scientia, de quibus Aristoteles Lib. 6. Ethicorum cap. 7. Aliæ voluntatis, seu morales, quæ propriè sunt virtutes, quia propriè hominem bonum reddunt. Tales sunt Justitia, Fortitudo, Prudentia, Temperantia, quæ Cardinales dicuntur, sic dictæ: quia omnes aliæ morales, putà Vigilantia, Patientia, &c. ad eas revocantur & illis subordinantur.

§ 4. Omnis virtus in medio.

Jam verò omnes virtutes morales, vi quarum homo bonus, laude & merito dignus, apud DEum & homines efficitur, in medio constant, seu discretione, ità ut sinè hoc medio, non virtutes, sed vitia sint, ùt suprà memoratus Aristoteles clarè docet. Cui concordat Severus Boëtius Lib. 4. de persona Christi, tomo 2. *omnis*, inquit, *virtus in medio rerum decore locata consistit, siquidem ultrà vel infrà, quàm oportuerit, fiat, à virtute disceditur, medium igitur virtus tenet.* Verbi gratiâ, qui facilè omnia metuit, nil aggredi audet, timidus est; contrà verò qui audet omnia, quidvis sinè discrimine aggreditur, estò ultra vires, pro audace habetur. Medius horum, qui cum discretione agenda aggreditur, confidit, sed & metuit, quando & ubi oportet, fortis est &c. Unde sæpius memoratus Aristoteles concludit: quia medium tangere difficile est, multò plura dari vitia, quàm virtutes. *Curare ergo prudenter debemus* (monet Didacus Nissenus) *ut discretionem in omni casu teneamus, sic, ut nec plus æquo, nec minùs debito faciamus, quia par in utroque periculum est.*

Expendit S. Chrysostomus id, quod Petro, in qua nocte ultimò cum discipulis Christus cænavit, accidit. Hoc tempore exemplum humilitatis daturus nobis, Discipulis suis pedes lavit, cùm ad Petrum ordine venisset, viderétque Regem Regum, pedibus accidere, attonitus exclamat: *Domine tu mihi lavas pedes? non lavabis mihi pedes in æternum!* Joan. 13. v. 6. & 8. comminatur illi Christus, ni admittat officium: *si non lavero te, non habebis partem mecum.* Territus hac Domini commina-

minatione Petrus: *Domine*, inquit, *non tantùm pedes, sed & caput, & manus &c.* ibid. v. 9. Quæ verba expendens D. Chrysostomus: *in recusando*, ait, *vehemens Petrus, in permittendo vehementior. Notandum* (sunt verba Didaci Nisseni) *quòd Petrus, tamesi amor illum non nihil excuset, bis peccavit, & cùm lavari recusavit, & cùm id obsequij à Christo admittere voluit, primò cùm pedes Christo, quos petebat, negavit; tum post hæc, quòd majorem partem, quàm Christo constitutum ac lubitum, lavari cupijt.* Quid porrò agat Petrus, ut virtuosè agat? *medium* & discretionem servare debuisset. *Omnium ciborum sal salubre condimentum est, si mensura non desit*, inquit Petrus Chrysologus serm. 125. *alioquin sinè modo, & ipsum perit. amaricat enim nimietas, quæ poterat condire mensura.*

§ 5. Sal dicuntur Apostoli, ut servent, & doceant discretionem in omnibus.

Et hoc est, quòd Christus ad discipulos suos, quos non tantùm Apostolos, sed exempla insuper omnigenarum virtutum, orbi Christiano constituit, dixerit Matth. 6. *Vos estis sal terræ*, hoc pacto indicaturus: quomodo ijs, in omnibus actionibus, ut eæ essent virtuosæ, medium servandum fit. Pulchra virtus, Deo grata, homini pernecessaria, est mortificatio, ut quis rebellem carnem domet, & impuro Asmodæo fræna injiciat, & svadet utrumque cælestis Magister Marci 9. v. 29. causam assignans. *Hoc genus dæmoniorum non ejicitur nisi in oratione & jejunio.* At si quis immoderatâ nimiùm inediâ & oratione se tantùm non exanimaret, ac præsenti periculo mortis exponeret; is meritum virtutis perderet, & mortificatio ipsius non ampliùs virtus, sed vitium esset. Ad carnis virtuosam emacerationem invitans Christus ait: Luc. 9. v. 23 *si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Adverte diligenter verba hujus dicti* (monet Galfridus L. 1. Epist. 13.) *quod generatim omnibus Christianis proponit; quicunque ità sequi illum volunt ut assequantur; bajulare quidem Christus crucem jubet, non quærere sepulturam. Pius Dominus est* (loquitur citatus Didacus Abbas) *idcirco non vult, ut sui gratiâ consciscant sibi necem, quos habet ab obsequijs, sed ut ad regulam discretionis ità exigant sua opera pœnitentiæ, nè justam normam excedant. Medium tenere via beatitudinis est.*

§ 6. Virtus, quomodo non virtus, nisi in medio, exemplis demonstratur.

Pulchra virtus est, & creberrimè in scripturis recommendata, ut homo in quavis corporis animæque constitutus necessitate, spem suam ponat in Domino, id quod svadet psal. 54. v. 23. David: *jacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* Sed medium tenendum; si quis enim epulari vellet quotidie splendidè, laborare parum, aut nihil pensi habere, quid ipse, quid sui in crastinum sint habituri, jactans illud, sed sensu longè alio, quàm in

DEum

DEum projectus ab utero David: psal. 39. v. 18. *Dominus solicitus est mei.* Non virtuosa confidentia, sed vitiosa præfidentia foret; metueréque posset talis, nè ipsi accidat, quod cuidam Eremitæ accidisse scribit Cassianus Collat. 2. c. 6. *Paverat* hunc aliquo tempore miraculosè DEus, submisso per angelum cibo, qui postmodum præfidebat, nec curam ullam quid comederet habens, imò nec aliud, nisi quod ab angelo allatum esset, manducare volens, hac suâ præfidentiâ, inediâ mortuus est. Audi quid Scriptura dicat Gen. 2. v. 15. *Posuit Dominus DEUS hominem in paradiso.* Sed quo fine? fors ut die totâ spatiaretur? minimè, sed ut *operaretur.* Si DEus hoc jam tum in statu Innocentiæ petijt ab homine, ut labore manuum suarum victum mereretur sibi, quantò amplius id requiret ab homine post peccatum? *in sudore vultûs tui vescêris pane.* Gen. 3. v. 19. Sed nec nasutus quispiam mihi oggerat illud Christi, Matth. 6. v. 34. *nolite soliciti esse in crastinum, quid manducetis &c.* Scio ego hæc ipsa soliciti Patris nostri verba esse, sed & scio, quo sensu ea protulerit: eo nimirum, quem Glossa interlinearis insinuat: *non labor, & providentia prudens damnatur, sed solicitudo suffocans.* Immodica videlicet, qualis multorum est; qui affectu nimio temporalium abrepti, totâ hebdomadâ solicitudinibus pleni laborant, imò vix festis & Dominicis diebus sacro audiendo semi-horam inveniunt, vix hebdomadâ Sanctâ, aut sacro Paschæ die tempusculum, confessioni & communioni aptum. Ejusmodi, quia nimia, dissvadet Christus, non verò moderatam curam temporalium. Joco-serio memoratum Christi monitum: *nolite soliciti esse in crastinum*, Libello 100. historiarum, pulchrè explicuit rei ipsâ Regi Lusitaniæ pauper, sed eximius Theologiæ studiosus, cui postquam die Jovis sancto cum alijs Pauperibus Rex pedes abluisset, & omnes unà frugali mensâ refecisset, notavit dictum Theologum solicitâ curâ mensæ reliquias vasi testaceo coacervantem, quod notans Rex sciscitatur: cui rei studeret? cúmque studiosus reponeret: se Theologiæ dare operam, admirabundus Rex ait: parum videris Theologiam intelligere: ignorare videris illud Scripturæ: *Nolite soliciti esse in crastinum.* Cui facetè studiosus: quin, inquit Serenissime Rex bellissimè intelligo, nam ob id ipsum, nè cras curam ullam habeam, hodie solicitè mihi provideo. Nimirum *non labor, & providentia prudens damnatur, sed solicitudo suffocans.*

§ 7. Irasci non est semper peccatum.

Plerumque simplices scrupulo anguntur, séque toties peccare arbitrantur, quoties irascuntur; sed enim moderata & justa ira non peccatum, quin imò virtus est; & creberrimè in Scripturis ipsum DEum iratum fuisse legitur. Sed virtus in *medio. Irascimini & nolite peccare* hortatur DEus per Psalmistam psal. 4. v. 5. si Pater aut Mater irascaris quandoque prolibus malè feriatis,

si Domi-

si Dominus, aut Domina subditis & servis, dum officium suum perperam agere, vitam Christiano homine indignam eos ducere animadvertis &c. virtus est sic irasci. quòd si in furiam sic agâre, ut fremas dentibus, evellas crines, spumes ore &c. fulmina & tonitrua cieas, tot Sacramenta, quot in nullo catechismo reperire est, agglomeres; si ità irascaris, ut proli, marito, subdito, totâ non loquaris hebdomadâ, perdius & pernox speculeris, qualiter vindictam sumas, hoc enim verò hoc peccatum est, non virtus, sed vitium. *Omne nimium vertitur in vitium.*

Virtus est correptio fraterna, quam svadet Scriptura, & ad quam quandoque sub peccato obligamur: *unicuique enim mandavit de proximo suo.* Ecclesiastici capite 17. v. 12. Proxima marito uxor, uxori maritus est; hunc si quandoque sapiens mulier reprehendat, *fortis*, id est *virtuosæ* nomen meretur, hoc tamen pacto, ut *medium*, ut discretionem, ut temporis opportunitatem observet.

§ 8. Uxor exemplo Abigailis maritum reprehendat.


Sic medium servavit Abigail 1. Reg. 25. Intellexerat hæc ab uno de pueris suis: *Ecce David misit nuntios de deserto, ut benedicerent Domino nostro* (Nabal is erat, stultus juxta nomen suum) *& aversatus est eos &c. quam obrem considera & recogita quid facias: quoniam completa est malitia adversus virum tuum, & adversus Domum tuam, & ipse est filius Belial, ità ut nemo possit ei loqui. Festinavit igitur Abigail, & tulit ducentos panes &c. Cùm autem vidisset Abigail David, festinavit & descendit de asino, & procidit coram David super faciem suam.* Et panum vinique oblatione placavit David. Quo feliciter peracto venit Abigail ad Nabal: *& ecce erat ei convivium in domo ejus, quasi convivium Regis, & cor Nabal jucundum: erat enim ebrius nimis.* O quantâ furiâ imprudens aliqua mulier maritum talem increpâsset! sed quid Abigail sapiens, *non indicavit ei verbum pusillum, aut grande usque manè*, inquit Script. v. 36. *Medium* tenuit, discreta fuit, temporis opportunitatem præstolans. *Diluculo autem, cùm digessisset vinum Nabal, indicavit ei uxor sua verba hæc*, notate quàm fructuosè: *emortuum est cor ejus intrinsecus & factus est quasi lapis.* Sic sic observato medio reprehendant uxores quandoque maritos, sed *medio*, discretione, opportunitate servatâ, ne importuna reprehensio discordiarum sit seminarium, & pro verbis reprehensorijs reportentur verbera. Virtus denique est severitas parentum in filios & filias; & svadet hanc Scriptura Prov. 23. *Tu virgâ percuties eum, & animam illius de in-*

ferno liberabis. Sed virtus in *medio,* moderata & discreta sit oportet correctio. *In camo & fræno maxillas eorum constringe* monet Psal. 31. v. 9. Hebræus: *in flagello & fræno.* Flagellum severitatem, frænum moderationem significant. Annuè exundans Nilus Ægyptum rigat, *justum in crementum cubitorum 16. est plus aut æquo minùs nocet* inquit Plinius L. 5. c. 9. Severitas instar fructiferi Nili est, sed moderata sit, est necesse.

Angusta porta est, quæ ducit ad vitam, & ille banc ingreditur, qui in cunctis, quæ agit, discretionis subtilitate propter banc solicitè coarctatur Basilius M. Lib. de Virginitate. Verbo: de quo verificatur, quod dicitur de Christo: *invenerunt illum in medio. &c.*



PRO-



PROBLEMA XXXIV.

Cur initium ſignorum à vino fecerit JESUS?

DOMINICA II POST EPIPHANIAM.

Hoc fecit initium ſignorum JESUS in Cana Galilææ. Joan. 2. v. *11.*

§ I. Cur initium ſignorum à vino fecerit Christus?



Ntiqua quæſtio eſt: cur initium miraculorum à vino ſumpſerit JESUS? à vino inquam, quod eſt *luxurioſa res.* Proverb. 20. v. 1. quod *apoſtatare* facit *ſapientes* Eccleſ. 19. v. 2. quod *in fine* mordet, *ùt coluber.* Proverb. 23. v. 32. Denique quod eſt ipſa iniquitas. Proverb. 4. v. 17. His tamen non obſtantibus, mutat JESUS aquam in vinum, & à vino miraculorum facit exordium. Ex hac nî fallor cauſa: ut oſtendat ſe ſvavem eſſe Dominum. pſal. 33. qui omnes aſſeclas ſuos non aquâ potet, ſed vino. Aquam mutat in vinum, ut indicet: quòd legem veterem converſurus veniat in novam, dulcem, & ſalubrem: lex enim vetus, aqua frigida, inſipida; at lex nova, cùm ſit lex amoris, vino optimo ſimilis eſt. Unde promulgatâ lege novâ muſto pleni, Act. 2. Apoſtoli dicti ſunt; bené muſto, non vino antiquo, quia ſvavior, utique novi ad inſtar vini, lex nova præ antiqua. Aquam mutat in vinũ, ut te doceat jam, quod poſtea dicet verbo: Joannis 15. Ego ſum vitis vera. Attrahit vitis ſuccum terræ, & beneficiò Solis alterat in vinum. Hic eſt, qui ſolus aquam tribulationis convertere novit in vinum conſolationis. Aquam mutat in vinum; ut ultima correſpondeant primis; in ultimo convivio mutabit aquam & vinum in ſangvinem, in primo, cui hodie intereſt, convivio, aquam mutat in vinum: ſic nimirùm inſtituendæ poſtea Euchariſtiæ præludere placuit. Et quia vinum propinquius eſt ſang-

vini, quàm aqua vino, non dubitârunt dicere D. Cyprianus ep. 100. Irenæus, & Isidorus Pelusiota: majus fuisse miraculum mutationem aquæ in vinum, quàm vini in sangvinem. Pulchrè memoratus Cyprianus ep. ad Cæcil. Cùm dicit Christus: *Ego sum vitis vera, sangvis Christi non aqua est utique, sed vinum est.* Ego putarem primum hoc fuisse miraculum, ut discat Christianus à Christo, quòd princeps & præcipuum illius miraculum esse debeat, ex aqua facere vinum; potest hoc, dummodo velit: sicut enim solâ voluntate aquam in vinum mutavit Christus, ità & mutare potest Christianus. Sed quomodo fiet istud? Attendite, docebo.

§ 2. Ubinam aqua carissima?

Non raró quæri solet: ubi aqua sit carissima? responderi potest: in vasta fontibus & scaturiginibus carente solitudine, in qua urente sole, altâ æstate, longiori tempore aut peregrinandum aut subsistendum est. Ibi, quantumcunque pretij pro unico haustu frigidæ offeras, non facilè accipies, ut sitim leves. In ejusmodi solitudine detentus quondam cum exercitu suo Darius Persarum Rex, oblatam tepidam ex lacuna vermibus scatente, eo gustu bibit, ut postea, teste Curtio; dicere sit solitus, se in vita nil sapidius unquam, neque carius bibisse. Quod si quæstionem de loco aquis abundante intelligamus, dicerem ego cũ veritate me cariorẽ nõ vidisse aquam, quàm in territorio Egrensi, acidulis abundante Patria. hæ namq; aliò ad 20. solummodò vectæ milliaria, pretium melioris vini æquant: neque hoc mirum est; notissima siquidem & probatissima aquarum salubritas, quam ipse in annum quintum expertus testari possum, pretium etiam vino majus meretur. Quòd si verò quæstio non de præfata, sed ordinaria aqua, quâ passim pagi, oppida, & Urbes abundant, procedat; ubi estò copiosa, reficiendis non solùm hominibus, sed & jumentis, carissima nihilominus sit; non putem me errare, si dixero: apud Cellarios & œnopolas quosdam, qui immixtâ vinis aquâ vinum augere, unum in aliud, domesticum in extraneum damno hospitum, suo tamen non exiguo lucro dexterrimè commutare nôrunt. Jucundum est, quod referam, & ex ore mihi noti œnopolæ recenseo. Venerunt ante annos tres Illustrissimi aliquot peregrini hospites ad diversorium cujusdam Excellentissimi non usque adeò multis leucis hinc dissitum, qui mensæ accumbentes ex hospite domûs sciscitati sunt ecqualenam vinum haberet? reposuit, quod res erat, bonum, vetus Boëmicum. ad hoc movêre capita peregrini, séque Boëmicis non esse assvetos respondent. Mox facetus hospes subjungit, etiam præstò esse vina extera, Rhenana & Mosellanica. Hæc, inquiunt illi, placent, hæc adfer. Festinato igitur cursu ad cellare properat; justæ magnitudinis

ampho-

amphoram fontanæ secum bajulans vinum Boëmicum aquâ attemperat, eâ dexteritate, ut pro optimo mosellanico biberetur & solveretur. Insuper, quod magis mirêre; ubi postliminio Excellentissimum loci Toparcham convenêre, in profusas excurrêre laudes, quòd tam præstanti vino mosellanico iter per bona sua facientibus in diversorio suo providisset. Miratus interim tacitè Excellentissimus & indignatus Hospiti, quòd in fraudem Domini peregrina vina educillaret; ad Capitaneum literas exarat, in fraudem inquiri jubet, rem prout gesta, deprehendit. Ridentur Peregrini, quòd vinum Boëmicum aquâ dilutum pro Mosellanico bibissent, solvissentque. Transeat semel hæc ars aquam appretiandi, & in vinum mutandi; sed nec semel, multo minùs sæpius licita est. Metuendum habet ejusmodi aquæ in vinum transmutator, nè DEo vindice lucrum ex aqua, unà cum lucro ex vino in aquam abeat.

§ 3. Illicitum lucrum ex aqua in vinum mutata in aquam diffluit.

Exemplum elegans recenset S. Gregorius Turon. L. 1. c. 109. de gloria Confessor. Lugdunensem œnopolam fuisse, qui per Ararin fluvium ad nundinas vectus, cùm fortè è marsupio rubro nummum vellet educere, milvus prætervolans corium rubrum ratus frustum carnis, aufert marsupium; advertens subinde carnem non esse, in aquam cum pecunia dimittit. sic malè parta, malè dilapsa, & pecunia, quæ ex aqua vino immixta provenerat, in aquam redijt.

§ 4. Ars genuina aquam mutandi in vinum.

Aliam licitam, & summè quæstuosam artem, aquam in vinum mutandi, docet S. Bernardus serm. de Cœna Domini. dum ità loquitur: *Super omnes delicias nectaris, lacrymis anima delectatur; funde lacrymas peccator, atque ad Dominum convertere, & aquam in vinum convertisti.* Et serm. 68. in Cant. vocat lacrymas *vinum cœleste*, quo unicè Cœli incolæ Angeli delectantur: *Lacrymæ* (inquit) *Pœnitentium, sunt vinum Angelorum.*

§ 5. Lacrymis omnes probati vini proprietates insunt.

Triplici modo vina probantur: odore, colore, & sapore. Inest lacrymis ante omnia odor svavissimus, quo omnis fœtor aboletur. Ter Magdalenam flevisse lego, sed & ter odorem optimum dedisse Christo; *1*. Lucæ 7. v. 87. apud Pharisæum. 2. Bethaniæ post Lazarum resuscitatum Joan. 12. Denique Matth 28. ad sepulchrum. Ubi lacrymæ, ibi odor. Porrò color hujus vini pulcherrimus est sic, ut ipsos DEI oculos capiat. *Posuisti lacrymas meas in conspectu tuo.* psal. 55. v. 9. oculo scilicet amante lacrymas intueris. *Quod amamus, libenter intuemur* (inquit Beda) *quod execramur, ab eo oculos avertimus.* Pagninus memorata psal. verba ità vertit: *posuisti lacrymas in libro tuo.*

In libro rationum tuarum; nè ſcilicet lacryma unica non numerata maneat. alius: *in oculo tuo.* Clariùs alij: *in theſauris ſuis.* Clariſſimè Vatablus: *in laguncuIis tuis,* ſcilicet ùt vinum pretioſum, exempli gratiâ Gallis Frontiniaco dictum, in laguncuIis ſignatum mitti & vendi ſolet. Sit vinum quodcunque, & quantumcunque pretioſum, lacrymas non æquabit. *Pulchriores ſunt oculi ejus vino* Genes. 49. v. 12. intellige oculos lacrymis pœnitentiæ, aut amoris DEI perfuſos. Porrò ſapor vini hujus, lacrymarum videlicet tantus eſt, támque ſvavis, ut non credát, niſi expertus. Credamus Chryſoſtomo hom. 12. in ep. ad Coloſſ. Nihil eſt lacrymis jucundius, ſicut ſcit, qui experitur quantam habeat res hæc voluptatem. S. Auguſtinus hoc ſapidiſſimo vino inebriari cupiens medit. 36. exclamat, *Calix tuus inebrians Domine, quàm præclarus eſt! da mihi gratiam lacrymarum, ut iſte calix inebrians ſatiet ſitim meam.* Sunt ergo lacrymæ calix inebrians. aquæ non inebriant: neque inebriarent lacrymæ, niſi in vinum converterentur: ſponſa cùm impetrâſſet donum lacrymarum Cant. 2. v. 4. ait: *Introduxit me Rex in cellam vinariam, & ordinavit in me Charitatem.* ſperat etiam aliquid David pſal. 79. *Potum dabis nobis in lacrymis.* Paraphraſtes ait: *Potum dediſti eis vinum lacrymarum.*

§ 6. Lacrymas Chriſtus unicè ſitit.

Ecce vinum lacrymarum, quod ipſe Salvator in vita & morte unicè ſitivit. Juxta illud S. Chryſologi ſerm. 93. *Chriſtus delinquentium gemitus eſurit, ſitit lacrymas peccatorum.* Joannis 4. venit JESUS in Samariam, in Civitatem Sichar. *fatigatus* (ùt ait Evangeliſta) *ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem.* Venit aquam hauſtum mulier, cui Chriſtus: *mulier da mihi bibere!* Quæro cum Bernardo: *quid ſitis Domine?* Reſpondet Auguſtinus: *qui bibere quærebat, fidem, & lacrymas mulieris quærebat.* Lucæ. 7. Idem JESUS Simonis Phariſæi domum intrat, invitatus menſæ accumbit. Sed nolite ſcandalizari Judæi, quòd ipſa ſanctitas cum peccatoribus manducet. cauſam ex ſuprà citato Chryſologo audite: Chriſtus Phariſæi domum intravit, non ſumpturus Judæis uſitatos cibos, nec pocula melle ſoporata: menſæ accumbit pœnitentis Magdalenæ lacrymas ex ipſis oculorum fontibus potaturus. Lucæ 22. converſus JESUS reſpexit Petrum. Sed cur modeſtiſſimus Dominus reſpicit? nimirum ſitit lacrymas; converſus *Petrus flevit amarè.* Adeò dulce JESU fuit vinum lacrymarum, ut ab earum potu ſibi in morte temperare, non potuerit. Mors erat in labijs, mors in oculis, mors in corde, mors in toto corpore, vix aliquid amplius poterat, & clamat: *ſitio. Non ſatìs credibile eſt* (verba ſunt S. Bernardi) *ipſum de ſiti corporali dixiſſe, ut peteret carnalem, qui in inſtanti ſciebat ſe carnaliter moriturum.* Bene proinde Chryſologus. *ſitit lacrymas peccatorum.* Dederat in Cruce morienti bibere

Latro

Latro pœnitens, ad dexteram; sed quò plùs sunt potæ, plùs sitiuntur aquæ. unde conterendi sinistri Latronis conversionem præstolabatur, exspectabat pœnitentis lacrymas. idcirco clamat: sitio! non placuit vinum myrrhatum, sed vinum sitivit Angelorum. Hic illud mysterium venit expendendum, cur David ps. 149. dicat: *aquæ omnes, quæ super Cœlos sunt, laudent nomen Domini.* Quæ illæ aquæ? putat S. Augustinus, Justinus M. Basilius M. esse ingens mare ad igneam sphæram attemperandam, & ardorem siderum. Thomas Anglicus Cardinalis in ps. 1. ait: lacrymas esse, quæ laudant DEum, quia causant gaudium in ipso DEo, & sanctis, & de gaudio laudem. O Peccatores! etiamnum per vos exhilarari vult DEus, sitim suam levari vult JEsus; unde etiamnum inclamat. *Da mihi bibere!* Da sitienti DEO hoc solatium: dic cum Isaia c. 16. *Inebriabo te lacrymâ*; sic deinceps flebo, ut in veritate cum Psalm. dicere possim: *lacrymis meis stratum meum rigabo.* Psal. 6. v. 7.

§ 7. Quid agendum, ut in lacrymas solvamur.

Sed dicet aliquis: Credo lacrymas esse vinum Angelorum, nec solùm Angelos, sed ipsum DEUM recreare; ast ego hoc modo aquam in vinum mutare nequeo: flere, mihi impossibile est: vir sum, non mulier, quæ in promptu habeat lacrymas; cor habeo saxeum. Si tibi cor saxeum est, ecce Moysen: ecce cum virga crucis Christum: ora hunc, ut bis percutiat: tuorum peccatorum gravitatem tibi proponendo, & suorum beneficiorum exhibendo magnitudinem; fluent aquæ vinigeræ timoris & amoris. Roga cum Augustino, Lib: meditat: cap. 36. Da mihi Domine amorem tuum sanctum, castum, qui me repleat, teneat, totúmque possideat. Da mihi evidens signum amoris tui, irriguum lacrymarum fontem jugiter manantem, ut ipsæ quoque lacrymæ tuum in me testentur amorem, ipsæ loquantur, quantum te diligat anima mea, ut sic te sitientem reficiam, & propter hunc meum tui amorem reciproco tui amore æternùm reficiar. Aut si mavis ad Matrem Domini accede; hæc pro te solenne illud suum ad filium repetet: *Vinum non habent.*

§ 8. Alius modus mutandi aquam in vinum: abstinere à vino, & aquam dare sitienti.


Sed satis jam de lacrymis; sunt etenim & alij aquam in vinum mutandi modi, si videlicet JESU sitientis amore genium tuum vini generosi haustu generosè defraudes, aut calicem aquæ frigidæ eroges. S. Radbodus Ultrajectensis Episcopus vino abstinens, aquam è vase onychino bibere solebat, hospitibus verò reliquis vinum optimum apponi faciebat. fuit nonnemo qui eodem è poculo, de quo S. Præsul biberat, curiosè libaret, ratus quod erat, esse aquam; at vinum optimum esse, deprehendit. ecce abstinentia voluntaria à vino, aquam mutat in vinum optimum. De Joanne Baptista, quò inter natos mulierum non surrexit major, testatur

Evan-

Evangelista; Luc. 1. v. 15. *Vinum & siceram non bibet.* Bonum est, quando suppetit, non bibere vinum, sed servare, ut de abstemio quandoque in Cœlis dicant Angeli: *servâsti bonum vinum usque adhuc.* Joan. 2. v. 10.

§ 9. Exempla artis felicissimæ.

S. Homobonus lagenam vini ferebat aliquando operarijs in prædium (Surius 19. Novembris) cui cùm sitibundi pauperes occurrissent, & potum rogâssent, dedit; sed evacuato ad fundum vase, cùm domum ob pessimam hospitam Xantippen pro vino reverti non auderet, aquam hausit, benedixit, & bibendam Operarijs detulit: gustârunt illi, & protestati sunt, se nîl unquam pretiosius in vita bibisse. Homobonus rideri se ratus, gustat & ipse, & advertit reverâ aquam in vinum optimum abíjsse. S. Augustinus serm. 231. de tempore, expensa divitum erga pauperes parcitate, exclamat: *O infelicitatem generis humani! quàm multi inveniuntur, qui ebriosos ampliùs, quàm oportet, cogunt bibere, & ante ostium petentibus pauperibus vel unum calicem dissimulant dare: non attendunt, quòd illud, quod luxuriosis videntur erogare, Christus in pauperibus deberet accipere.* Quæ verba Augustini, in illud Christi collimant, ubi dicit: *quicunque potum dederit uni ex minimis istis, calicem aquæ frigidæ &c. amen dico vobis, non perdet mercedem suam.* Matth. 10. v. 42. quibus verbis insinuare videtur artem ex aqua vinum faciendi; si non illud, quod bibunt homines, certè illud, quod bibunt in Cœlestibus nuptijs Sancti omnes; vinum, quod verè lætificat cor hominis; vinum, quo hausto nunquam sititur in æternum; quod exspectare possunt omnes ac singuli, quotquot haustu frigidæ misericordiam exhibent sitientibus. Non perdent mercedem suam; nec tantùm calicem, qui quidem unicus inebrians & præclarus est; sed integrũ recipient liquidissimæ voluptatis torrentem. Audivistis ergo causam, Auditores, cur Christus in vino initium signorum suorum fecerit: intellexistis & modum, quo aqua in vinum illúdque optimum, possit commutari. Et quia, ùt audivistis per aquam intelliguntur lacrymæ, intelligitur Pœnitentia, Abstinentia & Misericordia erga pauperes, tantam artem, aquam nimirum in vinum convertendi probaturi, *Haurite nunc.*



PRO-



PROBLEMA XXXV.

Cur Leprosus veniens adoraverit Christum?

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

Ecce Leprosus veniens adoravit eum. Matth. 8.

§ I. Cur leprosus adoraverit Christum.



E Multis infirmis, quos magnus mundi Medicus (sic Christum appellat Augustinus) tempore vitæ suæ sanctæ curavit, duplices etiam ab Evangelistis nominantur leprosi. Decem vice unâ curatos memorat Lucas c. 17. unum in hodierno Evangelio Sanctus Matthæus. In singulis animadversione dignissima, quâ sese præsentârunt Domino, est circumstantia. De decem illis, inquit Lucas, *steterunt à longè*; de hodierno uno ait Matthæus, *adorabat eum*; haud dubiè & hic prout decem illi, non propè, sed *à longè stans* adoraverit Dominum. Quòd flexis Christum adoraverit genibus, causa esse poterat, quia infirmus, & afflictus erat; optima namque humilitatis Magistra, miseria est, & infirmitas. Docentur virgâ animalia genua flectere, tribulatio virga DEI est, quâ coram Altissimo & nos prosternere docemur. *Adorabat eum*, quia Majestatem illam agnoscebat, coram qua non solùm cœlum, & terra, sed & ipsi inferi sua inflectunt genua. Quòd si enim olim, dum adhuc infans ab uberibus pendens Matris, inque Ægyptum fugiens ab inclinantibus sese adoratus est arboribus, quid mirum, leprosum hunc genua curvare, & à tot patratis miraculis gloriosum adorare Dominum? Verum genuinam adorationis humilis ùt præcedentium de-

cem ità leprosi hujus absque omni dubio *à longè stantis* affert causam Paulus de Palat: in Caput octavum Matth. quòd metuerit, nè morbo suo fætido, & contagioso, Domino Paradisi molestus esset, *sentiebat planè leprosus Christi Majestatem: sentiebat, & lepræ fœtorem, ideòque coram tanta tremebat Celsitudine.* Lepra namque (prout auditum aliàs) peccatum denotat. si lepra itaque peccatum, fœtor profectò lepræ, graveolentiam peccati denotabit, & graveolentiam quidem non solùm DEO, & cuivis homini probo, sed & dæmoni ipsi intolerabilem. Idipsum, & quomodo fætor hic pellendus, audiamus.

Ecce leprosus veniens adorabat eum. Matth. 8.

§ 2. Cur in sacrificio hircum sibi offerri voluerit DEus.

Inter reliqua, quæ in lege veteri, præscripserat populo suo DEUS præcepta, erat & illud: ut in quovis sacrificio pro peccatis offerendo, hircus DEO oblatus sacrificaretur. Hircus sacrificium erat pro peccato sive Principis cujuspiam, sive plebeij hominis offerendum. Imò licèt aliam sibi subinde bestiam sacrificari vellet DEUS, attamen hoc ipso, quod ejusmodi pro peccato offerenda esset bestia, & hircum in ejus societatem offerri voluit, ùt legere est Levitici 4. v. 23. Oritur itaque nunc quæstio: Cur in peccati remissionem hircus sacrificandus fuerit, cùm animalia plura, eáque mundiora populo fuerint? Oleaster in Cap. 7. Libri Numerorum reponit: hanc ob causam id præstitum esse, ut hoc ipso hirci sacrificio, fœtor peccati insinuaretur. *Mirum valde est,* verba sunt Oleastri, *quòd ùt plurimùm hircus pro peccato offertur; quo DEus peccati horrorem, atque fœtorem adumbrari voluit; est enim animal horribile, & fœtidum.* Et hæc ipsa causa est: dæmonem ex peccato horridissimum, & fœtidissimum plerumque sub hirci specie comparere, sibíque similibus peccato fœtentibus hominibus, ad magias, vel saltus magicos, & conventicula evocando, non equum, sed fœtidum plerumque in veredum submittere solere hircum. Imò quòd Christus ipse, damnandos hircis comparet, id factum est, ùt notat Jansenius in Concord: Evang. c. 127. *ob illorum fœtorem, & immunditiam,* vi cujus peccatores hædis comparantur.

§ 3. Cur Samaritanus ille vulneratus à latronibus stabulo infertur.

Misericors, & bonus ille Samaritanus confractum, ac miserabilem illum hominem, qui in via Hierosolymitana in Jericho inciderat in latrones, vestibus spoliatum, vulneribus ad mortem sauciatum, non in alium locum, quàm in stabulum duxit, *imponens illum super jumentum suum, duxit in stabulum, & curam illius egit.* Luc. 10. v. 34. Nemo sanus negaverit magnam Samaritani hujus fuisse charitatem, magnámque compassionem; sed, laudabilius eum fecisse, afferet alius, si pauperculum hunc in meliori hospitio hominum, & non in jumentorum mansione, domo, atque habitaculo accommodâsset: sed enim ordinatissimam hanc ipsam fuisse charitatem, censet Dionysius Carthusi-

anus in Lucæ Caput decimum dum ait, *eum potiùs in stabulum, quàm domum duxisse, ut præsentis vitæ fœtorem attendamus*, id est, peccata, quibus affecti mortales; (per hæc enim peregrinus ille denotatur) & jam non hominum, sed irrationalium, fœtidissimarúmque bestiarum induentes naturam, haud aptior ijsdem hospitij censeatur esse locus, quàm fœtidum animalium stabulum. Peccati fœtor gravissimus. *Revera enim stabulo, putredinéque omni peccatum deterius est, atque fœtidius*, inquit Chrysostomus hom. 2. in 1. ad Timoth. c. 1. Quid amabò cadavere fœtidius, quid abominabilius est? homo æstivo tempore vel à longè mephytin cadaveris sentiens, illicò sibi nares obstruit, quoad transiêrit. Fœtet ùt diabolus (dicere amant Mortales) intolerabilem fœtorem quempiam indicaturi. quid enim dæmone fœtidius? nam quemadmodum illo in gratia constituto nil pulchrius, ornatius nihil fuerat, ità post lapsum peccati corruptus, fœtidissimus effectus est, quo fætidius nihil: juxta illud Philosophorum: *Optimi corruptio pessima*. Et sanè post diabolum fætidius nihil diabolico homine, ùt peccatorem dicere audeo, pejori etenim hunc ipsum jam dudum ante me insignivit, & vocavit titulo D. Hieronymus in Isaiæ c. 14. dum edixit: *peccatum est cadaver diaboli:* Intolerabilis fuerat Davidi hic fœtor, ut in illa Jobi prorupisse verba videatur. Job. 7. v. 20. *factus sum mihimet ipsi gravis*: quando jure merito conquestus est; *putruerunt, & corruptæ sunt cicatrices meæ à facie insipientiæ meæ* psal. 37. Græcus textus legit: *corruptæ sunt, & fœtuerunt*. quasi dicat: vulnera animæ meæ, scilicet peccata, adeò gravia sunt, ut non solùm propter illa mortem æternam metuam, verùm & adeò graviter olentia, ut eorũ fœtori sustinendo diutiùs nõ sim.

§ 4. Cur David ex ore Leonis petat liberari?

Hic ipsus fœtor causa erat, ut David precaretur Dominum: *salva me ex ore leonis* psal. 21. v. 22. David non precatur de ore canis, serpentis alteriúsque liberari animalis, sed *leonis*, & cur id? causam intelligo ex Plinio Lib. 8. c. 16. asserente: leonem, ob carnem, quam in ore suo masticat, feris omnibus esse horrori, atque formidini ob fœtidissimum illum, nec non venenatum halitum, quo cibum illum inficit. Peccatum morsus quidam leonis est, & hac de causa vulnus ejus non solùm lethiferum, verùm etiam fœtoris ergò intolerabile. Morsu leonis saucius, vulneratúsque fuerat David peccato adulterij, à morsu hoc, utpote Davidi intolerabili, inclamat, & unicè expetit à DEO liberari. Fœtorem hunc (ità annotante D. Bernardino part. 4. serm. 45.) à longè sensit purissimus Dominus in horto Gethsemani Luc. 22. dum eum osculaturus accessit cadaver diaboli, leonino, infernali morsu saucius Judas, ut quodammodo abhorrens, dicat: *Juda, osculo filium hominis tradis?* quasi diceret: non horreo Juda mortis meæ præsentiam, passionisq; instantis tormenta, sed intolerabilem fœtorem, quem tu ore sacrile-

go, & osculo offers: hunc abominor, hunc detestor. Nam *putredo illius osculi* (inquit præfatus Bernardinus) *fuit de horribilibus fætoribus, quos unquam sensit Christus.* Jam quidem tunc odoratu perfecto destitutus non fuerat Christus, quando in mundum infans natus, hujus multiplicem persensit fœtorem, verùm corporalem non abhorruit, siquidem & in stabulo bovem inter, ac asinum nasci dedignatus non est: horret autem animi, horret peccati fœtorem tantum, ut in lamentabiles, illas prorumpat querelas: *Juda osculo filium hominis tradis!* Horrendum fateor tormentum, quod barbarus, omníque feritate ferior olim ille ingeniosâ excogitavit crudelitate Maxenti⁹ tyrannus, hominem vivū cum homine mortuo infrusta dissecto, sacco includens, ut sic morte lentâ, & fœtore enecaretur: sed fœtidiori longè, abominabilioríq; Christ⁹ affect⁹ est tormento, dū osculo peccati fœtidissimo à Juda est traditus.

§ 5. Peccati fœtor ipsum cœlum penetrat.

Quis ignoret peccati fœtorem esse tantum, ut in cœlum ipsum penetret, & divinum, ità loquendo, hebetet odoratum? Id ut manifestum faciam, placeat tantisper pensiculatiùs illa filij prodigi ruminare verba, quibus, in se reversus, Patrem deprecatus est: *Pater, peccavi in cœlum, & coram te.* Animadverte, quòd filius hic degener veniam à patre petens, doleat unicè se *in cœlum* peccâsse. Nam si filius hic, ùt lucifer, aliquando cœli fuisset incola, miranda haud essent verba illius, quibus se *in cœlum* peccâsse ait, quemadmodum nec mirandum est, eum dicere, *coram te*: nam in conspectu vixerat aliquando Patris, rursúmque periturus comparet. Verùm, rectè (inquit Bernardinus part. 1. ser. 24. a. 2. c. 2.) fatetur culpam suam *in cœlum, quia peccando in terra, cœlum infecit peccati fœtore.* DEus ubique est, ubi DEus, ibi cœlum; peccans itaque coram DEO, cœlum quodammodò fætore inficit. Et hæc causa, quòd viginti quatuor illi Seniores, quos, Apocalypticus ille vidit oculus c. 5. v. 8. habentes *phialas aureas plenas odoramentorum*, stent coram Agno; *phialæ* namque *aureæ*, quas Joannes vidit *odoramentorum plenas*, ad aliud non sunt, quàm ad *abolendam criminum nostrorū corruptelam, odorem suavitatis emittentes*; inquit Greg. XI. in Bulla Canoniz. S. Francisci Seraphici. Adeò certè fœtent peccata, ut nec dæmon fœtidissimus, quandoque horum sufferre potis sit fœtorem. Testatur id Holkott 21. Sap. lect. 128. Nicromanticum quempiam, ait diutino dæmonem advocâsse tempore, eúmque tandem sed post moras longiores ex longinquo sibi comparentem habuisse. Moræ, ac distantiæ rationem exquirens Nicromanticus admirationis plenus ex diabolo, hanc accepit responsionem: fœtor tuæ luxuriæ propiorem ad te mihi inhibet accessum. Et ità sanè est. *graviorem* namque *sine comparatione putorem cloacis ipsis luxuriosæ reddunt cogitationes; quia fœtores hi animarum sunt, illi corporum*: inquit Cæsarius Arelat:

hom.

hom. 6. Si tantũ itaq; solæ cogitationes luxuriosæ exhalant fœtorem, saniore, oro, revolvite mente, quantò majorem dicta psa, factáq; exhalent

§ 6. Cur peccati fœtorem homines passim non sentiant?

Enim verò reponet fors quispiam: si tantus, peccati fætor, ut cœlum ipsum feriat, penetrétque, quí fit, cùm Universum peccatis plenum sit, & ùt accidit, ut ab hominibus in mundo degentibus non notetur? Respondeo: Quantumvis fœtor iste à nobis perceptibilis non sit, exinde tamen sequela non est, graveolentiam quoque à se non diffundere peccata: ratio hujus desumitur vel ex hoc; quia nares nostræ putoribus illis plenæ sunt, utpote in fœtoribus ejuscemodi nati, educatíque. Sicut enim pisces inter amaras maris aquas nati, atque enutriti ejus amaritudinem minimè persentiscunt; ità & nos universi hujus incolæ peccati fœtorem haudquaquam percipimus, quia in illo nati, & educati sumus. Hoc ipsum sequentibus confirmat verbis D. Vincentius serm. 1. Domin. 2. Adventûs, dum ait: *Nec pisces sentiunt amaritudinem maris, nec stabularius odorem stabuli persentiscit, quia nati, & enutriti in fœtore illo.* Et mellifluus Bernard. Lib. 1. de Consider. *Ubi omnes sordent, unius fœtor non sentitur.* Et quia in sordescente hoc mundo multi, sinè his peccatorum sordibus, mundi, & immaculati vixêre, hi nimiùm sordidum istum peccatorum persentiscebant fœtorem. Hunc persentiscebat purissima illa, atque sanctissima Virgo Catharina Senensis, quæ quotiescunque obvios habebat homines luxuriosos, tantam ex fœtore peccatorum ipsorum passa erat molestiam, ut eundem sustinere non valens, omni ex parte faciem suam divertere cogeretur. Imò, cùm die quopiam cum Gregorio hujus nominis XI. Summo Pontifice sermonem familiarem misceret, dicere non dubitavit: se Senis constitutam eorum peccatorum, quæ Romæ committebantur, fœtorem manifestè & distinctè percepisse. S. Antoninum, ipsius Sanctæ, verba referentem audiamus, par. 3. tit. 23. l. 14. §. 13. *Ad honorem Omnipotentis DEI audeo dicere: quod plùs ego percepi fœtorem peccatorum, quæ in Romana Curia committuntur quotidie, existens in civitate mea, unde sum orta, quàm percipiant ipsi, qui commiserunt ea.* De Sancta Francisca Romana vitæ autor refert, Sanctam, quandoque deliquium passam ex fœtoris peccatorum graveolentia. Superiori allegatæ causæ, cur ordinariè ab hominibus fœtor peccatorum non percipiatur, adjungo aliam, quam assignat Simon de Cassia gest. Christi L. 5. c. 15. Quodsi ab unoquoque mortalium peccatorum humanorum fœtor persentiretur, nullus hominum in hoc mundo vivere, aut cum altero conversationis consortium habere posset. *Si fœtor in iniquitatibus sentiretur* (verba illius sunt) *conversatio omnino mortalium scinderetur, nec esset aliqua necessitudo, aut copula seu amor innectens simul conversari consentientes.* S. Bonaventura in diæta salutis c. 39.


ausus est dicere: adeò immanem, vel unius damnati esse corporis fœtorem, ut si in hunc mundum inferretur, mox omnes domos, pagos, urbes, Provincias, imò pisces omnes sub aquis, volucres in aëre, feras in silvis, & quidquid spirat, lue pestiferâ inficeret, & interficeret. Nunc verò certum est, illum intolerandum fœtorem, non aliunde, quàm à peccatis, quibus dum viverent, contaminârunt corpora, originem suam habere, atque enormitatem diabolicæ turpitudinis tantam esse, ut suprà memorata D. Catharina videns ad momentum vice quâdam diabolum, dixerit Domino: se millies morituram potiùs, quàm ut iteratò turpissimum illum intueretur spiritum.

§ 7. Remedium pellendi fœtorem peccati.

Intellectâ fœtoris peccati enormitate, superest nunc abolendi hujus efficax quoque præbere remedium, quod qui cupitis, capite illud ex Lucæ c. 7. v. 34. Hic describens Mariæ Magdalenæ in civitate peccatricis facta, ait, mulierem hanc adeò peccatorum fætore contaminatam fuisse, ut sibi ipsi gravis, & intolerabilis, neutiquam auderet vel antrorsum coram JEsu comparere: quid itaque egit? *attulit alabastrum ungventi, & stans retro secus pedes ejus lacrymis cœpit rigare pedes ejus, & unguento ungebat.* Cur hoc? causam percipite ex Didaco Stella in Lucæ c. 7. *Peccatrix hæc mulier suavissimis odoribus venit ad filium DEI, nè peccatorum fœtore Christum offenderet*, ita ille: hoc factum vice unâ in domo Simonis; vice alterâ in Bethania domi propriæ, in qua resuscitato Lazaro fratre dignatus est Christus unà mensæ accumbere, & tunc rursum, *librâ unguenti unxit pedes JESU*, addítque Joannes, capite duodecimo v. 3. *Domus repleta est ex odore ungventi*: Sed quæ causa, quòd vice primâ allati secum ungventi odor taceatur, vicè verò alterâ clarè describatur? eam ex Sancto audite Paschasio ser. in Matth. c. 26. *neque odoriferii dicitur, quia peccatrix mulier accusatur.* Primâ vice cum ungvento comparens Magdalena peccatrix erat, cujus fœtor refugit ungventi odorem; veniens verò vice altera, quæ jam erat post pœnitentiam, post peccatorum remissionem, & audiêrat: *remittuntur tibi peccata*, tunc ità ungvento suo redolebat, ut odore illius repleta fuerit domus tota. Gratia ergò DEI per pœnitentiam obtenta ungventum illud est, quo fœtor ille peccati pessimus enervatur, atque propellitur. Exemplar pœnitentis erat quatriduanus, Lazarus à Christo resuscitatus, cujus sepulchrale saxum, dum Christus revolvi jussit, clamabat Martha: *Domine jam fœtet. Sororibus fœtebat, non Christo, peccatum ante Dominum non fœtet, si de ipso pœnitentiam agat, inquit* Thomas Trugillus serm. 6. Dom. 4. Quadr. Conc. 2. Et D. Chrysost. *peccata mali odores sunt, putri-*

da

da sunt; tamen si agamus pœnitentiam, si ploremus, peccata putrida unguentum efficiuntur Domini. Ecce remedium: Si leprosi estis, DEO fœtetis, & Sanctis; pœnitentiam agite: studete probæ vitæ, & ædificativis moribus; & cum Paulo dicere poteritis 2. Cor. 2. *Christi bonus odor sumus*, Amen.



PRO-



PROBLEMA XXXVI.

Cur Christo navigante cum Discipulis excitata tempestas?

DOMINICA IV. POST EPIPHANIAM.

Ecce motus magnus factus est in mari. Matth. 8. v. 24.

§ I. Mundus mare tempestatibus plenum



Nihil in Scriptura & apud Patres est frequentius, teste S. Augustino Lib. 20. de Civitate DEI c. 15. & serm. 13. de Verbis Domini, quàm quòd mundus iste mari comparetur, propter stabilem instabilitatem, amaritudinem, & pericula. Nullum mare tam instabile, nullum tam amarum, nullum tot ac tantis quot & quantis mundus, obnoxium periculis. Tempestas quotidiana, & unde tempestas? à vento. Et quid ventus? res adeò levis; ut Jobo nulla sit levior visa, unde vitam suam ventum vocat: *memento, quia ventus est vita mea* Job. c. 7. v. 7. utùt autem ventus res sit levis, unus sufficit ad tempestatem, ad naufragium, ad interitum. De hodierna tempestate ait Marcus: *Erat ventus contrarius illis.* c. 16. v. 48. Non opus ventis, unus sufficit, qualiscunque sit navis, ut vel periculo exponatur, vel re ipsâ mergatur. Ecce navis, in qua vehuntur Apostoli, potuitne navis esse sanctior? Ecce navis, in qua est JESUS, potuitne esse felicior? *Cæsarem, & fortunam ejus vehis*, inclamavit exanimato propè nautæ Julius Cæsar. JEsum vehit navis, & tamen nulla ei est securitas: *Ecce motus magnus factus est in mari, ità, ut navicula operiretur Fluctibus.* Ecquænam Causa tanti motûs, tanti periculi? Judæ, qui eâdem navi vehebatur, adscribit S. Ambrosius ser. 62. in Domin. 5. post Pentecosten sic loquens: *Erat ibi Simon Petrus. sed erat pariter & proditor*

Judas,

Judas, *quamvis illius fides fundaret naviculam, bujus tamen eam perfidia conturbat.* Origenes homilia 6. in diverſ. dicit factam ideo tempeſtatem magnam: *ut Chriſtus ſuam potentiam oſtenderet, ſéque eſſe Dominum ſupremum terræ ac maris.* hac de cauſa Angelus ille Apocalypticus cap. 10. v. 2. qui pedem alterum ſuper mare, alterum ſuper terram habebat, ad mentem venerabilis Bedæ, Richardi, Anſberti &c. Chriſti ubique potentiam deſignabat. Theophylactus excitatæ tempeſtatis cauſam hanc aſſignat: *ut diſcipuli magis timerent, & in periculo rogarent Dominum. Nunquam eſt ſecuritas* (inquit Bernardus ſer. de ligno fœno & ſtipula) *neque in cœlo, neque in paradiſo, multò minùs in mundo.* Quò quis ſanctior, eò plùs timere habet: plùs enim tentationum ventis ac tempeſtatum fluctibus eſt obnoxius. Hoc nunc oſtendam.

§ 2. Homines naves ſunt tempeſtatibus expoſitæ.

Ecce motus magnus factus eſt in mari. Ingenioſum eſt illud cœnotaphium, quod ſibi ſtruxit vir conſilij, in Modin Civitate à mari duodecim horarum itinere columnas ingentes & ſuper columnas *naves ſculptas, quæ viderentur ab omnibus navigantibus mare.* Lib. 1. Machabæorum Cap. 13. v. 29. Conſilium autem erat, omnibus exponere, omnes nos in pelago hujus mundi vehi, & licèt videamur eſſe columnæ, non tamen eſſe niſi naves minimè ſecuras, ad quarum ſubmerſionem unus ſufficit ventus, tempeſtas unica tentationis. Columna cœli viſus eſt Lucifer, navis fuit, & navis quidem virtutibus & prærogativis onuſtiſſima; & tamen unus ventus ab Aquilone flavit: *in lateribus Aquilonis* Iſai. 14. v. 13. tempeſtatem excitavit, naufragium intulit, in quo cum oneraria navi tot milliones periverunt. Si tanta navis (vento ſuperbiæ in ima demerſus Lucifer) tot mercibus onuſta mergitur, quomodo nos cymbulæ ſubſiſtemus? Duæ naves in paradiſo Adam & Eva à DEO ædificatæ & elaboratæ, ab uno halitu ſerpentis, ab uno vento gulæ orientali ſuperatæ ſunt; & vix in tabulis pœnitentiæ diuturnæ enatârunt. Quàm divina navis David! erat ità inſtructa, ut nullo timeret à turbine: *Ego dixi in abundantia mea: non movebor in æternum.* ità de ſemetipſo ait Pſal. 29 v. 7. unus tamen ventus veniens ab Occidente Zephyrus, unus ventus Venereus merſit hanc navim. colligo enim ex tabula Geographica Adrichomij, feneſtram, quâ curioſè vidit Bethſabeam lavantem, fuiſſe ad Occidentem. O tu es Bethſabea à filio laudata, prov. 37. v. 14. *quaſi navis inſtitoris.* quàm depauperata es, ut nec occurrerit tibi cum adultero tuo clamare: pſal. 68. v. 3. *tempeſtas demerſit me.* Petrus navis videbatur eſſe ſolidiſſima, contra quā Matth. 18. *portæ inferi non prævalebunt*; at ab uno halitu, à vento unico timoris & reſpectûs humani alliditur, imò in brevia & ſyrtes impellitur: hæret in ſicco, donec ex aula oculis JESU, quaſi funibus fuiſ-

set extractus, fusis copiosè lacrymarum aquis siccitati succurrens. Ecce quàm verum, quò quis sanctior, eò magis expositus est tempestatibus. O quàm bene S. Bern. de tempestatibus: *Nunquam est securitas, neque in cœlo, neque in paradiso, multò minùs in mundo.* serm. de ligno fœno & stipula.

§ 3. Cur Diabolus Princeps äeris dicatur?

Nescivi hactenus quare Diabolus vocetur *Princeps äeris.* Cur hoc nobile elementum rebelli spiritui attribuitur? quòd *Princeps terræ* appelletur, transeat, Si Princeps ignis Lucifer nominaretur, nihil esset dissonum à nomine. Sed quòd *Princeps äeris* 4. Eph. v. 2. à Doctore gentium vocetur: *ambulâstis secundùm potestatem Principis äeris*, non satis capio. An ideo maledictus spiritus äeris Princeps audit, quia äer in libro Genesis omissus est, nec ulla benedictionis datæ facta mentio? Fors ideo quia nec colorem proprium, nec figuram habet, & ad omnium rerum, quas suscipit, motus se accommodat; genuinum psevdopolitici symbolum. An ideo Princeps äeris dœmon, quòd omnia illius promissa ventis leviora sunt in auras abeuntia? S. Thomas in loco citato existimat, ideò dœmonem Principem äeris dici: quia magnus numerus, dum cœlo excidissent, hæsit in äere. Origen. opinatur ideò vocari Principem äeris, *quia ventos concitat tentationum*, & quidem eò majores, quò majores in virtute & sanctitate homines sunt. Tentatio fuit ille ventus, quò justi Jobi domus corruit; Tentatio fuit ille vent⁹ quo Jonæ navigatio impedita fuit.

§ 4. Quò quis est sanctior, eò magis expositus periculis.

Et quamvis tentatio neminem immunem permittit, ità ut rectè Job. capite. 7. v. 1. vitam hominis *militiam*, vel ùt alij legunt, *tentationem* vocet; nihilominus sicut alta ædificia ventis sunt magis exposita & tempestatibus, sic Satanas magis infestat, concutit, & agitat, quidquid in sublimi positum est virtutis & perfectionis. *Agit hoc sanè superba & invidiosa malitia* (inquit de diabolo S. Bernardus in psal. 90. v. 8. *perfectiores vehementer pulsat.* Bellè *hoc* novit Ecclesiasticus, ùt paternè monet unumquemque Virtutis & sanctæ vitæ studiosum: *Fili accedens ad servitutem DEI sta in justitia & timore: & præpara animam tuam ad tentationem.* Eccl. 12. v. 1. In quæ verba Rabanus apud Cornelium in Ecclesiastici caput modò citatum: *quantùm enim quis se à mundi errore avertere certat & ad servitium DEI coadunare festinat, tanto graviora bella ac certamina ab hostibus tolerat. quisquis enim accingi in divino servitio properat, quid aliud contra se quàm antiqui adversarij certamen parat? ut liber in certamine ictus suscipiat, qui quietus sub tyrannide in captivitate sæviebat.* Unde S. Hilarius in c. 4. Matthæi: *In sanctificatis nobis, inquit, maximè diaboli tentamenta grassantur.* Ut enim idem Hilarius ait. *Victoria est ei magis exoptata de sanctis.* Quàm ob causam meritò S. Chrysost. hom. 31. in Genesin, dæmones ait similes esse piratis: *Quemadmodum*, inquit, *piratæ, quando vident navim multis mercibus oneratam, & plurimas adducentem divitias, tum potissimùm varijs moliuntur insidijs, ut possint mercibus omnibus navigantes spoliare; ità sanè diabolus, cùm videt spirituales divitias coacervatas, alacritatem fervidam, mentem vigilem, & quotidie divitias augeri, cruciatur & dentibus frendet, & quasi pirata circuit, & innumeras excogitat artes, ut si qua vel parvum inveniat aditum, quidquid in nobis est spiritualium divi-

divitiarum deprædetur. Et in eandem sententiam sanctissimus Pontifex Leo serm. 1. de Quadragesima, *Intelligamus*, ait, *quantò studiosiores pro nostra salute fuerimus, tantò nos vehementiùs ab adversarijs impetendos.* Similiter lib. 3. de summo bono capite quinto loquitur S. Isidorus: *Quia Diabolus in sanctis intrinsecùs non regnat, contra eos extrinsecùs pugnat, & qui intrinsecùs amisit dominium, exteriùs commovet bellum.* Optimè notat S. Bernardus in expositione illius versûs: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis.* Psalm. 90. v. 8. Prophetam hoc loco voluisse attendere ad morem belli, in quo concertaturus cum hoste, majori impetu cornu dextrum, ubi solet esse major & robustior nervus militiæ, invadit nulla alia de causa, quàm ut residuum exercitum in confusionem & turbationem redigat. Manus dextera electorum symbolum est, *militia seu tentatio*, ùt dixi, *est vita hominis.* in hanc dextram maximè diabolus vires exerit, *agit hoc sanè superba & invidiosa malitia*, ait de diabolo S. Bernardus, *perfectiores quoque vehementer pulsat. Non quærit diabolus homines infideles*, inquit epist. ad Eustochium de Custodienda Virginitate Divus Hieronymus: non quærit in gravibus peccatis hærentes, hi enim satis certi ipsi sinè hoc sunt, *de Ecclesia Christi rapere festinat.* Sanctos & perfectos magìs tentat; hi enim: ùt *escæ ejus electæ sunt.* Habacuc. c. 1. Venatores per montes præruptos & horridas silvas, apros, cervos, non jumenta, equos & asinos &c. qui ad manum sunt, quærunt; horum enim carnes, non ità electas escas præbent. Cervis similes perfecti: *qui perfecit pedes meos tanquam cervorum, & super excelsa statuens me* psal. 4. Jumenta, homines inquam vitiosi, carnales, semper sunt parati ad obsequia dœmonis. *Hostis noster*, ait D. Gregorius, *quantò magìs nos sibi rebellare conspicit, tantò ampliùs expugnare contendit, eos enim pulsare negligit, quos quieto jure possidere se sentit.* Miram non nemo Patrum quâdam vice habuit visionem apud Josephum Mansi tit. Tentatio, discursu 7. num. 9. vidit nimirum Eremum quandam dœmonibus refertam, juxta verò Urbis portam unicum dœmonem, & hunc quidem sedentem quasi somnolentum, revelatum illi à DEO, non debere mirum ipsi videri, quòd unum duntaxat videret diabolum ad portam Urbis, tot in Eremo; eò quòd in delitijs viventes sine labore ad vitia pertrahantur, difficulter in eremo Sanctitati unicè invigilantes; ac proinde hos magìs tentari oportere. Ingeniosè observat Rupertus, To. 2. Lib. 4. in Apocalypś. c. 7. 4. cur post Ruben, qui *Videns* interpretatur, ponatur Gad, qui significat *tentatus.* Ex quo hanc deducit moralitatem proposito nostro accommodam. *Post Ruben sequitur Gad, qui tentatus vel accinctus interpretatur; post inchoationem enim boni operis, majoribus necesse est hominem tentationibus probari, ut fidei illius fortitudo comprobetur.*

§ 5. Magis Vigilantibus magis in vigilat dæmon.

De copiosissimo numero hostium, qui convenerant contra Regem Josaphat, ait Scriptura Lib. 2. Paralip. c. 20. v. 2. *venit contra se multitudo magna de his locis, quæ trans mare sunt*, Lyranus notat modum, quo Spiritus S. Capitis hujus facit initium. *Post hoc congregati sunt filij Moab.* Postquam nimirum Rex Josaphat humiliter suscepisset correctionem Prophetæ, & omni conatu studuisset populum suum re-

ducere ad obedientiam & cultum veri DEI, tunc contra eum hostes surrexêre, ad indicandum, inquit Lyranus, quòd tunc, maximè exsurgant contra nos tentationes infernaliū hostium, dum intimiùs DEO jungimur, & illius sancto servitio mancipamur. Vix David sanctè decrevit: *Juravi & statui custodire judicia justitiæ tuæ*, mox fatetur: *humiliatus sum usquequaque*, psal. 118. v. 106. id est ùt Hugo interpretatur, *tribulatus tentatus sum.* Ecce post propositum DEO sanctè serviendi, statim tentationes insurgunt contra David. Quod S. David, hoc omnes Sancti experti sunt. *Perlege*, inquit S. Thomas Villanova, Domin. 1. Quadragesimæ conc. 1. *si vis, omnium Sanctorum libros, & miras invenies passos tribulationum procellas.*

§ 6. Cur jejunantē Salvatorem tentârit Dæmon.

Id ipsum de ipsa sanctitate Christo invenies. *Ductus est JESUS in desertum à spiritu*, Matth. 4. ut ibidem jejunium nostrum sanctificaret, & orationi vacaret in solitudine. quo peracto, *accessit ad eum tentator.* Vidit dœmon Salvatorem mundi insolenter jejunantem, mox ventum vanæ gloriæ immisit, cùm tentationem temeritatis immisit, quâ elevatum præcipitare volebat: *Mitte te deorsum.* Tandem spiritum procellarum afflare ausus: *Hæc omnia tibi dabo si cadens adoraveris me.* Unde tanta dœmoni audacia? Inde, quia ex esurie, quam Christus passus erat, collegit esse hominem, adeoque sic secum ratiocinatus est: Si ego Angelus cadere potui, Cur non iste, qui homo est? Ità S. Leo ferm. 3. Quadragesimæ: *viderat superbiam suam, baptizati Domini JESU humilitate calcatam, intellexerat quadraginta dierum jejunio omnem cupiditatem carnis exclusam, & tamen non desperat de artibus suæ malitiæ spiritualis improbitas, tantúmque sibi de naturæ nostræ mutabilitate promittit, ut quem verum experiretur hominem, præsumeret posse fieri peccatorem.* Hæc S. Leo. Si proinde mergere se posse præfidit dœmon, talem hominem, tantam navim; quantò magis te fragilem cymbulam? Hoc autem nè fiat, nè tempestas maris & tentationis te demergat, imitandi sunt nautæ, qui factâ tempestate anchoram ejiciunt & navim firmant. Anchoram salutarem timorem intelligo; quo mediante Apostoli periculum evitârunt. *Sicut nautæ, dum è portu solvunt flante favonio, non ideo omittunt accipere anchoras, quæ tempore tempestatis sunt necessariæ, ità & servus DEI licèt magnâ fruatur quiete, nunquam tamen debet esse sinè judiciorum Divinorum metu, sed hunc semper apud se habere, ut tentationum fluctibus insurgentibus uti possit.* Ità monet Sanctus Franciscus de Sales Lib. 18. de Amore DEI c. 17. *Sicut navis sinè saburra secura non est, sed à quovis vento sinè periculo propellitur, ità & anima periclitatur, quæ saburram seu anchoram DEI timoris non habet.* ità Granatensis in duce peccat. fol. 487. Quisquis in mundi hujus procelloso mari navigat, & sinè timoris anchora navigat, temerarius est, clarúmque dat indicium, se virtutibus vacuam navim esse. Philosophus percelebris, ùt ex A. Gellio S. Hipponensium Præsul, de Civit. DEI lib. 9. cap. 4. refert, cum multa hominum fœce navigio vehebatur, cùm ecce tibi ingens exoritur tempestas: nemo tunc Philosopho illo cernebatur timidior, cessante pòst cœli furore, prodit nescio quis scurrarum, & Philosophum acerbè ridens: O præclarum, ait, Philosophum! putabam ego te præ nobis omnibus cordatum esse; at vidimus te jam omni lepore timidiorem.

ego sanè in hac tempestate timui nihil, sciens, quia ridere solet post nubila Phœbus. Cui Philosophus idem ferè, quod simillimo in casu, simillimæ farinæ nebuloni Aristippus respondit: Non erat profectò, cur timeres pro anima hominis nauci, quo fluctibus hausto quidnam fuisset damni? At ego pro anima Philosophi timebam, nobiles mècum porto Sapientiæ thesauros, quos cùm periclitari cernerem, erat, erat cur timerem. Siquis non timet, sanctus non est, alioquin cum converso & sancto psal. 81. v. 2. clamaret: *Custodi animam meam, quoniam Sanctus sum*: Idémque ab omnibus bonis & sanctis requirit: psal. 33. v. 11. *Timete Dominum omnes Sancti ejus.* Et tales se esse timendo Dominum ostendêre Sancti Apostoli, & quidem ostendêre in cœna: audientes namque verba de perfido & abjectæ mentis Juda: *unus vestrûm me traditurus est: contristati valde cœperunt singuli dicere: nunquid ego sum Domine?* Cur tam seriò apprehendunt unius casum ùt singuli putent esse suum? Venítne tibi unquam in mentem O Petre, Thoma, Joannes, tanta improbitas? Nónne ô Thoma in sententia manes mori paratus cum Christo? nónne & tu Petre, *etsi omnes scandalizati fuerint*: cur ergo contristantur, cur pavent securâ conscientiâ? Respondet S. Leo ser. 7. de Passione Domini: Contristati sunt non de conscientiæ reatu, sed de humanæ mutabilitatis incerto, timentes, nè' minùs verum esset, quod in se quisque noverat, quàm quod ipsa veritas prævidebat. Prudenter ò boni discipuli, sapienter ò optimi Apostoli. Sic & nos sentiamus, & cum illo Eremita exclamemus: Hodie peccavit frater, & cecidit, ego cras & turpiùs quidem. Timeamus & oremus cum S. Philippo Nerio, cujus tres aspirationes omnibus commendo. 1. *Cadam Domine si tardas succursum.* 2. *Domine omnia peccata mundi faciam, nisì tu impedias, diffido mihi, confido tibi.* 3. *Video Domine JESU, manus, latus, pedes: habent 5. vulnera, nisì me hodie teneres, ego tibi sex, imo sexaginta sex majora infligerem. Domine ego timeo mihi, time & tu à me tibi, & non timebimus ambo, sed amabimus nos ambo æternùm Amen.*



PROBLEMA XXXVII.

Cur Diabolus inimicus homo dicatur?

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

Inimicus homo hoc fecit. Matth. 13.



Arabolam hodierni jam perlecti Evangelij ipse Dominus JESUS nobis explicuit, juxta sonum latini textûs: Matth. 13. v. 38. *ager est mundus, bonum semen sunt filij Regni, Zizania autem filij sunt nequam, inimicus autem qui seminat, est diabolus,* Mirum valde (inquit Sylveira in consideratione explicationis parabolæ) quod per multum tempus ager iste steterit patens & nunquam in illum ingressus sit inimicus homo, nisi modo postquam noster Sator bonum semem in illo diffudit, tunc super illum seu super triticum seminat.

§ I. Diabolus dicitur inimicus homo quia homo malus, Dæmon est.

Superseminavit, non seminavit (inquit serm. 96. S. Petrus Chrysologus) *quia hæreses inter fideles, inter sanctos peccatum, inter pacificos lites, inter simplices dolos, inter innocentes nequitiam serere consvevit, non ut acquirat Zizanium; sed ut triticum perdat, non ut reos capiat, sed ut adimat innocentes, non ut obsideat mortuos, sed impugnet viventes; quia quantò magis quis DEO servire desiderat, tantò magis in se excitat adversarios*, inquit S. Ambrosius, in psal. 118. & ego ante dies octo ostendi. Sed quare diabolus dicitur *inimicus homo?* Rationem dat S. Paschasius, lib. 7. in Matth. *quia bono semine jacto vidit per gratiam homines adoptatos in filios DEI, à quo decore & excellentia ipse ceciderat, propterea malignitatem machinatur. Inimicitias ponam inter te & mulierem*, Gen. 3. v. 15. quòd autem homo dicatur, causa est: *quia sub similitudine rationis humanæ decipit*: Albertus M. *Diabolus dicitur homo* (inquit Hug.) *ab homine devicto, sicut Scipio Africanus ab Africa devicta.* Hominem inimicum ipsum diabolum, quia semper omnibus obesse conatur, meritò ap-

pellavit

pellavit, ait S. Chrysost. hom. 47. in Matth. Cùm diabolus homo non sit (Sylveira suprà) homo tamen appellatur hoc loco, utaptiùs ejus furor exprimatur, cùm nullus major inveniatur, quàm hominis in hominem. Ergône malus homo dæmon? ità est, ostendam imò quod Auctor imperfecti operis hom. 24. probat, Homo mal⁹ pejor est, quàm ipse diabolus. Faxit DEus, ut in potenti ejus digito unum saltem dæmonium in præsens ejiciam.

§. 2. Christus malum hominem vocat Dæmonem.

Incarnata Sapientia quæ, teste S. Joanne, cap. 2. v. 25. *sciebat quid esset in homine*: videns perversam intentionem, quæ erat in Juda perfido discipulo, qui Magistri amantissimi traditionem machinabatur, videns scelus, quod successu temporis patraturus erat, prædicens ad omnes simul congregatos ait: *Nonne ego vos duodecim elegi, & unus ex vobis diabolus est? dicebat autem Judam Simonis Iscariotem; hic enim erat traditurus eum.* Joan. 6. v. 71. Ecce æterna Veritas, quæ nec fallere, nec falli potest, hominem malum, qualis erat Judas, diabolum vocat. Nec immeritò; sicut enim teste S. Paulo 1. Cor. 6. v. 17. *qui adhæret Domino, unus spiritus est cum eo*; itâ qui adhæret diabolo, quod per malitiam gravis peccati fit, unus spiritus, verbo, diabolus est cum eo. Eandem quoque Veritatem asserit S. Bernardus serm. de S. Benedicto. *Transgressor præcepti Dominici spurios sibi sociat spiritus, & adhærendo eis unus cum eis efficitur dæmon.* Bernardo concordat S. Bernardinus: T. 1. serm. 31. a. 1. c. 2. *Omnis peccator filius diaboli est.* Quod Christus Joan. 8. v. 44. de Judæis mortem sibi machinantibus dixit: *Vos ex Patre diabolo estis, & desideria Patris vestri vultis facere.* Hoc Bernardinus genericè dicit de omni malo & peccatore homine, siquidem Judæis similes sunt peccatores quovis gravi malo *rursum crucifigentes sibimetipsis filium DEI.* Hebr. 6. v. 6. & consequenter filij diaboli.

Ut autem Veritatem hanc profundiùs intelligamus, quòd peccatores spiritualiter à dœmone velut filij illius generentur, revocandus est in memoriam textus ille Joannis, epis. 1. Joan. 3. v. 8. ubi dicit: *qui facit peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat, omnis, qui natus est ex DEO, peccatum non facit, quoniam semen ipsius in eo manet. In hoc manifesti sunt filij DEI & filij diaboli. omnis, qui non est justus, non est ex DEO.* quæ verba Lyranus sic exponit: *scilicet quòd hi non peccent mortaliter, alij vero fiant filij diaboli propter operationem peccati.* S. P. Augustinus ait: Tract. 4. in Joannem: *Neminem fecit diabolus, neminem genuit, sed quicunque fuerit imitatus diabolum, quasi de illo natus est filius diaboli imitando, non propriè nascendo.* Cui concordat Dionysius Carthusianus de peccatore sic loquens *Ex diabolo est, non animam ab illo habendo, sed ejus pravitatem sequendo, aut ejus tentationi consentiendo, pertinendo quoque ad eum, tanquam ejus membrum atque mancipium.* Alcuinus quæst. 75. ingeniosè quærit in illa Verba Gen. 3. v. 14. à DEO serpenti dicta: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & semen tuum, & semen illius*, de quo semine, vel de qua inimicitia DEus loquatur? Ipséque sibi respondet: *Semen mulieris*

est

§ 4. Peccatum facit peccatorem parem diabolo.

Porrò verissimum esse, quòd peccatum peccatorem unum idémq; faciat cum dæmone, magis confirmabitur, si consideremus id, quod DEUS serpenti post prævaricationem protoparentis dixit: *Terram comedes*. Sed dicet aliquis: Sathan est purus spiritus, cur igitur terra illi in nutrimentum assignatur? pro resolutione notandum, quòd DEUS homini post peccatum dixerit: *pulvis es*. Hæc enim maledicta terra, quæ peccatorum spinas & tribulos germinat, nos ipsi sumus. Unde S. Augustinus 3. Tract. de agone Christi c. 1. dicit. *Dictum est peccatori: Terra es &c. datus est ergo in cibum diabolo peccator, non simus terra, si nolumus manducari à serpente. Sicut enim quod manducamus in nostrum corpus convertimus, ut cibus secundùm corporis qualitatem homo efficiatur, quod nos sumus, sic malis moribus per nequitiam, superbiam, & iniquitatem homo efficitur quique quod diabolus est; & hoc est, quod dicitur manducari à serpente.* S. Gregorius in 4. psalmum pœnitentialem suprà nominata verba exponens sic ait: *Antiquus hostis terram comedit, quia peccatores quosque in ventrem suæ malitiæ abscondit.* S. Chrysostomus hom. 28. ad Rom. ait: *Pascunt dæmones, qui corporum vitijs saginantur & sordibus, quia sicut qui se Domino jungit, unus spiritus est; ità qui se jungit Diabolo, est dæmon unus.* Et quemadmodum homo comestum cibum in suam humanam, sic Diabolus peccatorem in suam, id est, Diabolicam substantiam convertit. Et Dionysius Carthusianus Opusculo de enormitate peccati art. 18. *Peccatum de membro Christi facit membrum Diaboli, siquidem per charitatem Christo incorporamur; sed per peccatum mortale Christum perdendo incorporamur Diabolo.* Unde sæpius viri sancti, qualem describit Paulum simplicem Abbatem Bollandus, 7. Martij. pag. 647. col. 1. graves peccatores non in forma hominis sed horridi dæmonis viderunt.

§ 5. Peccator pejor est dæmone.

Probatum ergo est quòd dæmon quidem inimicus homo vocetur, eò quòd malus homo inimico humani generis Dœmoni sit similis, quòd incarnatus dæmon sit. *Quòd autem homo malus pejor sit dæmone*, ùt ex Autore imperfecti opsuprà dixi, ex verbis æternæ Veritatis probare possum. Matth. 10. v. 26. dixit discipulis: *Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio luporum*, paulò pòst v. 17. monet. *Cavete ab hominibus.* Ad consequentiam sermonis videbatur dicendum: Cavete à lupis. Cur hoc? lupus in Scriptura Diabolum significat, quòd homines cavere moneat, indicat malum pejorem ipso dœmone esse. Sancti Chrysostomi hom. 24. in imperf. hæc est sententia: *Ideo dixit; attendite vobis ab hominibus, quasi à quibusdam pessimis malis, & super omnia mala malis.* Diabolus malum dicitur, ideò oramus: *Libera nos à malo*; non uno sed omni, id est, Diabolo & malo homine, quia pejor dœmone est. *Diabolus enim* (verba sunt Sancti) *si videt justum, non ausus est ad eum accedere, homo autem malus, quamvis hominem sanctum, non solùm illum non timet, sed magis contemnit; non enim Diabolus homini præstat Virtutem, sed homo Diabolo. Arma enim Diaboli est malus homo. Sicut enim homo sinè armis nihil potest facere contra hostem, sic & diabolus sinè homine non valet a-*

liquid contra sanctos. Quod confirmat Albertus Magnus ex illo Joannis 13. v. 2. *Cùm Diabolus jam misisset in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotes. Cur suppetias? Hoc enim per semetipsum facere non potuit. Hæc est hora vestra &c.* Luc. 22. v. 52. Et ità notat D. Gaudentius Brixiensis præfat. Tract. in Exod. quòd Diabolus tanquam validissimum suum telum contra Job, Mulierem ad ultimum reservaverit, ut mediante muliere hoc efficeret dæmon, quod se ipso non poterat. De utroque audiatur D. Zeno in psal. 128. *Cùm Diabolus tentando Job potestatem postulâsset, per direptionem substantiæ ejus primùm desæviturus, homines ad pastoru[m] cædes & direptionem pecudum excitavit, eósque in hanc voluntatem latrocinij accendit. Egit ergo, quod volebat, per humanæ operationis officium. Judas quoque in passione Domini ministerium Diaboli fuit, & per eum effectum voluntatis propriæ excitavit, Evangelistâ testante, qui ait: Intravit satanas in Judam. In omni igitur, quam perpetimur injuriâ alterius opus, alterius instinctus est, & non sibi sufficiet.* Hanc Diaboli majorem humanâ malitiam expertus est pius David: 1. Reg. 18. nam cùm spiritus malus torqueret Saul, David manu pulsante citharam, fugiebat spiritus malus & tamen sævitia inclusa manebat in Saul: *tenebat Saul lanceam & misit eam, putans, quòd configere posset David cum pariete.* Mira res! Davidis cantu expellitur tyrannis Diaboli, & tamen rabies & ira hominis non quiescit. *O novum* exclamat Basilius Seleucus orat. 16. *injuriúmque facinus, dæmon pellitur, & dœmone liberatus arma capiebat! dæmon vincebatur, homo plus sumebat audaciæ!* Ecce quî malus homo malo dœmone pejor fit. Et hæc causa fuit, quòd David posteà, cùm propter peccatum puniendus esset, vel per manus Angelorum, ignorans, an ille sit bonus, an malus dæmon, utì fieri potuisse, docet Abulensis, q. 35. in 2. Reg. c. 24. & factum esse Doctores asserunt psal. 77. n. 49. Exodi. 12. vel per homines, optione sibi à DEO per Prophetam Gad datâ cùm multùm dubius hæreret, ac diceret: Coarctor nimis &c. se resolverit tandem *melius est incidere in manus Domini, (multæ enim misericordiæ ejus sunt, quàm in manus hominum.* In fame & bello homines executores DEI sunt; In peste solus DEUS & Angeli. Renuit ergo David (inquit Sylveria L. 5. c. 27. q. 7.) supplicium, in quo agnoscebat homines executores, & elegit illud, in quo videbat Angelos percussores, estò fieri posset, quòd mali essent; plus enim nocumenti ab hominibus, quàm Angelis etiam malis sibi metuebat. Quia DEUS & Angeli misericordes, immisericors homo malus, verbo. *Homo malus pejor est, quàm ipse Diabolus*, Non solùm ùt inimicus hominis, sed ùt inimicus DEI, ùt peccator. Diabolus enim semel tantùm peccavit, uno, ùt passim, superbiæ peccato; malus homo forsitan millies, *& nec non* solùm peccato superbiæ, sed & iræ,

& in-

& invidiæ, & luxuriæ, &c. pejor diabolo; quia pro illo filius DEI passus non est, nec veniæ occasionem, nec tempus dedit; peccatores, verò pro quibus passus, quibus occasio optima pœnitendi data, spernentes hæc omnia, filij profectò diaboli in manifesto periculo sunt, nè illis hoc ipsum aliquando eveniat, quod Patri eorum. Veniet tempus messis, quo filij DEI, semen bonum sancti & beati instar tritici congregabuntur in DEI horrea, illi autem filij Diaboli & semen & Zizania collecta ad comburendum in ignem æternum proijcientur. Felix qui cum S. Ignatio Martyre verè dicere poterit: *frumentum Christi sum*.



PRO-

endi tenentur, unde Sancti DEI adeò magni, & per quid in tantam creverint proceritatem? responsum cum medio insinuat hodiernum Evangelium adducendo similitudinem grani Sinapis: *Simile est Regnum Cœlorum grano Sinapis, quod minimum est omnibus seminibus.* Per granum Sinapis Sancti Patres humilitatem intelligunt. *Grano Sinapis se ipsum Dominus comparavit*, notante D. Hilario in Cat. D. Thomæ, *quia fuit humilitate parvus.* Quâ similitudine nos cœlestis Magister erudire voluit, ut si quem parvitatis suæ pudeat, desiderétque sic magnus esse, ut ad cœlum usque pertingat, sit parvus ùt granum Sinapis, id est, *humilis. quicunque ergo humiliaverit se sicut parvulus, hic est major, Matth. 18. v. 5.* Conclusio Christi est. Quæ conclusio, ut magnus quisque evadat, artem continet, mihique porrò probanda incumbit.

§ 2. QuidCanis signum cœleste sibi velit? Videntur Astrologi palmarem cœlo irrogâsse injuriam, dum bestias & animalia hujus terræ inter cœli sidera collocârunt. Tali modo ex cœlo, beatissima, & pulcherrima DEI & Sanctorum Urbe, bestiarum harum stabulum effecêre, quando è cœlo hospitium arietis, tauri, Leonis, & complurium aliarum bestiarum fecêre. Et quamvìs memorata animalia omnia ob sua significata potuissent aliquâ ratione cœlo inferri, videtur tamen Canis nullo modo in Cœlo tolerandus, quem ipsemet purissimus DEI Spiritus jam olim cœlo proscripsit Apocalyps. 22. v. 3. *Foris canes.* Scio quidem Poëtarum commentum, quod pro Astrologorum defensione stare posset dicentium: Canem hunc à Vulcano ex ære fabricatum esse, eidémque ob operis elegantiam animam fuisse inditam, & Jovi fuisse præsentatum, ab hoc DEorum maximo cœlis & alijs stellis fuisse adnumeratum. Quod si mihi liceret meam de memorata stella Canicula sententiam dicere, dicerem per hanc significari Chananæam illam mulierem à Christo Matth. 7. v. 27. *canis* nomine nuncupatam, quæ profundissimâ humilitate ad pedes Christi prostrata pro filiæ incolumitate supplicans suâ humilitate tantum merita est apud filium DEI, ut non solùm multùm laudata, sed in ipsum cœlum referri sit merita, ubi tanquam stella lucebit in perpetuas æternitates, quod omnes corde humiles sperare possunt. *Descenderat hæc* (inquit de Chananæa Simon de Cassia de gestis Christi L. 5. c. 24.) *de altitudine animi tumescentis, se curvans ante Dominicos pedes, citò erigenda per spem. Super sidera elevatur, qui ante Christi pedes & humilitate & devotione proclivem se facit.* Mulier hæc à S. Marco 7. v. 25. *Syrophœnissa* dicitur, quod idem ac sublimis significat, quia namque humilis erat, quia canem se vocari passa, super astra est elevata. Si Lucifer ille cum suis adhærentibus humilis fuisset, supra astra (quod Isai. 14. v. 13. optabat) collocatus mansisset, quia verò superbus, cum tertia stellarum, id est, Angelorum parte è cœlo in Infernum, ut canis rabi-

non commiserit Angelis, sed quòd proprio labore paraverit. Sed cur non Ministris, quorum tot habet milliones? ut temerè non innitamur Christi solis meritis, sed propria addamus. Si porrò modum, quo parârit, inquiramus? Respondet S. Vincentius Ferrerius serm. Domin. infra Octav. Ascens. *Dominus paravit sedem suam. qualiter paravit? Per virtutem humilitatis*, juxta illud Pauli Ephe c. 4. v. 9. *Quod autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit* & v. 10. *Qui descendit ipse est, & qui ascendit super omnes cœlos. Sic enim oportebat Christum ascendere* (inquit S. Bernardus serm. 4. de Ascensione) *ut nos ascendere doceremur.* Hanc ipsam autem virtutem humilitatis artem esse quasi unicam & compendiosissimam crescendi séque exaltandi patet ex consideratione vitæ & primariorum mysteriorum Christi, in quibus inveniemus quòd Christus semper, quò minor factus per humilitatem, tantò major semper factus sit. Parvulus natus & factus est magnus DEI filius per assumptionem naturæ humanæ, & nativitatem in vili stabulo; hoc ipso quia parvus humilis factus, magnus & gloriosus effectus est. *Gloria in excelsis*, canunt in ipsius nativitate Angeli. Magi ad illum adorandum exoriente stellâ vocantur. *Peccatum non fecit, nec inventus est dolus in ore ejus*, inquit Petrus. 1. Petri 2. v. 22. tamen minimus factus est, humiliavit se ad personam usque peccatoris, circumcisioni, quæ character peccati olim erat, se subijciens. Mediante hâc humilitate exaltatus est, quando adeò gloriosum magnum nomen JEsu illi datum, ut in illo omne genu flectatur. Ulteriùs parvus factus est, humiliavit se, quando Matth. 3. à Joanne in Jordane baptizari voluit. Vix in Jordanem descendit, vix parvus factus est per humilitatem, mox crescit, mox honoratur, descendente super eum S. Spiritu, & gloriosâ è nubibus sonante æterni Patris voce: *Hic est filius meus dilectus in quo mibi bene complacui.* Ductus est Matth. 4. v. 1. in desertum à Spiritu, ut tentaretur à Diabolo. Quanta humilitas! Magnus Cœli Dominus ab inferni incola permittit se tentari. Sed notate exaltationem: *Accesserunt Angeli & ministrabant ei* Profundissimam Christi humilitatem & imminutionem illius describit Joannes, Joan. 13. memorans, qualiter Christus ante ultimam cœnam se se ad pedes discipulorum, & primò quidem perfidi discipuli Judæ prostraverit, lavans eos & oscula imprimens in Sionæo cœnaculo grandi strato. Sed nec locus hic absque honore mansit, quo sic descendit Christus humilitate, quando in Pentecoste in ibidem congregatos discipulos Spiritus sanctus descendit. Sanctam Passionem suam ab humilitatis nota auspicatus, vadit quidem in montem oliveti, sed ut ibidem orans humilietur, ut parvus fiat: *Procidit* (inquit Evangelista Matth. 26. v. 39.) *in faciem suam. Procidit in faciem suam* (inquit Origenes tract. 14. in Matth.) *quoniam pretium exaltationis est humilitas.* quasi diceret, optima & valentissima moneta apud DEum, & in ipsius cœlesti Residentia est humilitas. humilitate honores in cœlo & terra emuntur. Hanc monetam Christus Patri obtulit, humilitate tandem ad ipsam Crucem se se offerendo: Philip. 2. v. 8. *Humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis, propter quod & DEUS exaltavit illum &c.* ad, imò supra omnes cœlos.

§ 6. Nemo cum Christo exaltatur, nisi priùs cum Christo humilietur.

Christum ex illo ipso monte Oliveti, in quo, ùt dixi profunda cum humilitate genibus innixus ínque faci-

faciem prostratus oravit, ex eodem postmodùm in cœlum ascenderit, & duro illi saxo sacra vestigia impressa usque in præsentem diem hominibus reliquerit videnda, quasi docturus nos, ut si magni esse velimus, ipsúmque aliquando cœlum attingere, ipsius vestigia sequamur, humiliando nos. Quod ipsum suprà memoratus monet Bernardus: *Cupidus es Ascensionis, altitudinem naturali appetitu desideras? descende, ut ascendas; humiliare, ut exalteris. Quis vestrûm potest ad staturam suam cogitans cubitum unum adijcere?* Luc. 12. v. 25. Quid vos homines, qui staturâ vestrâ, qui statu, in quem DEUS vos posuit, contenti non estis, cogitatis & desideratis majores & honoratiores esse? actum agitis, hoc enim naturaliter & solis naturæ viribus fieri non potest. Vultis causam scire, cur tam parvi maneatis? cur non exaltemini, nec coram mundo nec DEO & cœlo? Christum audite versu mox sequente sic loquentem: *si neque, quod minimum est, potestis.* Quod est minimum? *granum sinapis*, inquit Christus, granum sinapis testibus Patribus est, aut significat humilitatem; quia hanc non scitis, aut scire & exercere non vultis, non vultis vos peccatores agnoscere, minores, minùs doctos & aptos, quàm sint alij, alijs nō vultis cedere, debitū honorem & reverentiam exhibere, minùs honoratum locum eligere; sed quia cogitatione, verbis, & opere alijs vos præfertis, ideo in vestra parvitate, ideo sinè desiderato manetis honore, sinè spe, ut aliquando ad cœlum pertingatis. Hic enim magnitudinis, hæc honoris natura est: *fugientes sequitur, fugit sequentes* Seneca in carm. Verissimum enim est, quod Veritas æterna apud Luc. c. 14. ait: *qui se exaltat, humiliabitur: qui se humiliat, exaltabitur.* Plenæ sunt historiæ, tum sacræ, tum prophanæ hanc Christi sententiam confirmantes. Exaltavit se Lucifer supra astra, humiliatus est ad ima inferni. Exaltat se Nabuchodonosor Dan. 4. v. 27. *Nónne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi &c.* humiliatur usque ad terram & bestias. Exaltat se Herodes divinos admittens honores *superbâ veste* Act. 12. v. 23. humiliatur paulò pòst à pediculis devoratus. Humiliat se Abraham Gen. 18. v. 27. pulverem & cinerem se agnoscit; exaltatur, *Pater credentium* effectus. Humiliat se Moyses, Exod. 4. v. 10. pro parum eloquente se agnoscens; exaltatur, DEus Pharaonis constituitur. Humiliat se David, 2. Reg. 9. v. 8. cani mortuo se comparans; ad solium Israël exaltatur. Humiliat se Paulus 1. Cor. 15. v. 9. minimum Apostolorum se vocans; exaltatur, fit Princeps Apostolorum. Humiliat se Joannes, Joan. 1. v. 27. indignum reputans, qui solvat corrigiam calceamenti Domini; exaltatur in tantum, ut ipsius Christi testimonio non surrexerit *major Joanne. Humiliamini in conspectu Domini, & exaltabit vos.* Jacob. 4.

Ità verum est quod Antoninus ait: *Humilitas temporaliter semper exaltat.* Addo ego, æternaliter. Humilitas enim teste Climaco gradu 25. *Janua Regni cœlestis est. Janua JESUS est, ego sum ostium* Joan. 10. hanc nemo intrat, nisi fuerit humilis. *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde* Matth. 11. *Quicunque ergo humiliaverit se sicut parvulus iste, hic major est in Regno Cœlorum. Matth.* 18.

PRO-

PROBLEMA XXXIX.

Cur novissimi pares facti primis?

DOMINICA SEPTUAGESIMÆ.

Hi novissimi unâ horâ fecerunt, & pares illos nobis fecisti. Matth. 20. v. 12.

§. 1. Antiquitatis prærogativa multarum litium mater.

INveteratum hoc rationalis naturæ vitium est, ut quæ prior est tempore, potior jure & honore affectet esse, nec rabidiore æstuet Zelò, quàm cùm antiquitatis præeminentiam negligi & junioribus pares aut etiam majores honores decerni videt. Cur dæmon humanam tantopere insectetur creaturam, ut nulli industriæ consilióque parcat, ad exitium ejusdem procurandum, causa præcipua videtur D. Basilio, quia cùm prærogativâ ipse gaudeat antiquitatis, ferre non potest, ut humana sibi præferatur natura. verba Magni sunt: *postquam vidit diabolus hominem, parvum quidem animal, supra omnem creaturam honoratum, cùm esset antiquior homine, hunc ei honorem invidit.* Invidit & Cain Senior juniori Abeli honorem, quo sacrificium illius DEUS dignatus fuerat, cùm allambentem flammam, à qua absumeretur charum munus, submisit; nec sopiri fraternum potuit odium ex propitia cœli flamma ortum, nisi innocentis sangvinis effusione. Cur Ismael Isaacum, Esau Jacobum, fratres Josephum vatiniano persequuntur odio, nisi quòd majores natu cùm sint, minorennis nihilominus frater majoribus afficiatur honoribus & gratiis. Indignabantur discipuli Joannis Baptistæ, quòd majori in honore esset JEsus suis cum discipulis quàm ipsi, quibus tamen prærogativa antiquitatis præcellentiam faveret: *Rabbi, qui erat tecum trans Jordanem cui tu testimonium perhibuisti, ecce hic baptizat, & omnes veniunt ad eum* Joan. 3. v. 36. invidebant discipuli Joannis, inquit Abulensis, quòd JEsus qui noviter surgebat, excederet eum in fama & honore. at prudentior fuit Joannes, quàm ut suorum querelis, vel jure prioritatis moveri posset. non enim habuit oculum & lingvam nequam, qualem hodierni murmurones, qui quòd novissimos operarios pares sibi fieri, imò denario citiùs donari viderent, inviderunt, exarserunt, eruperunt in querelas, murmura, & seditionem: *hi novissimi unâ horâ fecerunt, & pares nobis illos fecisti?* at favete tantisper lingvis ô boni! placet causam nôsse, cur novissimi pares vobis fiant: & æquali donentur de-

denario? caufam triplicem fufiùs edifferam,attendite.

§. 2. Caufa prima,cur pares primis novifsimi, quia absque conventione labores fufceperunt.

Placet ergo fcire cur primis pares noviffimi? *bi nullâ condictâ mercede ad laborem acceſſerunt*, inquit Gregorius Nazianzenus orat. in fanctum baptifma. Poftulâffet fortaffe ordo, ut folutionis initium à primis defumeretur,verùm ordinem bonus paterfamilias immutat, & noviffimos ad remunerationem advocat,quia hi nullo mercedis pacto & intuitu ad excolendam vineam convenerunt; qui autem finè fpe lucri, finè prætextu mercedis ad labores advolant ampliorem longè mercedem merentur. Noviffimus inter Apoftolos fuit Paulus,meritis tamen par primis,quippe qui abundantiùs omnibus laborâffe fe fcribit, quia ùt ingeniofiffimè Pauli verba interpretatur Cæfarius, nullum unquam pro Apoftolicis laboribus fuis admifit ftipendium,nullum intendit lucrum, nullum quæfivit emolumentum. propriis enim manibus victum fibi meruit,nè aliorum eleemofynis, ficut ceteri Apoftoli, victitare cogeretur,idcirco plus omnibus laboravit,& qui noviffimus in ordine,primus in meritis fuit. Loquatur D. Cæfarius Paulinorum interpres verborum: *abundantiùs illis omnibus laboravi. in hoc plus illis laboravit, quia illi ex prædicatione victum fecundùm Evangelium accipiebant,Paulus non eſt uſus hac poteſtate,ſed labore manuum ſuarum vivebat.* plus omnibus laborat,qui finè humano præmio laborat.

Figura prima Paulus 1. Cor. 15. v. 9.

Figura Secunda Jofue & Jofias.

Prima Jofue gloria & immortalis memoriæ facinus eft, quòd poft plurimas labore & vigiliis partas victorias, poft introductum in terram promiffionis populum, poft diftributas provincias nihil fibi è triginta & fupra regnis elegerit, nihil in ufum & emolumentum familiæ fuæ refervârit,prout ex c. 19. Jofue liquet,dignus idcirco, qui Salvatoris typum gereret,dignus cujus imperio fol pareret,dignus quem nominis excellentia & majeftas ipfimet Salvatori fupparem faceret. *Quare perdivinus Joſue*, quærit Theodoretus q. 17. in Jof. *cum aliis terram diſpertiret, ſibi non diſtribuit aliquam portionem? imitatus eſt in eo modeſtiam Domini, qui extremam expertus eſt inopiam, ità ut nec domum quidem haberet.* ille Spiritu JEfu agitur & nomine ejufdem dignus eft, qui non fpectato laborat præmio,ideóque duntaxat fervit,ut ferviat. Jofue fpiritum Jofias imbibit,qui in omnibus operibus fuis nullâ feù temporaneæ feu etiam æternæ mercedis cupidine illectus, folum DEI obfequium integre fpectavit,nec Davidicum illud Symbolum ufurpavit: *inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas in æternum propter retributionem*, fed propter divini nominis gloriam, quam folam præ oculis habuit, five cùm fimulacra idolorum everteret,fana folo æquaret, popas occideret,ofsa exureret, five cum phafe Domini tantâ folennitate ageret,ut dicat Scriptura: *neque factum eſt phaſe tale à diebus judicum, qui judicaverunt Iſrael & omnium dierum regum Iſrael & Juda; ſicut in octavo decimo anno regis Joſiæ factum eſt phaſe iſtud* 4. Reg. 23. v. 21. idcirco licet inter noviffimos reges effet, omnibus omnino antelatus, & incomparabilibus encomiis decoratus eft. ibidem v. 25. *ſimilis illi non fuit ante eum Rex, qui reverteretur ad Dominum in omni corde ſuo; & in tota anima ſua, & in univerſa virtute ſua juxta omnem legem Moyſi, neque poſt eum ſurrexit ſimilis illi.* grande profectò elogium, ex quo confummatam Jofiæ perfectionem fufpicias & admireris. Eft enimverò perfectiffimo-

ſimorum DEI Servorum nota & inſigne, nolle pro mercede paciſci, nec ſpe præmii moveri, ſed ſolius divini obſequii & honoris agi deſiderio. Iſti ſunt viri perfecti, inquit Salmeron, qui nihil paciſci volentes divinæ tantùm Bonitati & Clementiæ confidunt: & iſti digni fuerunt majus præmium accipere. Quemadmodum in domo Principum, qui familiariter in cubiculo Principis ſerviunt, nullum certum habent ſtipendium, ſicut habent mulones & coqui, ſed toti pendent ex voluntate & munificentia Domini: tales ſunt viri novi teſtamenti, qui magnitudine charitatis DEI & multitudine beneficiorum Chriſti obruti, oculum claudunt ad quodcunque præmium ſive æternum ſive temporale; ità ut ſi (quod tamen fieri nequit) nullum futurum eſſet præmium, non propterea res maximas operari ipſi recuſarent, & extrema quæque pati propter Chriſtum haud formidarent. & hi dubio procul longè ampliſſimam conſequuntur mercedem, etſi pro eadem minimè pacti ſint. Hæc in hodierni Evangelii interpretatione Salmeron.

§. 3. Figura tertia Iſraëlis populus & filius prodigus.

Cùm Iſraëlitæ profectionem ex Ægypto parant, convivari jubentur & anniculum epulari agnum: *tollat unusquisque agnum per familias & domos ſuas* Exod. 12. v. 3. ſufficere integræ familiæ Agnus debet unicus, at verò cùm prodigus ad patrem revertitur, non agnus ſed ſaginatus mactatur vitulus in unius filii gratiam: *adducite vitulum ſaginatum, & manducemus & epulemur, quia filius meus mortuus erat & revixit* Luc. 15. v. 23. cur uni plus aſſignatur filio, quàm copioſo populo? diverſitatis cauſam ex modo proficiſcendi, quo uſus eſt populus, & quo filius, deſumamus. de populo inquit Moyſes, quòd velut aquilini pulli ab aquila deportatus ſit in terram promiſſionis, de prodigo ſcribit Lucas, quòd ultro ſe reſolverit ad reditum in domum paternam. audiatur Moyſes: *ſicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans expandit alas ſuas, & aſſumſit eum atque portavit in humeris ſuis* Deut. 32. v. 11. portandus ergo erat populus in terram promiſſionis & grandibus allici ſpebus debuit nè iter recuſaret. quid filius prodigus? audiamus loquentem: *ſurgam & ibo ad patrem meum & dicam ei: Pater peccavi in cœlum & coram te, jam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut unum de mercenariis tuis.* dixit, nec ſegniter egit: *ſurgens venit ad Patrem ſuum.* non erat opus aquilinis portari prodigum humeris, ultro ivit & viliſsimis accenſeri vernulis voluit, ut conſpectu Patris frui denuo liceret. atque idcirco vitulus illi, populo verò agnus in epulum aſsignatur, quia hic mercedem, ille ingenuum duntaxat obſequium attendit. Conceptus hic mihi à Ruricio Epiſcopo inſinuatus eſt: *datur juniori reverſo vitulus, cùm ſeniori agnus datus fuerit ex Ægypto profecturo, quia ipſe educit ex Ægypto Pater:* portari neceſſe eſt populum & educi à patre, ultro adrepere delectat filium; dignus proinde ampliori eſt remuneratione, cùm remunerationem non ſpectaverit, ſed ſolo regi ſe ſiverit benevolentiæ affectu. Obſervandum inſuper in prodigo eſt, quòd licet ſecum decreverit, in Mercenarii ſe offerre obſequia, ubi tamen ſub aſpectum Patris venit & orationem ſuam propoſuit, nullam omnino mercenarii fecit mentionem, ſed agnovit ſolùm filii ſeſe nomine undequaque indignum. Cur in mercenariorum Syllabum redigi non poſtulavit? nè mercedis intuitu paterna ambire obſequia videretur,

Ruric. l. 1. epiſt. 1.

quod servile fuisset; ad majora natus est filius, quàm ut stipendia paciscatur, satis illi gratiarum erit, si in domo paterna inter vilissimos mediastinos agere sinatur. ô animum ingenuum! ô dignum non uno saginato vitulo sed toto grege & hæreditate filium! Præclarè D. Augustinus: *non addit, quod in illa meditatione dixerat: fac me sicut unum de mercenariis tuis, cùm enim panem non haberet, vel mercenarius esse cupiebat, quod post osculum patris generosissimè jam dedignatur.* nobilem ex paterno osculo imbibit spiritum, quo plenus dedignatur mercenariorum officium, sed ingenuo servire animo absque mercedis respectu constituit. *Illi sufficit Pater* inquit Chrysologus Serm. 4. ideóque dignus redditur, qui non mercenariorum stipendio, sed integrâ donetur Patris hæreditate.

S. Aug. in qq. Evangel. l. 2. q. 33.

§. 4. Figura quartæ Abel & Enoch.

S. Paulus Hebr. 11. v. 4. & 5. laudat præ omnibus Legis veteris heroibus duos innocentissimos in lege naturæ Agnellos an Angelos? Abelem & Henoch: *fide Abel plurimam hostiam quàm Cain obtulit Deo: fide Henoch translatus est, nè videret mortem.* Intervenit Magnus Pauli discipulus Joannes Chrysostomus hîc, & quærit: uter plus DEum dilexerit Abel an Enoch? & definit pro Enoch: *majorem iste, quàm Abel fidem ostendit.* sed quare majorem ô Doctor auree? *quia nihil illi retributum erat.* Nunquam favorem extraordinarium DEus exhibuit Henocho, at verò Abeli. nam. Gen. c. & v. *4. respexit dominus ad Abel.* vel, ùt legit Theodotion: *inflammavit Dominus super Abel.* hæc illi gratia sufficere poterat ad DEUM intensissimè amandum, ideóque magnum non erat DEum ab Abel amari; at verò nullum emolumentum habuit Enoch, nullum indicium, quòd sua DEo opera arriderent.

Difficilia sunt illa Psaltis verba Ps. 17. v. 45. *populus, quem non cognovi, servivit mihi,* quis ille populus, qui DEi quodammodo fugit cognitionem? respondet S. Bernardus Ser. 40. ex parvis: quatuor esse genera creaturarum, aliæ cognoscunt DEum & cognoscuntur à DEo; quales sunt Angeli & homines abundantes divitiis simul ac virtutibus. aliæ nec cognoscunt DEum nec cognoscuntur à DEo, sunt mendici, ægri, & omnes illi miseri, qui in miseriis suis DEUM non invocant, imò blasphemant. alii cognoscunt DEum sed non cognoscuntur à DEo, sunt pauperes & ægroti conformes voluntati divinæ: alii non cognoscunt DEum sed cognoscuntur à DEo, sunt divites avari. Ex his quatuor generibus illi laudem referunt, qui non cognoscuntur & cognoscunt, premuntur & non murmurant, dejiciuntur & non desperant, in medio tribulationum amant, observant, magnificant DEum. Populus quem non cognovi, servivit mihi: *non esset magnæ perfectionis, si populus à DEo cognitus serviret illi, cùm verò incognitus illi serviat, & in auditu auris obediat, magnæ laudi adscribendum est.* Ità Bernardus non est magnæ laudis propositâ mercede & gaudio servire Domino, cui propter priora beneficia & benevolentiæ indicia bene cognitus es, at verò absque spe mercedis Domino vix benè cognito totâ sedulitate servire, hic labor, hoc opus plurimâ mercede dignissimum est.

Quærit Chrysostomus, quod opus magis sit præmio & laude dignum, dare Christo aspectabiliter comparenti eleemosynam, an verò eandem pauperi, amore Christi, exhibere? ridebit fortè aliquis hanc quæ-

quæstionem Chrysostomi. quis non excellentius judicet, Christum domi suæ recipere, cibare, potare, vestire, dormienti advigilare, quàm sordido mendicabulo æternis fortasse ignibus deputato eadem præstare obsequia? At contrariæ mentis est Doctor aureus: *non est æquale ipsum Dominum præsentem alere, cujus præsentia vel lapideum ad se animum attraheret, & propter ejus verba duntaxat pauperes & mendicos alere, quippe tunc etiam ipsa facies & dignitas præsentis, quacum videtur, parturit quod facies, modò autem universæ hæ liberalitates & misericordiæ, tuæ sunt.* Ità Chrysostomus hom. 89. in Matth. Nimirum qui Christum videt, mercede jam donatus est, qui verò ignotum ingratúmque pauperem Christi amore suscipit ac fovet, exquisiti amoris sui præstet hostimentum.

Quærit Hugo Cardinalis in Matth. 19. cur solis Apostolis dicatur: *Vos qui secuti estis me*, cùm tamen Joannes dicat: *sequebatur eum multitudo magna?* nimirum non sequebantur Christum propter Christum, sed propter se, & hi non censentur sequi. verus amor non est lucri avidus. *Qui diligunt, eliguntur* inquit. Augustinus tr. 76. in Joan. hoc est, qui ideo amant ut ament, hi unicè amantur.

§. 5. Figura 5. Asinus & Bos.

Notatu dignum est, quòd in lege veteri asinus exclusus sit sacrificio: *primogenitum asini mutabis ove; quod si non redemeris, interficies* Ex. c. & v. 13. cur asinus & non bos reprobatur! acutissimè respondit Basilius Magnus in c. 1. Isai. Bos cognovit possessorem suum & asinus præsepe Domini v. 3. ecce ratio disparitatis: bos agnovit Dominum, asinus non dominum, sed præsepe, sed pabulum, sed emolumentum proprium. non veniat ad templum ad sacrificium ad altare asinus, quia non possessorem sed præsepe duntaxat respicit, & typum eorum repræsentat, qui nec pedem movere dignantur, nisi formidine pœnæ coactis aut cupidine mercedis illecti. Asini & bovis cùm memini, vaccæ Bethsamiticæ occurrunt, quæ Arcam Domini ferentes, sinè ambagibus & erroribus terram Israel tenent, ùt videre est 1. Reg. 6. quam tamen terram Israelitæ per annos quadraginta invenire non potuerunt. nimirum suas duntaxat delicias, divitias & commoditates in terra melliflua attenderunt Hebræi, at verò vaccæ sub jugo Arcæ positæ non nisi obsequiis Domini serviebant, hinc illis recta in terram promissionis via. Citiùs & faciliùs æternæ beatitudinis patriam tenent, qui patriam non quærunt, sed solo DEi spiritu regi se sinunt, nec nisi obsequium Domini sui in omnibus respiciunt.

§. 6. Figura 6. Latro dexter.

Cur paradisum eo ipso die Latro dexter consequitur, quo converti ad Christum incipit, & gratiosam sui memoriam morienti Domino commendat: *Domine memento mei, cùm veneris in regnum tuum?* non petit regnum, non exigit stipendium, non paciscitur de mercede, non exaggerat obsequium suum, quòd encomiasten Christi egerit, cùm is ab universo populo rideretur, vexaretur, interficeretur, sed memoriam duntaxat sui haberi rogat, dignus profectò, qui plusquam sperare aut petere possit, mox consequatur, & eo adhuc die transeat in paradisum: *hodie mecum eris in paradiso.* hodie merentur esse cum Christo in paradiso, qui ab hac hora & momento in Domini vinea ad extremum usque spiritum laborare volunt absque præmio.

§. 7. Causa secunda, cur novissimi

Habetis ô murmurones improbi causam sufficientissimam, cur pares vobis novissimi, quia nullâ con-

condictâ mercede ad laborem accesserunt, quâ si & vos mente accessissetis, dubitare non ausim, longè copiosiorem mercedem vestram futuram fuisse. *Major tibi merces, si citra mercedis spem feceris.* Placet scire causam aliam, cur pares vobis primis novissimi? ex vestris eam verbis desumo vestráque vos lingvâ jugulo; quid loquimini? *hi unâ horâ fecerunt*: quid sibi vult quòd fecisse potiùs quàm laborâsse dicantur? nimirum fecerunt opus perfectum & plus horâ unâ quàm vos die integrâ peregerunt. *fecerunt* non laborârunt, quia amore ducti vineam excoluerunt, *ubi* autem *amor est, labor non est.* fecerunt tantâ accuratione, quasi sacrificium litarent, facere enim idem ac sacrificare est.

pares primis.

S. Chrysost. hom. 5. ad Rom.

S. Bern. Ser. 1. in Cant.

O quàm verum est, quod D. Hieronymus ad Paulinum scripsit: *subitus calor longum vincit teporem. Paulus Apostolus de persecutione mutatus, novissimus in ordine, primus in meritis est*, quia extremus licet, plus omnibus laboravit. Hi novissimi unâ horâ fecerunt. Et vos totâ die laborantes nihil fecistis, quia oscitanter labori manus admovistis, totiésque in sinum easdem revocâstis, ut satius fuisset facere nihil, quàm facere opus DEi negligenter. Melius fecisset Cain si sacrificio abstinuisset, quàm quòd de frugibus terræ deterioribus obtulerit. meliùs fecisset Saul, si victimas non litâsset, quàm quòd in Sacerdotis officium se sacrilegè ingesserit, in hoc enim, ùt ait Abulensis, nullum DEO cultum exhibebat. meliùs fecisset Pharisæus, si in templum non ascendisset, nec orationem illam suam magniloquam ebuccinâsset, quàm quòd malè orando peior quàm ascenderat, descenderit ex templo, & oratio fuerit illi in peccatum. meliùs fecisset intempestivus ille propinator, si haustum Christo crucifixo non obtulisset, quàm quòd spongiam aceto plenam obtulerit, noluit inde libare JEsus, nè putaret satelles, quod grande aliquod præstitisset obsequium; *respuit fel* (inquit de Christo Augustinus) *jejunare elegit, quàm amaritudinem accipere.* meliùs fecissent Pharisæi, si pro jejunio frugalibus indulsissent epulis, quàm quòd inanem inde gloriam captando martyres fuerint & victimæ dæmoniorum. Jeremiæ 4. invitat Dominus perversos ad seriam conversionem: *Si reverteris Israel, ad me convertere.* hoc est juxta Osorii interpretationem: si ad DEum tibi revertendum, redi seriò, ex animo, fervidè, melius enim est nihil facere, quàm ità frigidè facere, ut nihil efficias. Magis ille à DEo recedit, qui non seriò accedit. Ingeniosè id observavit S. Anselmus in Petro, qui Christum quidem sequebatur, sed *à longè* Matth. 26. melius facturus, si prorsus emansisset. ut ostenderet ergo dominus, quàm parùm frigida ejusmodi probaret obsequia, permisit ad ignem congelari Petrum & majoribus obrui malis, quàm illi obruti fuerint, qui tempori aufugerant.

Hi novissimi unâ horâ fecerunt, non est hoc vituperium sed encomium novissimorum, quòd plus horâ unâ operati sint, quàm operarii iniquitatis die totâ. Non est in familia cœlestis Patrisfamilias alia antiquitas quàm meritorum: ille senior, qui intrà spatium assignati laboris est accuratior. Ex omnibus antecessoribus Abrahami nemo vocatur senex, sed hic Senis titulus Abrahamo primùm datus reperitur Gen. 18. v. 11. ubi de patriarcha & conjuge ejus ità scribitur: *erant ambo senes provectæque ætatis.* longè senior erat Lamech quingentorum nonaginta quinque annorum, &

§. 8. Ille censendus est in Vinea Domini prior, qui virtute præstantior.

& tamen senex non appellatur. Lamecho senior erat Malaleel octingentorum sexaginta quinque annorum & tamen senex non appellatur: senior hoc erat Enoch nongentorum quinque, Cainan nongentorum decem, Seth nongentorum duodecim annorum & tamen senes non appellantur: superavit omnes Mathusalem nongentorum sexaginta novem annorum & tamen senex non appellatur, Abrahamum primum scriptura nominat seniorem (verba Philonis Alexandrini l. de Abrah.) etsi is teste scripturâ non nisi centum septuaginta quinque annos vixerit: *fuerunt dies vitæ Abrahæ centum septuaginta quinque anni* Gen. 25. v. 7. nam revera senior non ex longitudine temporis sed ex laudata vita putatur. siquidem, qui multùm ætatis in tempore vixerunt sinè probitate, longævi pueri dicendi sunt. Hæc ille. Facit huc quod S. Ignatius Martyr epist. 6. scripsit: non annosi continuò sapientes sunt, nec senes intelligentiam possident, sed spiritus, qui in hominibus est. Samuel parvulus Heli nonagenarium reprehendit, similiter Jeremias audit à DEo: nè dicas junior sum. adolescentia igitur non est contemnenda, quoties DEO consecrata fuerit, verùm is contemnendus est, qui improbo est animo, tametsi multorum dierum tempore plenus sit. Hucusque Ignatius. ex quo addiderim: non ergo contemnendi, qui novissimâ horâ fecerunt, sed qui totâ die nihil profecerunt. Emblema non inelegans in suis hexameris Eustathius affert de amygdalo & moro: *floret prima omnium amygdalus, postremaque pomum maturat, Mori tardè germinant, tamen in fructu ferendo non sunt aliis posteriores.* non est ergo tota laus & felicitas, quòd prior in vineam veneris, nisi & præveneris labore & fructu. *Ignavissimorum quorundam hominum consvetudo est, ut, cùm inter vitia senuerint, nullique pares sint, solâ se præferant senectute* inquit Franciscus Petrarcha. Petrarch. Invect. in Medic. l. 1. non curabantur ad piscinam probaticam, qui citiùs ad eam jacuissent, suspirâssent, expectâssent, sed *qui prior descendisset in piscinam post motionem aquæ* Joan. 5. v. 4. quare sanabatur prior? quærit Hugo Cardinalis & respondet, ut hoc doceretur exemplo, parum juvare in vinea & familia DEi prioritatem temporis, nisi accedat & prioritas laboris atque virtutis. prævenit Joannes Christum, Vox præcedit Verbum, sed ùt loquitur Chrysologus serm. 137. *præcedit non præcellit.* præcesserunt Joannem alii Patriarchæ & Prophetæ, quibus tamen omnibus judicio Salvatoris ipse antelatus est: *Amen dico vobis, non surrexit inter natos mulierum major Joanne Baptistâ* Matth. 11. v. 11. quia etsi plures eo laboraverunt diutius, inquit Algerus l. 2. de Sacram. altar. c. 7. nemo ferventiùs & puriùs. præcelleret solem rubus, filix lunam, si sola antiquitas spectaretur: *anterior rubus quàm sol,* inquit acutè Ambrosius l. 4. hexamer. c. 1. *antiquior herba quàm luna.* at præcedit tempore, non præcellit virtute, non annis sed meritis dimetienda est antiquitas, ille senior annis qui potior meritis.

§. 9. Causa tertia quia tamdiu expectârunt evocantē Patremfamilias.

Nihil proinde mirum, si novissimi tempore potiores sint apud Patrem familias remunerationis jure, quia labore & meritis fuere præcellentiores. Addamus breviter & causam tertiam, cur novissimi ad vineam primi vocati fuerint ad coronam, quia magnam præ se tulerunt patientiam & longanimitatem, cùm totâ die expectarent, à quo in vineam conducerentur.


Cau-

Causam hanc invenit ingeniosissimus Origenes homil. 10. in Matth. in hæc verba: magnam excusationem habuerunt ad hoc, ut digni efficerentur totius diei mercede secundum quod excusaverunt seipsos dicentes: nemo nos conduxit, propter quod & Paterfamilias libenter conduxit eos, & ut ità dicam, reddidit eis mercedem, pro eò quod magnanimiter totâ die steterunt & expectaverunt usque ad vesperam conductorem. Hæc ex Origene.

Magnanimæ virtutis opus est expectare vocantem DEum, nec se in labores & munia Apostolica ingerere, priusquàm vocet & annuat Spiritus, hoc enim est sustinere Dominum quod generosi cordis & maturæ virtutis indicium judicat Psaltes? *viriliter age, confortetur cor tuum & sustine Dominum.* Poterat Joannes Baptista divinam suam prædicationē anno vicesimo quarto ætatis inchoare, tricesimum nihilominus expectavit, donec Verbum Domini (*præceptum* intelligit S. Chrysostomus homil. 10. in Matth.) super eum fieret: *factum est verbum Domini super Joannem* Luc. 2. v. 2. hæc verba clarè ostendunt (inquit Titus Bostrensis) Joannem ad Baptismi & verbi ministerium se non ingessisse, sed à DEo vocatum & missum fuisse. expectavit Joannes, dum ad prædicandi laborem evocaretur, cui unica fuerat voluptas ac desiderium, citò Vocem agere Verbi, & pœnitentiam populis prædicare. Et quamvis in ætate virili Joannes prædicare primùm jubeatur, Samuel verò pœne infans ad enuntiandum DEi verbum mittatur, non tamen majorem idcirco Samuelem dixeris, quod citiùs diutiúsque, sed Joannem omni exceptione majorem duces, quòd ferventiùs idem prædicandi munus obierit. Poterat & Salvator ab anno ætatis duodecimo, quò magistrale sapientiæ suæ specimen inter Doctores Solymis dederat, docendi officium auspicari, initium tamen priùs non fecit, quàm publicâ Patris cœlestis voce Doctor orbis utriusque renuntiaretur, cùm baptismate in Jordane suscepto vox de nube illaberetur: *hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui,* (vel ùt D. Cyprianus legit l. 2. de baptism. *in quo bene sensi) ipsum audite.* Matth. 3. v. 17. Poterat Virginea Verbi Mater, si dicere ad populum sineretur, admirandos animorum ciere motus, morúmque conversiones facere incredibiles, at quia ad prædicandi munus non vocatur, honorem sibi ipsa non sumit, sed novissimo contenta locò, Ancillam se gerit, digna vel ideo super omnium Cherubinorum capita elevari, quæ silendo plus meruit, quàm Apostolicæ omnes Angelicæque lingvæ loquendo. Nimirum majoris meriti est, nihil agere, cùm sic vult DEus, quàm omnia agere & mundum universum lucrari præter DEi voluntatem. Sint proinde novissimi operarii pares primis, quia expectando laborem plus silentio & spe, ex Origenis sententia, meruerunt, quàm qui primi ad labores sunt admissi.

Coronemus problema & murmuronibus operariis auroram, flores, fumos faveamus, novissimis verò solem, fructum, ignem. prior igne fumus est, flos fructu, aurora sole, non tamen idcirco præstantior, sed ex lemmate aureo Chrysologi: *præcedit non præcellit.* qui præcellere vult, gaudeat novissimus videri, dummodò cum hodiernis novissimis plus faciat horâ, quàm primi die integrâ. Nescio cur novissimi tantopere placeant antiquo dierum! novissimus inter filios Jacobi Beniamin est, & plus ceteris dili-

diligitur; de novissima Beniamini tribu Saul est,& in Protoregem Israelis inungitur; novissimus inter fratres David est, & ad sceptrum elevatur; novissimus Davidis filius Salomon est,& regni hæres duodecimo ætatis anno declaratur; novissimus Apostolorum Paulus est, & plus omnibus laborando meretur. novissima in Apostolorum consessu in monte Sion MARIA Virgo est, & parem non habet, nè primis quidem ex ordinibus Angelorum. Novissimus virorum MARIÆ Filius est,& hic principium & finis,princeps Regum terræ, primogenitus omnis creaturæ. ex quo disce: *primus ut sis,novissimus esto.* Coloss. 1. v. 15.





PROBLEMA XL.

Cur tertiam seminis sui partem perire sinat cœlestis Agricola.

DOMINICA SEXAGESIMÆ.

Exiit,qui seminat seminare semen suum. Lucæ 8. v. 5.

§. 1. Brevicula parabolæ expositio.



Temerarius sit, qui aliter evangelicam explicare præsumat parabolam, quàm cœlestis ipsemet Magister exposuerit. *Cavendum est,*monet in c. 15. Matthæi Hieronymus, *nè vel aliud vel plus velimus intelligere, quàm ab ipso expositum est.* Seminator Christus est ùt Beda docuit: *Seminatorem istum nullum meliùs quàm Filium DEi intelligere possumus, qui de sinu Patris egressus est.* Seminavit ab orbe condito in cordibus hominum semen suum,dum lumen illis naturale indidit ad dignoscenda vera à falsis, æterna à caducis, utilia à noxiis, nec cessat hac & omni horâ per inspirationes internas, monita externa, per leges ecclesiasticas & civiles,per beneficia & flagella seminare semen bonum doctrinæ suæ, quæ nos declinare à malo,& bonum jubet operari. Exiit hic Seminator, unde quæso & quò? *unde exiit* (quærit S. Chrysostomus homil. 45. in Matth.) *qui ubique præsens est? qui omnia replet? aut qualiternam exiit? certè non loco sed habitudine, atque Incarnationis dispensatione propinquior nobis factus.* Seminavit Filius (inquit D. Bernardus) ipse est enim,qui exiit seminare semen suum. Pater non exiit, sed Filius à Patre processit & venit in mundum, ut qui priùs erat cogitatio pacis in corde Patris, fieret & ipse pax nostra in utero Matris. Exiit quodammodo ex seipso,dum urgente vi amoris in ama- Bern. serm. de S. Benedict.

amatum transiit, amantis enim anima, inquit ex Aristotele Publius Mimus, in alieno corpore vivit. Exiit non expectans, dum vocaretur, sed ultro gratiarum suarum semina in corda nostra jecit, ut se quàm maximè paratum in salutem nostram declararet. Semen suum vocat, qui hoc solum suum reputat, quod aliis donat. Suum vocat non tantùm ut differentiam inter suam & Philosophorum ac Prophetarum doctrinam indicet, qui non suum sed aliunde acceptum (omne enim donum perfectum de sursum est descendens à patre luminum) seminârunt verbum, sed etiam ut admireris Verbi pretium, quod in salutem nostram prodigere non dubitat: certè tam pretiosum hoc semen est, ut si Doctori Angelico credimus, minimum ejus granulum toti præponderet universo, tam pretiosum hoc semen est, ut non minori reverentiâ dignum, si fides Augustino, quàm Sacrosancta Eucharistia; tam pretiosum hoc semen est, ut pro eo suam ipse ponat animam & impendat vitam. Tam pretiosum hoc semen est, quàm sit ipsemet Seminator, ipse enim est Verbum Dei. Verùm si semen tanti est pretii, cur in terram deviam, lapideam, spinosam projicitur, ubi perire necesse est? O Sancte Prodige (exclamo cum Chrysologo) cur semen tam pretiosum continuò prodigis, cur impensis & labori non parcis, cur infaustam terram maledicto non feris & deseris? qui habet aures audiendi causam prodigè sparsi seminis audiat, & hoc ipsum divini verbi semen non prodigat.

§. 2. Causa prima, quia nullius salus desperanda.

Problema à me hodie propositum, cur Seminator cœlestis tres seminis sui partes eò jecerit, ubi fructum non afferendum prænôrat, pridem expendit resolvítque D. Chrysostomus homil. 45. in Matth. *quomodo credendum est in vepribus & in lapide & in via prudentem hominem seminare? in agris certè & in seminibus quæ terræ mandantur, stultè factum videretur: in animis autem atque doctrina probè atque laudabiter. possibile enim est, ut lapis in terram fertilem convertatur, & ut via non conculcetur, sed in uberes agros traducta nec vepres emittat & semina foveat.* Est homo ager quidam voluntarius, qui virtute jacti seminis ex terra sterili in fœcundam, ex spinosa in amœnam, ex petrosa in mollissimam potest transmutari; potens enim est DEus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Ager devius fuit Saulus & Latro JESU concrucifixus, quorum utrumque Sator cœlestis projecto gratiæ semine fecit esse frugi, illum quidem in agro Damasceno prostratum & quasi conculcatum reducens in viam, hunc verò in Golgothæo monte Crucis suæ umbrâ in lucem gratiæ adducens, dignos reddidit ambos, ut & latro eâ adhuc die esset in paradiso, & Paulus in tertium raperetur cœlum, facti ambo tanquam agri pleni, quibus Dominus benedixit. Ager petrosus fuit Thomas, & tamen beneficio divini seminis in terram mollissimam mutatus est. Ager plenus spinarum fuit Matthæus & Zachæus, Magdalena & Samaritana, & tamen in terram mundissimam abiêre, de qua Ezechiel c. 36. v. 35. *terra illa inculta, facta est, ut hortus voluptatis.* Nimirum ùt D. Augustinus l. 1. de Civit. c. 11. monuit, nullus adeò iniquus est, cui salus sit omnino desperanda. Non desperavit de Salute Herodis Joannes Baptista, etsi sciret senticetum esse voluptatum, petram scandali, viam regiam dæmoniorum. Non desperavit de salúte Annæ & Caiphæ & quotquot erant de genere sacerdotali Petrus, ad quos ferventissi-

tissimam habuit exegesin Act. 4. à v. 9. Non desperavit de salute Felicis præsidis Paulus, cujus conversionem potentissimis de justitia & castitate & judicio futuro disputationibus urgebat Act. 24. v. 25. non desperat unquam de perversione & ruina justi diabolus, cur nos diabolo magis pusillanimes de conversione & salute peccatoris desperaremus? *truculentissima certè bestia* inquit de dæmone Chrysostomus homil. 10. in Matth.) *nunquam solet desperare victoriam, nunquam nostram desperat perditionem.* vicissim ergo & nos nunquam peccatoris desperemus salutem, ex Zizanio potest fieri triticum, ex agro sterili fœcundus, ex petra mollis gleba, ex senticeto hortus voluptatis. Laudat Lupum Episcopum Sidonius Apollinaris, quòd animo ceciderit nunquam, cùm casus suorum cerneret, quin potiùs secuturæ spe pœnitentiæ omnem convertendis iisdem operam impenderit. *Nôsti, ùt apparet, ex adversa acie sauciatos Dux veterane colligere, & peritissimus Tubicen ad Christum à peccatis receptui canere, & evangelici Pastoris exemplo non amplius lætaris, si permaneant sani, quàm si non permaneant desperati.* Ita Sidonius Apollinaris l. 6. ep. 1. ad S. Lupum Episcopum Trecis.

§. 3. Lapsus in scelera est aliquando effectus divinæ prædestinationis.

Quid? quòd ipse Sator cœlestis permittat terram priùs frugiferam sterilescere, lapidescere, senticescere, volo dicere, permittit electum in gravissima prolabi scelera, ut exinde sanior, sapientior ac sanctior resurgat atque ex ipsis sceleribus proficiat ad virtutem & salutem, est enim inter prædestinationis divinæ, ùt Scholæ loquuntur, effectus permissio lapsuum in peccata. *Discretus quisque* inquit D. Gregorius, *ex eo quòd malè egisse se intelligit, ad districtionis regulam arctiùs se reducit, & inde altiùs ad justitiam proficit, unde ad tempus à justitia decidisse videbatur, quia nonnunquam etiam culpa fortium, occasio virtutis fit.* (S. Greg. l. 21. moral. c. 26.)

Fortissimus Samson prodigiosam illam fortitudinem suam capillis adscripsit: *ferrum nunquam ascendit super caput meum, quia Nazaræus, id est consecratus DEo sum de utero Matris meæ* Jud. 16. v. 17. cur donum fortitudinis capillis DEus illigavit, & non potiùs lacertis brachiorum vel certè digitis manuum inseruit? *David certè acceptam à DEo fortitudinem in manibus reponit: qui docet manus meas ad prælium & digitos meos ad bellum.* non ità Samson, sed totam in cæsarie numerat fortitudinem: *ferrum nunquam ascendit super caput meum*, idcirco nec hostile ferrum subiget corpus meum. Habent hoc capilli singulare, quod à vulnere vegetiores crescant, digitus verò aut manus si amputetur, non crescit ampliùs, ut meritò abscissæ cæsariei id quod viti putatæ adscripseris: *ex vulnere crescit*, manui verò: *sub vulnere perit.* Maluit itaque capillis DEus suam addicere gratiam quàm brachio, quia caput rasum solidiores ac pulcriores progerminat crines, docens nullâ vi fieri posse, inquit Baëza, ut sationes divinæ etiam post lethale vulnus, non iterum crescant. Allusit huc D. Petrus Dam. opusc. 7. c. 23. *Philistæi crines Samson potuere radere sed non evellere; quia & iniqui spiritus licèt charismata Spiritûs Sancti à te ad tempus excluserint, non prævalent divinæ reconciliationis remedium irreparabiliter abnegare.* Sinite agrum sterilescere, nec tamen ideo desperate de fructu, reddetur enim si cœlestis Sator voluerit, à sterilitate fœcundior. Et nunquid Samson ipse post capillorum jacturam, post virium enervationem, post oculorum

Figura prima Samson

Ps.

Baez. to. 5. l. 10. c. 21. §. 2.

effossionem, post servitutem lapsúmque turpissimum surrexit fortior, ac hostibus præclarâ ultione graviorem stragem moriens intulit, quàm unquam vivus patrârat? Eleganter de Samsone. Bacchiarius epist. de recip. lapsis: *Samsonem cùm in perniciem sui mulieris blandimenta vicissent, postmodum in fine obitûs sui majorem inimicorum exercitum prostravisse, quàm antea quando Nazaræus, id est, immaculatus reperitur.* Sensato ænigmate plena sunt illa Ecclesiastici verba: *melior est iniquitas viri quàm mulier benefaciens.* potéstne iniquitas esse bona? imò melior virtute ipsâ? & cui bona? in se nunquam bona, aliquando tamen bona viro sapienti & fideli dicitur iniquitas, sicut bona est sectio vitibus, morsus lupinus equo, cicatrix militi strenuo, nimirum cùm qui prolapsus est, fortior exurgit & virilibus facinoribus pristina compensat flagitia. *melior est iniquitas viri quàm mulier benefaciens,* quia sanctior redditur justus post lapsum, quàm innocens tepidus in quotidianis ordinariæ pietatis operibus perdurans.

Ecclesiastic. 42.

Figura Secunda Moyses.

Memorabili figurâ veritatem hanc in Moyse expressam video. Redierat is ex monte *portans duas tabulas testimonii in manu sua scriptas ex utraque parte,* cùm ecce populum vitulari & turpissimo idolomaniæ scelere contaminari videt, nec se continet, quin utramque tabulam abjiciat, confringat, & pro nova lege oraturus DEum, repetat montem. Rediit, quadraginta dies iejunus oravit, novas tabulas obtinuit, quas cùm referret, cornutus apparuit: *ignorabat, quòd cornuta esse facies sua* Exod. 34. v. 29. in hebraico est: *non sciebat quòd radians esset facies ejus*; in Chaldæo: *Moyses autem nesciebat, quòd multiplicatus esset splendor vultûs sui.* Non radiat Moysi facies, cùm primâ vice de monte venit, sed postquam tabulas confringit, confractásque restaurat. *cum prioribus tabulis facies Moysis non refulsit, sed acceptione tabularum posteriorum splendida facta est* inquit Rupertus l. 5. in Joan. Sic in justis accidit, siquando divinæ legis tabulas frangunt, post legifragium enim & seriam pœnitudinem illustriores virtutum radios emittunt.

Exod. 32. v.

Figura 3. Israelitæ idololatræ

Ex nigredine splendorem ac pulcritudinem suam commendat Sponsa: *Nigra sum sed formosa* Cant. 1. v. 5. nigra à peccato, formosa à pœnitentia, imò formosior post pœnitentiam quàm ante peccatum. Applicat hæc Salomonis verba Paraphrastes Chaldæus idolomanico populo, qui post peractam pœnitentiam majoribus à DEO splendoribus exornatus est: *quando Israelitæ fecerunt vitulum, denigratæ sunt facies eorum & quando egerunt pœnitentiam, & dimissum eis fuit peccatum, multiplicatus fuit splendor gloriæ vultus eorum, sicut vultus Angelorum.* Nigrescunt quidem sponsæ Christi, cùm peccati maculam contrahunt, verùm ubi pœnitentiæ lacrymis eandem diluerint, longè majorem contrahunt formositatem. non Angelo, non innocenti homini sed peccatrici animæ dictum est: *specie tuâ & pulcritudine tuâ intende prosperè, procede & regna.* ità enim psalmi verba D. Laurentius Novariensis homil. de eleemosyn. exponit: tibi hoc dicit, qui criminibus cedis, ad te loquitur, qui criminibus vinceris. Plora compunctus, ut possis recipere speciem cordis & pulcritudinem corporis. Ex sericis lappulis quas *muscas pulcritudinis* vocant, pulcritudinem suam augere amant nostrates domicellæ: ex præteritis peccatis multo dolore deletis, splendores exaugent suos animæ peccatrices.

Ps. 44. v. 5.

Non

Figura 4. Ninive. Non unam animulam sed civitatem integram accipiamus Niniven, cujus salus deplorata poterat videri, cùm decretoria promulgata jam fuerit sententia: *adhuc quadraginta dies & Ninive subvertetur.* Joan. 3. v. 8 Audiunt sententiam Ninivitæ: nec tamen desperant, sed quasi perbellè callerent illam sententiam quam multis pòst seculis Cyprianus protulit: in eodem articulo temporis, cùm jam anima festinat ad exitum, & egrediens ad labia spirantis emerserit, pœnitentiam clementissimi DEi benignitas non aspernatur: nec serum est quod verum; & quæcunque necessitas cogat ad pœnitudinem, nec quantitas criminis, nec brevitas temporis, nec horæ extremitas, nec vitæ enormitas, si vera contritio, si pura fuerit voluptatum mutatio, excludit à venia. quasi inquam calluissent hanc solatii plenam sententiam, ad saccos & cineres præeunte Sardanapalo Rege recurrunt: *operiantur saccis homines & jumenta, & clament ad DEum in fortitudine. quis scit si convertatur & ignoscat DEUS.* Jon. 3. v. 8. dubiam ponit Rex veniam, ut ad acerbiorem incitet pœnitentiam: *ideò ambiguè profert,* inquit Remigius in glossa, *ut dubii de salute fortiùs agant pœnitentiam.* Et verò egere tam feliciter, ut non modò imminentem cladem averterint, sed longè ampliori felicitate, splendoribus ac triumphis quàm unquam antea, à propitio Numine fuerint donati. En ut nullius desperanda salus! en ùt ager sterilis & petrarum spinarúmque plenus in feracissima convertatur jugera! en cur in scelera DEus homines labi permittat, ut dubii de salute fortiùs agant pœnitentiam.

Figura 5. Jonas. Ninivitis Jonas accedit, qui & ipse adnumerari pœnitentibus suóque nos docere potest exemplo, priorem lapsum velocioris cursûs esse calcar & incentivum. cecidera t Jonas DEO refractarius, usque in ceti ventrem, ex quo cùm respirâsset, surrexit & abiit in Niniven non testudineo gressu sed aquilino pœne volatu cœpit introire civitatem itinere unius diei. cur tam festinanter ô Jona? quin priùs te siccas post balneum, reficis post jejunium, respiras post naufragium? Erat Ninive tantæ magnitudinis, ut vix trium itinere dierum circuiretur, at Jonas memor præcepti & prioris naufragii *iter trium dierum*, ait Hieronymus, *festinatione unius diei complevit.* Nimirum subitus fervor longum vincit teporem, & lapsus anterior posteriorem stimulat cursum.

Figura 6. David. Ex hoc quòd justus cadit, inquit Doctor Angelicus, resurgit cautior & humilior. nuper in Hispania nobilis ostentationis gratiâ equum agitabat in foro, sed ab equo in cloacam projectus, ex cœno surrexit & in cœnobium se proripuit risurus mundum, à quo irridebatur. Equitabat David insolenter, sed in lutum fœcis cecidit, cujus tamen pedes supra petram DEus statuit & immisit in os ejus canticum novum. ecce quis inde fructus etiam in alios: *videbunt multi & timebunt*, nè cadant, *& sperabunt in Domino* si ceciderunt. Ps. 39. v. 4.

Balteum Regum dissolvit, inquit de justis Job, quos *Regum* titulo compellat, balteum Regum dissolvit, quando in his (verba sunt Magni Gregorii) qui bene regere sua membra videbantur, propter elationis culpam, castitatis cingulum destruit. Job. 12. v. 18. ità balteum Regis Davidis, balteum Augustini, balteum Jacobi eremitæ & sexcentorum dissolvit, ut dissolutos ad arctiorem salutis semitam & solidius continentiæ cingulum induceret. Audiamus quid Augustinus dicat: *audeo dicere su-* S. August. l. 4. civit. 13.

 per

perbis esse utile cadere in aliquod apertum manifestúmque peccatum.

Figura 7. Arca fœderis.

Denique nè longior sim, figuram justi lapsi elegantissimam in Arca fœderis aspicio, quæ ùt habetur 1. Reg. 4. & 5. capta à Philistæis anno M. 2939. ante Christum 1114. ínque triumphum circumducta & primario Dagonis fano, (Veneris erat statua superiore parte feminam, inferiore piscem referentis, velut Siren pingi solet: illata majorem stragem inter Philistæos edidit, majorique cum gloria in Silo (civitas erat in altissimo monte octo milliaribus Italicis Solymis dissita) deducta & triumphali pompâ fuit celebrata, quàm si nunquam capta fuisset. pessimis enim ulceribus percussi Philistæi & pestilentiâ faméque consumti pœnas quidem temeritati, gloriam verò DEo vivo & vero dederunt. Capitur à dæmonibus subinde animula electa, & in fanum Veneris inducitur, verùm ubi captiva anima in se redit, per insolentes & generosas mortificationes detruncat Venerem, confundit dæmonem & jejuniis ac pœnitentiis, quæ sunt diabolo instar famis & pestis, totum pessumdat infernùm.

§. 4. Altera causa, ut liberalitatem suam & curam salutis nostræ ostendat.

Patet ex his omnibus nullius desperandam salutem, nec rationalis ullius agri, utut sterilis sit, culturam negligendam esse, sapientérque proinde à divino Agricola semen in terram sterilem, petrosam & spinosam dispergi, cùm spes esse possit divini virtute seminis sterilem in fœcundam commutatum iri. At maneat nihilominus vitio suo semper ager aridus & spinarum petrarúmque plenus, prævideátque indubitatè hoc Agricola, semen nihilominus jacit, ut liberalitati suæ non desit, nec inter agrum & agrum, personâ & personam discernere videatur. Ratio hæc iterū Chrysostomi est ità loquentis hom. cit. *quemadmodum agricola seminans nō discernit campum, ut in altera parte seminet, in altera verò minimè, sed ubique projicit semina, eodem modò Salvator noster non divitem, non pauperem, non ingeniosum aut rudem discernit, sed in omnibus, quamvis non ignoret futurum exitum, pietatis doctrinam commendat. Sic certè licebit ei dicere: quid oportuit me facere, nec feci?* hactenus orator aureus.

Sicut Pater cœlestis solem suum oriri facit super bonos & malos, ut boni evadant meliores, mali verò divinis beneficiis emollescant, ità & Filius ac Sator divinus semen suum in bonos & malos spargit, ut omnibus innotescat divina clementia & profusa in omnes liberalitas. De fluvio, qui paradisum irrigabat, ità scribit sacer Geneologus: *fluvius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde dividebatur in quatuor capita* Gen. 2. v. 10. in quatuor fluvios fons paradisi dividebatur, quorum primus Phison dictus terram Hevilath inter Syriam & Palæstinam sitam irrigat; alter Gehon Æthiopiam & Ægyptum fœcundat; tertius Tigris Assyrios inundat; quartus Euphrates terram promissionis alluit. decuisset fortasse ut paradisi aquæ solam promissionis terram irrigarent, at vix alluunt eandem, idolomanicas potiùs gentes & juratos electi populi hostes fovent, ut summam DEi benignitatem exprimant, qui inimicos præ amicis cumulat felicitate & gloria; & plus seminis in terram indignam quàm aptam projicit, ut quàm cordi illi sit salus nostra, manifestet.

§. 5. Quantam Salutis nostræ curam Christus gerat.

Tanti salutem nostram Christus facit, ut vocet eam Omnia: *omnia mihi tradita sunt*, non cœli & terra & elementa intelligenda sunt inquit Hieronymus, sed hi qui per Filium accessum habent ad Patrem. pluris ille salutem nostram; quàm suam

ſuam æſtimat Majeſtatem. perquam ingenioſè id David expreſſit Pſ. 50. *quoniam ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem utique: holocauſtis nõ delectaberis. Sacrificium DEO Spiritus contribulatus.* holocauſta ſunt actus religionis ad conteſtandam Dei excellentiam, contribulatio Spiritûs, eſt actus pœnitentiæ, multò inferior virtus, ac religio. cur ergo pœnitentiam pluris facit quàm ſui adorationem? quia noſtram ſalutem pluris quàm ſuam facit majeſtatem. Majeſtatis erat abundare divitiis, nec quidquam repugnat magis majeſtati quàm infima egeſtas, & tamen cùm dives eſſet, propter nos egenus factus eſt. *pauper Chriſtus factus eſt, ut nos illius paupertate diteſcamus* inquit D. Gregorius Nazianzenus orat. in paſcha. *Servi formam accepit, ut nos libertatem recipiamus, deſcendit ut evebamur, tentatus eſt, ut vincamus, contemtus eſt, ut nos gloriâ ſuâ afficiat, mortuus eſt ut ſervet, aſcendit ut ad ſe trahat humi provolutos in peccati lapſu.* Majeſtatis erat non clamare neque extollere vocem foris, clamavit tamen, etſi vates dicat: *non clamabit*, videlicet ad injurias proprias amoliendas; clamabit verò ad Salutis noſtræ negotium procurandum. Mandat ſuprema Majeſtas Zachariæ prophetæ, ut coronas quàm plurimas ex auro & argento fabricet eáſque capiti Sacerdotis Summi JEſu, filii Joſedech imponat, ùt videre eſt Zachariæ 6. v. 11. cur tot uni coronæ? quia Jeſus iſte Sacerdos perſonam Domini JEſu agit, in quo multæ ſunt ad coronandos Electos coronæ. Sed cur coronas quas diſtribuere parat, in capite potiùs quàm manibus geſtat? quia coronas quas elargitur, ità ſibi proprias putat, acſi in ſuo capite reſiderent, inquit Sylveira ex D. Hieronymo: *ponuntur coronæ Jeſu Filio Joſedech Sacerdoti magno, quia nobis proficientibus & reverſis ad meliora per ſingulas virtutes noſtras Dominus coronat, imò nobis virtute pœnitentiæ coronatis, Salvator in ſingulis coronam accipit.*

Coronemus hoc problema ſacerrimo emblemate, quo JEſum Crucifixum in monte Calvariæ pendentem exhibeo, è cujus vulneribus guttæ theandrici ſangvinis velut grana divini ſeminis profluunt & quidem è dextra manu in petram ſeu latronem dextrum cum lemmate: *molleſcet.* ex vulnere lateris in ſpinam ſeu Longinum: *floreſcet.* ex pedibus in Calvariam Adami ſub cruce ſecùs viam jacentis decidunt: *revireſcet.* ex manu ſiniſtra in latronem ſiniſtrum exſiliunt, ſed à corvis intercipiuntur, ut ſinè germine exareſcant: *non eſt mea culpa, quòd aret*: Terrâ terra terra audi Sermonem Domini: ecce cecidit ſemen divini ſangvinis in petras Golgothæi montis, & petræ ſciſſæ ſunt. cecidit ſecùs viâ in monumenta eorum, quia jam Viatores non ſunt, & monumenta aperta ſunt, cecidit in ſpinas, & ecce flores apparuerunt in terrą noſtra, ipſáque Crucis area in hortum abiit: *erat autem in loco, ubi Crucifixus eſt, hortus* Joan. 19. v. 41. ô terra terra terra cordis mei, quin & tu germinare, florere, fructificare tandem incipis, poſtquam toties in te Verbi & Sangvinis divini ſemen cecidit. §. 6. Emblema.



PRO-



PROBLEMA XLI.

Cur in Bacchanalibus Evangelium de Passione?

DOMINICA QVINQVAGESIMÆ.

Ecce ascendimus Jerosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de Filio hominis. Lucæ 18. v. 31.

§. 1. Statùs quæstionis



Quid hoc? evangelium hodie de passione? carmen de tempore? sufficit longa mœstæ materiæ quadragesima, lætiq aliquid hodie cogitandum est, nè commutâsse tempora, & ex ridendi tempore tempus flendi contra Sapientis doctrinam fecisse videamur. Indulget nonnihil sibi per has ferias Christiana modestia, & quasi monentem audiret Apostolum; *gaudet in Domino semper, iterum dico gaudete*, gaudio laxat habenas, cur ergo importunâ de Dominicis cruciatibus narratione interturbatur gaudium & cithara vertitur in luctum? quid mirum si velut olim Apostoli, ità & hodie Christiani, *nihil horum* intelligant, cùm tristissimam Dominicæ tragædiæ historiam eo tempore sibi ingeri audiunt, cùm diversas ipsi cogitant faciúntque comœdias. Cur ergo hodie de passione Evangelium? rationem nî fallor congruentissimam præsens dabit oratio, cui ut quàm attentissimas cordium áures apparetis, vehementer oro & obtestor.

Philipp. 4. v. 4.

§. 2. Ignominiam Crucis Christus elegit, ut mundum ad se traheret.

Ad Bacchanalia credo ivisse Dominum, cùm diceret: *ecce ascendimus Hierosolymam.* tam hilari facie istud dixit, tam celeri pede ambulavit, ut extra se rapi videretur. nemo ad lusum, ad saltum, ad symposium tam avidè properat, quàm ad crucem JEsus. & cur hoc? ut destruat peccatum, ut perdat gentilismum, ut comparet sibi gloriam à Cruce. A Cruce gloriam? nihil cruce ignominiosius. *facinus est vincire Civem Romanum*, clamabat Cicero in Verrem l. 5. *scelus verberare, prope parricidium necare, quid dicam, in crucem tollere? verbo satis tam nefaria res appellari nullo modo potest.* & pro Rabirio: *nomen ipsum Crucis non modo à corpore Civium Romanorum, sed etiam à cogitatione, oculis & auribus alienum.* Vocat Seneca ep. 20. *infelix lignum.* Tacit. l. 4. instit. *servile supplicium.* Lactantius l. 4. c. 27. *supplicium homine libero indignum.* Gracchus contra Pompilium ignominiosius dicere non potest quàm, *dignus est Cruce.* Canis quotannis cruci affigebatur Romæ, tubicine præcinente: *sic punietur quicunque Republi-*

cæ

tæ bono non bene advigilaverit. Nec aliter curari potuit Romanorum insania seipsos propter irrogatas injurias jugulantium, quàm cadavera jugulatorum affigendo Cruci. Hanc tamen infamiam Cruci meliùs, quàm Socrates ignominiam carceri, Christus ademit, qui dixit Joan. 12. v. 32. *Cùm exaltatus fuero, omnia traham ad me ipsum* & quomodo trahet? respondet Oseas c. 11. v. 4. *In funiculis Adam.* seu ùt Vatablus legit: *in vinculis charitatis.* Crux est ille funiculus, quo nos trahit, sibíque obligat JEsus, ait D. Bernardus cit. à S. Thoma Villanov. ser. 1. de judicio. Multis modis DEus conatus est pertrahere ad se corda hominum; egit enim suppliciis, egit beneficiis, at semper egit actum. Minatus fuit hominibus crucem aqueam, & in ea crucifixit mundum Gen. 7. immisit igneam & affixit pentapolim Gen. 19. aperuit terream, quæ devoravit Abiron, Core, Dathan; *sed nec sic mundus idololatriâ relictâ resipuit.* S. Bernard. apud S. Th Villan. beneficiis ut traheret, *fovit eos ut gallina pullos suos, si fortè videns mundus tot tantósque favores diceret: revertamur & serviamus illi DEO pio & optimo, qui sic benignè & magnificè tractat cultores suos.* Sed neque sic conversus est. post omnia beneficia gratias agunt, quales solent vituli bene pasti, recalcitrant, exsiliunt, mugiunt, imò aureum vitulum adorant, hic videlicet DEUS est, qui vobis manna depluit, hic aquam dulcissimam è petra educit, hic vos obumbrat per diem, illuminat per noctem, traducit per Jordanem, inducit in terram melle & lacte fluentem. O crassi boves nil aliud quàm vitulum gignere potuistis? Nec tamen benignus & patiens DEus cessat hominum demereri amores, adhibétque medium ultimum & efficacissimum, cùm ipse de sinu Patris descendens, angelicos choros deserit, in stabulum succedit, inter bovem & asinum medius recumbit, ut vitulantes vel hac arte ad jugum suum suave, ad amorem suum alliciat. nuntiatum est mundo ait Thomas cit. audivit, credidit, intellexit, & quem non vicerat timor neque favor, vicit amor; non enim valuit tantæ dignationis & bonitatis onus sufferre.

Sed interrogabo nunc ego te Bernarde? éstne mundus jam tandem factus obediens præceptis divinis, jamne idololatriâ relictâ resipuit? jámne ad pedes Christi prostratus colit illum tanquam verum & unicum DEum ac Dominum? jámne emollitus est lacrimis, sangvine, sudore, labore, amore, Redemtoris sui? Ah sit verum dicere: ita. si de ævo tuo loquare Bernarde, nescio quid dices, forsan illud tuum perfectius est nostro. De nostro non possum coram Veritate æterna dicere, quòd mundus idololatriâ relictâ resipuerit. hodie mundus celebrat Bacchanalia, totus gentilis est. Vade per aulas, intra in Ecclesias. In aula videbis vivas imagines ornatas splendidè, in Ecclesia pictas imagines Crucifixi, vide utrùm plùs colatur Crucifixus, quàm muliebris mundus. fiúntne tam profundæ reverentiæ Venerabili Sacramento, quàm ipsi sibi aulici invicem faciant? itáne modestè se gerunt in convivio Eucharistico quàm in solenni symposio? itáne accuratè attendunt ad verbum divinum, quàm ad salsum jocum, ad inexpectata nova, ad cantum aliquem orcinum authore Lucifero vel uno è capella ejus compositum? quid dicam de avaris, iracundis, luxuriosis? Martem, Plutonem, Venerem plus colunt, quàm JEsum Man-

ſvetum, Pauperem, Mundiſſimum. O munde quis tuus eſt Dominus?

§. 3. Emblema.

Subtilis vir ingenii emblema hoc nuper effigiavit. ſtabat ab una parte diabolus in ſpecie pulcherrimi juvenis vexillum habens in manu malè caſtis plenum emblematis. videbatur enim Juno cum Jove inceſtuosè congreſſa, Mercurius furto ingeniosè manus implicans, Jupiter in Argi mortem conſpirans, & Danaëm per imbrem aureum corrumpens &c. deorum ſcelera tanquam heroica facinora exprimebantur. infra hoc vexillum erat ingens & innumerabilis turba jubilans & plaudens, appoſitâ epigraphè: *Non crucifigor & adoror.* ex parte altera erat Chriſtus in virili habitu vexillum tenens album, in quo crux rubra plena ingenioſis Symbolis: Pelicanus nutriens pullos proprio ſangvine: *ſuo nos ſangvine paſcit.* erat Iris pacem nuntians: *temperat iras.* Botrus in torculari expreſſus: *torqueor ut proſim.* Scala in cœlum porrecta: *facilis aſcenſus.* Spinæ germinantes roſam: *Vernabimus.* erat columba ramum miſericordiæ plenum melle afferens: *ſinè felle, melle redundo.* Sed exigua erat turba ad hoc vexillum congregata habens crucem in manu, dorſo vel pectore, ex quibus tamen aliqui fiebant transfugæ cum lemmate: *blanda placent*, dura diſplicent. In capite emblematis erant hæc verba: *Quis mundi Dominus?* in calce verò: *Chriſtus reficiens deficit, diabolus decipiens proficit.* poteſt proinde meritò inſultare Chriſto dæmon: en quot & quanti & quàm libenter currunt ad me, pro quibus ego tamen nullum cœlum creavi, naturam eorum non aſſumſi, nullam laureolam iis promiſi. caput meum pro iis nulla ſpina pupugit, corpus nullum flagrum concidit, manus nullus clavus transverberavit, oculus nec lacrymam fudit, gena nullam alapam ſuſtinuit, genu nunquam ſe curvavit, nulla venula vel guttulam ſangvinis dedit, & tamen (viden?) mundus totus poſt me abit, ſub vexillo meo indefeſsè militat, vocem meam accuratiſſimè obſervat, omnes vires, totum Sangvinem, vitam & Spiritum obſequio meo conſecrat. Quid tibi prodeſt tua Crux Chriſte, quid ſpinæ, quid flagra, quid clavi, quid ſputa, quid verbera, vulnera, funera? non debebas iſta pro mundo perpeti indigna tuâ Majeſtate, nec convenientia hominum appetitui. mundus vult mollia non dura, dulcia non amara, mel non fel; pungi non vult ſed ungi, ferre injurias non vult ſed ferire, non flere ſed ridere, non dare ſed accipere, non jacére ſub pedibus ſed inſidere capitibus, non pendere in ligno ſed jacere in lecto, non duci per ſpinas ſed per roſas. fruſtra tua ſunt opera, ego præ te homines attraho, mundum ſubjugo, jubilo & triumpho.

§. 4. Paſsio Chriſti efficacissima ad cavendum peccatum.

Usquequò filii hominum? ô inſenſati cur ità vos faſcinari ſinitis? ô cæciſſimi cur in interitum promtè ruitis? ô impudentiſſimi cur tantos diabolo triumphos indulgetis? heu quantùm in die judicii conquæretur contra vos divina Miſericordia, ſubſannabit Juſtitia, clamabunt Chriſti ſangvis & vulnera, conclamabunt æterna ſupplicia, tonabunt fulmina, immugiet æther, terra contremiſcet, ringetur avernus. nimis exilis pro vobis iſte infernus eſt, qui poſt hæc omnia toties audita, conſiderata, ruminata, adhuc hodie mortiferum ſcelus patrabitis, hoc eſt, diabolum adorabitis, Chriſtum crucifigetis, cœlum abnegabitis, inferno infelices animas veſtras devovebitis.

Eja Chriſtiani aperite oculos men-

mentis vestræ & videte erectum amoris vexillum, Crucis mysterium, in quo signo illecebras vincere, astum hostis eludere, animari ad pugnam, assecurari de victoria possitis. In hoc vexillum inscripta lego Origenis verba: *Filius DEI pro peccatis mortuus est, & te peccare delectat?* non ità abstrahere ab ardore peccandi mille inferni valent (ùt S. Thomas Villanovanus Ser. I. de jud. dixit) non civitates flagrantes, non aquarum inundationes, sicut videre DEum pro peccato morientem, ità peccati reatum solventem. Fieríne poterit, ut superbus videat caput JESU spinis compunctum & non demittat cristas suas? éstne possibile ut avarus videat manus clavis affixas, apertásque ad dandum thesauros æternos in cœlis, & non aperiat manum suam ad dandam eleemosynam pauperi? éstne possibile, ut iracundus videat pedes affixos propter se, & non contineat pedes suos, nè currant ad effundendum sangvinem? éstne possibile, ut desperatus videat Christum morientem pro se, & non concipiat spem vitæ suæ? quomodo damnabit pœnitentem, qui propter hoc moritur, nè damnetur? quomodo abjiciet redeuntem, qui de cœlo venit quærere quod perierat?

§. 5. Vexillum Crucis à peccatonos abstrahit.

Lipsius narrat de Africæ populis maximum damnum passis à leonum ferocia. hi enim adeò multiplicati sunt, ut ferinæ carnes non suffecerint in pabulum, quin humanas diriperent, vias & itinera obsiderent & viatores dilacerarent, ut Africa magnâ parte desolata fuerit. Consultum oraculum respondit: leonem caperent, crucísque vivum affigerent, ità stragem leoninam cessaturam, rugitu enim hujus in cruce pendentis ità cohorruerunt ceteri leones, ut patriam omnino deseruerint, ecce *vicit leo de tribu Juda*. Apoc. 5. v. 5.
affixus iste cruci infestis leonib9 incussit timorem, *leo rugiet, quis non timebit?* Amos. 3. v. 8.

Cicero ad Atticum ep. 18. meminit vexillorum, sub quibus militabant Romani. *Vexillo opùs est & convolabunt*, & quidem unusquisque manipulus ad suum. erat verò mira colorum & Symbolorum in vexillis singulis diversitas. inter alia coccineum erat, in quo depictus phœnix, à quo dictum est *Phœniceum* & milites ipsi phœnicei dicebantur, eò quòd generosiores essent ceteris, & eandem ducerent gloriam vel vincere vel occumbete. Phœnix noster JEsus sit, qui amoris absumptus igne revixit; cujus exemplo cadamus in mortem potiùs quàm cedamus tentationi mortiferæ, incinerari & annullari velimus magìs, quàm peccare, sic erit gloria ex cinere.

Memorant veteres Romanorum annales, Catulum Romanorum Ducem, cùm adversùs Cimbros dimicaret infeliciùs, suorúmque plerique strage nimiâ deterriti fugam molirentur, jámque copiosi in pedes se darent, Vexillum arripuisse, exaltâsse, exclamâsse: *Ecce sub quo militatis.* quâ voce & signo animavit timidos, revocavit profugos, restauravit aciem, victoriam obtinuit. Ecce Christiani signum crucis, in quo Christus pependit. hoc vos animet in adversis, confirmet in dubiis, restauret in perditis. Non ità efficax fuit signum Catuli, nec Moysis exaltatus serpens, quàm hoc signum in quo victoria, felicitas, & vita. Ipse Christus se vobis ultro ostendit & in memoriam revocat, quæ pro vobis fecerit, quæ pas-

passus sit, nè denuo eum graviora ferre cogatis.

§. 6. Apostrophe Christi ad peccatores ex S. August.

Manlius Patritius Romanus accusatus ab Æmilio, judicatus, condemnatus, jámque ad locum supplicii eductus, cùm ecce levans oculos vidit capitolium penes quod transibat, exclamavítque: *ausine estis ô Judices Romani Manlium condemnare, qui pro salute patriæ paratus fuit mori?* terruit ea vox non comites tantùm sed & Judices, revocavítque in memoriam Manlii facinus, qui ad repellendos Gallorum impetus vitam suam patriæ devoverat, & à capitolii mœnibus hostem propulsârat. quare sententiam revocant, Manlium reducunt, vitæ gratiam faciunt. Sic tu tibi oggere Christiane: Audésne Christum denuo condemnare, qui pro salute tua mortuus est? neque condemnare solùm, sed longè turpiori morte afficere in temetipso, quàm affectus fuerit in Cruce? Audi ipsummet JESUM querentem apud S. Augustinum ser. 67. de div. *Cur me graviori criminum tuorum Cruce, quàm illâ, in qua quondam pependi, affecisti? gravior est apud me peccatorum tuorum crux, in qua invitus pendeo, quàm illa, quam tui misertus, mortem occisurus ascendi.* Respice montem Calvariæ, in quo ut delerem juratos hostes tuos, vitam & sangvinem prodegi. non est tuæ satisfactum malitiæ, ut me duriori rursum Cruci adjudicares? hæc certè cogitatio, si te à peccando non absterret, pejor immani ferâ es. Sed heu! manet obstinatus hostis & agit nobiscum prout cum Manlio Æmilius egit, adversarius enim iste obstinatissimus denuo litem instituit, mortísque sententiam à Senatu impetravit, nè autem superesset Manlio spes vitæ, per vias cum diversas deduci jussit, è quibus Capitolium non videretur, itáque capite plexus est. Similiter agit dæmon, Crucifixi memoriam oculis mentis nostræ subducit, ut mortifera in flagitia, æternámque inducat in mortem. *Non proposuerunt DEUM ante conspectum suum, inquinatæ sunt viæ illorum in omni tempore.* Ps. 53. v. 3.

§. 7. Resolutio problematis.

Habemus nunc causam nî fallor sufficientissimam, *cur in Bacchanalibus. Evangelium de passione*, ut ejúsdem memoriâ, à peccandi periculis, quæ per has ferias turmatim occurrunt, avertamur. Rem miram refert Bzovius ad annum 1221. numero 10. erat Romæ infamis lupa Catharina nomine, cognomine *Pulchra*, turpissimis luxuriæ sordibus contaminata, fuit enim scopulus, ad quem multorum allisæ periere rates, confluebat siquidem ad eam juventus omnis, vespere quodam nonnemo formosior adventavit, qui dapsili exceptus fuit cœnâ, at omnia fercula Catharinæ visa sunt sangvine aspersa. nec tamen hoc illam perculit prodigium. remotis mensis ad secretum cubiculum Juvenem invitat, nec difficulter impetrat. hic ad flagitium pellicere Agnum ausa lupa stupendam conspicit metamorphosim. ecce enim Juvenis momento mutatus in virum, toto corpore saucius & plagis lividus, veréque Sponsus sangvinum apparet, tot ora quot vulnera exhibet, quibns diræ lanienæ causam arguit, benignissimè tamen ad veniam invitat & cruento hoc spectaculo lupam in Agnellam vel Agnetem, lenam in pœnitentem Magdalenam convertit. quin & tu Veneris proce advolas & cum D. Bernardo innocentissimo nocens peccator exclamas: *ego sum tui causa vulneris, ego sum tui causa do-*

doloris: *peccatum* satis est, ah non peccabitur ultra.

§. 8. Emblema. *Pro* emblemate serpentem fingo spinis undique septum, ità ut circo proserpere nequaquam possit: *Non ultra.* pro sepimento spineo sit nobis corona Christi, ut ex virtutis & legis divinæ circo minimè erumpamus. ità sepiendam feliciter animam promisit DEUS:
Ose. 2. v. 6. *sepiam viam tuam spinis*, nè scilicet ad vetitæ deflectas rosam voluptatis. ex nubibus promicantes duos digitos indices in formam Crucis decussatæ pono (quo gestu minari & juratam indicere iram solemus) ut hoc signo petulcus & arundini suæ inequitans parvulus, projectis crepundiis, salubri timore corripiatur: *vincor in hoc signo.* Crucem & instrumeta passionis omnia nobis hodierno in Evangelio proposuit Mater Ecclesia, ut à Bacchanalisticis crepundiis abstractos pietati & virtuti addicat, nè simus parvuli fluctuantes, nec turpem diligamus infantiam, sed ad Salutem & vitam vincamur in hoc signo. Denique Crucem versatilem ferratam collocemus, qualis ante prata & viarum prohibitarum aditus collocari solet, nè transire fas sit, inscribamúsque: *Crux prohibebit iter.* Ecce Crucem Domini ab Ecclesia hodie propositam, quæ ad prata luxuriæ deviásque scelerum vias prohibebit iter.







PROBLEMA XLII.

Cur Dæmon biverbio: *Scriptum est*, abigatur?

DOMINICA I. QVADRAGESIMÆ.

Scriptum est, Matth. 4. v. 4. 7. 10.

§. 1. Dæmon si contemnatur, vincitur.



Putabam nescio quàm fortem habere nos inimicum, qui Elephanto à Jobo, Giganti à Davide, Leoni rugienti & famelico à S. Petro comparatur; sed experior hodie tam debilem illum esse, ut uno flatu possit dispelli, uno verbo dejici, signo unico enervari, fugari, triumphari. Quid est facilius dicere quàm: *Scriptum est &c.* & ecce cæsus est, nec habet miser diabolus quod opponat, nec retinet animos, ut urgeat. Contemnatur, & victus est. *Aliter tentator non vincitur, nisi contemnatur* S. Augustinus Serm. 41. de verb. Dom. exsibiletur, & fugatus est; Verbo DEi petatur & lapidatus est. Verba volant & lapidem non lædunt, inquit Kempensis, imò non verba & sententiæ multæ sed unicum, si in aëream potestatem, dæmonem inquam, volet, sic illum, qui est lapis offensionis lædit & offendit, ut conterat & pessumdet. Patet hinc solutio problematis, cur alio instrumento ad debellandum Luciferum Salvator usus non sit quàm biverbio: *scriptum est*, quò constaret tam debilem nobis esse adversarium, ut vel halitu prosterni, virgâ exanimari, guttulâ submergi, biverbio possit superari.

§. 2. Dæmon virgâ exanimatur.

Tam imbecillis dæmon est, ut uno spiritu dejici possit. fraudulentus ille quidem est, sed non potens, immanis non robustus, ut dubitem utrùm aliquid sit eo infirmius & timidius. Cant. 1. v. 8. admirabilem fortitudinem sponsæ suæ celebrat Sponsus: *equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te.* Quærit Rupertus hìc: quisnam fuerit ille equitatus in curribus Pharaonis; vel quomodo in curribus Pharaonis. Scimus filios Israel non equites sed pedites excessisse Ægypto prout habetur Ex. 12. v. 37. *profectique sunt filii Israel sexcenta ferè millia peditum virornm absque pueris.* qualem ergo equitatum habuit tunc DEus, cui Sponsam confert? respondet Rupertus per equitatum DEI intelligi Virgam Moysis, quæ tòtum Pharaonis exercitum extinxit: *Magnum, & mirum spectaculum!* Currus Pharaonis valde multi ferro armati, equitatus autem DEi virga una fuit. Virga Moysi, virga illa contra sublimes currus Pharaonis taliter equitavit, hoc modo pugnavit. Nunquam vidit Sol tam

tam ordinatum exercitum, quàm quando filii Israël excessêre Ægypto. Insequitur Pharao fugientes pleno impetu, certus omnes ac singulos contrucidare, etsi hostium sint sexcenta amplius millia, & jam capitibus eorum ad ripam maris imminet plenus omnibus furiis, flammantibus oculis, tumentibus omnibus venis, fumantibus naribus, nudatis rhomphæis. Væ vobis fugitivi, væ tibi mare rubrum hodie bis rubrum videberis. Sed quid animo concidimus? ordinate acies ô Israelitæ in adversum, si modò stetis & jugulum præbeatis, fatigabitur solâ cæde in tantum Pharao, ut velut lassum canem denique conficere poteritis. Nec opùs est armis, sufficit vobis unica, quam Imperator vester Moyses manu præfert virga, hæc est equitatus, hæc peditatus, hæc est currus, hæc est totus exercitus, cum quo itur in Pharaonem. Audite Dominum exercituum suo Generali vices gerenti loquentem: *Tu autem eleva virgam tuam* (sceptrum Martium) *& extende manum tuam super mare & divide illud &c.* ergóne in mari pugnandum non in terra, fluctibus agendum non flammis? si ingrediamur nos mare, insequetur Pharao & habebit nos sicut pisces in reti. Sed obediamus. quis scit, quid intendat DEus, ut prosit nobis. & ecce magnum & mirum spectaculum! extendere secundò jubetur Moyses virgam contra mare, *reversæque aquæ operuerunt currus & equites cuncti exercitûs Pharaonis, qui ingressi fuerant mare, nec unus quidem superfuit ex eo* v. 26. Hæc erat virgæ virtus, quæ crucem significabat. Pharao Luciferi typus est, exercitus illius legiones inferorum adumbrat. jam assequimur mysterium: *equitatui meo in curribus Pharaonis assimilavi te.* Si in campo aliquo Martio staret ordinatissimus validissimúsque exercitus, contra quem veniret nescio quis homo in equo ligneo & post velitationem trium horarum turbaret ordines, fugaret legiones, funderet exercitum universum, haud dubiè ille ligneus equus & scipio, quem victor manu gestat conferri posset imò præferri deberet hostili exercitui universo. Congregabatur Pharao & primum robur totius Ægypti, magnus ferratorum curruum, major cataphractorum equorum, maximus virorum æneorum apparatus, sed his fugandis, his mergendis & ad unum omnibus occidendis, *Virga sat una fuit.* sic eruditur Sponsa cœlestis, si armata sit Cruce, sat armorum habet fundendo exercitui omnium diabolorum.

Sed si dæmon leo rugiens est, quomodo se terreri unicâ sinit virgâ? respondet S. Bernardus Ser. 2. de resurr. quia *hic leo non scit nisi rugire*, quales leones Heliogabalus dicitur habuisse. infert proinde Abbas mellifluus: *non sumus bestiæ, ut nos prosternat vacuus ille rugitus.* Nota: *vacuus rugitus*, quem hac similitudine facilè prosequemur. si tibi equiti & ab armis optimè instructo occurrat latro habens bombardam & nullum aliud instrumentum lethi, de bombarda verò certissimò constet tibi vacuam omnino esse, ità ut latro terrere quidem possit, nullatenus autem nocere, an non excors sis si timeas, si te illi captivum tradas, si spoliari sinas? sic se habet cum dæmone. irrugire, tentare, insectari, terrere potest, sed habet sclopetulum sinè globo, sinè pulvere, sinè igniario lapide; certe nisi te peccatum in bestiam vertisset, nequaquam inveteratum malorum nequam timeres.

Timidam animulam sub Solymæ hieroglyphico solatur & animat DEus

§. 3. Dæmon pictis muris expu-

gnatur & flatu unico difflatur.

DEus Is. 49. v. 16. juxta versionem 70. *ecce ego depinxi muros tuos.* nè timeas ô anima hostem furentem, leonem rugientem, gigantem minantem, ego pinxi muros, quibus te muniam, propugnacula, quibus te tuear, speculam ex qua tibi prospiciam. Ecce ego pinxi muros tuos. *Muros pinxit* ait S. Ambrosius l. de bono mortis c. 5. *quibus hostem possimus avertere.* Sed quomodo muris pictis proteget animam, & propulsabit hostem? siquis contra validum hostem adventantem pictos muros exponeret, an non exponeret unà se cachinnis? Imò verò ridiculus ille hostis, qui terreri se muris pictis sineret. Sinit autem diabolus. ego pinxi muros tuos, solis pictis muris tuebor te, non est opus aliis lateribus & marmoribus, calce, bitumine vel fuso plumbo. pinxi muros tuos, sangvis meus pro te fusus fuit color, clavi mei pro penicillis fuere, quibus pinxi vallavíque te ad panicum timorem omnium hostium tuorum.

Ex his infer quanta sit ignavia nostra, si terreri nos permittamus, imò ultro dedamus dæmoni, quem solo flatu disiicere possemus. Defertur ad baptismum infantulus, dæmonis mancipiolum, sed paulò post ungendus in agonothetam, armandus in pugilem, formandus in militem, quem priusquam Sacerdos aquâ lustricâ abluat, dæmonem his verbis impetit: *Exi ab eo immunde Spiritus, & da locum advenienti Spiritui Sancto.* &: *recede ab hoc famulo DEI,* quæ ubi dixit, sufflat ter in formam Crucis in faciem infantis prout S. Augustinus l. 6. contra Juli. c. 2. notavit. pulchra cerimonia: Solo flatu dæmon ejicitur, tam imbellis est!

§. 4. Dæmon

Nec illud vacat mysterio, quòd unica aquæ guttula sufficiat mergendo dæmoni, quæ ergo ejus debet esse infirmitas? de homine imbecillimo, proverbio dicimus: in una aquæ gutta submergi potest, muscâ levior est longe id verius de dæmone: Disjectum est illius imperium & ipse redactus sub jugum per passionem Domini universaliter, sed & per partes passionis singulas. S. Athanasius, ut definiat, quâ potissimùm parte dæmon vulneratus sit, non ponit robur in spinis, quòd dæmon iis confossus sit, nec in flagris, quòd iis expulsus sit, nec in arbore crucis, quòd eâ contritus sit, sed ad demonstrandam dæmonis ignaviam: *dæmon,* inquit S. Pater Ser. de Pass. & Cruce, *Dominum adoriens confractus est, mactatus est non alibi, quàm in latere ad costas, ex quo effluxit sangvis & aqua.* Elegans mysterium quòd Christus inimicum vincere & præfocare voluerit aquâ potius de latere profluâ, quàm Cruce aut alio cruciatuum suorum instrumento, ut indicaret tam ignavum esse hostem, ut aquâ modicâ præfocari possit. Si tamen nos ab eo mergi permittimus, non est ipsius potentia sed nostra socordia.

guttâ mergitur.

§. 5. Dæmon splendore armorum cæditur.

Intelligamus tandem aliquando imbecillitatem hostis, quem tantopere, sed sinè causa, formidamus. Comparatur Cant. 2. v. 15. vulpi parvulæ. Jere. 1. v. 14. Aquiloni. Ab aquilone pandetur omne malum, hoc est, à diabolo inquit glossa interlin. *Aquilo sonorus est & asper* ait Stephanus Cantuar. in c. 4. Amos, *& stridet sed non pluit.* Sic terret & minatur dæmon sed non pluit, non habet vires ad nocendum. *diabolus nihil esset, si homines cautiores essent* S. Chrysologus serm. 104. Sed cur vulpi parvulæ confertur? S. Gregorius Nyssenus hom. 5. in Cant. Hic ergo tantus

Im-

imperator legionum dæmonum, quomodo revera & solâ potestate nominatur vulpes parva, & omnes qui eum circumstant & universus ejus exercitus vulpeculæ? non enim dicit venamini aprum sylvestrem, aut singularem ferum, aut rugientem leonem, aut magnam balænam, aut magnum draconem, sed parvæ vulpes & infelices, si cum nostris viribus comparentur. hæc S. Nyssenus. Næ ille imbellis est miles, qui solo armorum fulgore excæcatur, imò exanimatur. Dagon jacebat ante arcam I. Reg. 5. *à gloriæ claritate devictus, quæ circa arcam DEi exsplendescebat* inquit Basilius Magnus in c. 10. Is. ecce ut solus armorum nostrorum fulgor illum percellat. *Tantùm cura sit*, ait S. Chrysostomus hom. 4. in Gen. *ut ipsa quotidie arma abstergamus, ità ut fulgida sint, ut radiis excæcent oculos maligni dæmonis contra Salutem nostram omnia machinantis.*

§. 6. **Dæmon verbo Dei enervatur.**

Imbecillitatem dæmonis Salvator noster hodie ostendit, quando solo verbo eum superavit: *non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo.* ô verbum quod vivificat hominem, mactat dæmonem. Notant S. Hieronymus & Haymo: *Dominus omnia testimonia contra diabolum de Deuteronomio sumsit.* Deuteronomium secunda lex dicitur & designat Evangelium, dátque hoc facto Dominus exemplum, ut quoties à dæmonibus vel malis hominibus impugnamur, ad Sancti Evangelii authoritatem protinus confugiamus.

Et quia testimonia Scripturæ nostra arma sunt præcipua, iisdem nos impetere conatur dæmon proùt S. Chrysostomus adnotavit hom. 5. ex variis: *inde tentat vincere, ubi dedolet se fuisse jam victum.* Sed adverte quàm astutè & falsè Scripturæ verbis abutatur: Mulierem decepturus Gen. 3. *Cur*, ait *præcepit vobis DEUS, ut non comederetis de omni ligno paradisi?* de uno tantùm ligno, ùt S. Paschasius observat, præcepit DEus, nè comederent, & ipse dicit de omni. Coram Christo autem non audet tam crassè mentiri, sed veritatem tamen supprimit in tribus: *Angelis suis mandavit* (omittit quis mandaverit) *de te.* Cur non exprimit nomen DEi? quia id formidabile erat hosti in tantum, ut impuro ore pronuntiare vereretur; Econtra Christus in omni tentatione hoc sanctissimo nomine sese protegit. Deinde dimidiam partem præsentis versus omittit, videlicet: *ut custodiant te in omnibus viis tuis.* erant enim contra diabolum ùt notat S. Bernardus ser. 14. in Ps. 90. *non est via hæc sed ruina; etsi via est, tua est, non illius, id est Christi.* Denique conticuit sequentia verba: *Super aspidem & basiliscum ambulabis.* de his quæ de se dicta sunt, tacuit, inquit S. Hilarius, scit nefarius quæ sunt ad alium; quæ ad se pertinent, tanquam ignarus, tacet.

Non taceamus nos, quoties susurrum Sathanæ audimus, quin ocyus *Verbum DEI* tanquam antidotum probatissimum, scutum securissimum, munimentúmque inexpugnabile opponamus, iísque nos potissimùm tueamur verborum divinorũ formulis, quibus teste experientiâ & propriâ dæmonum confessione facillimè profligantur atque enervantur, quales potissimùm sunt tres primi versus ex Psalmo Sexagesimo septimo: *exurgat DEUS & dissipentur inimici ejus & fugiant, qui oderunt eum à facie*

cie ejus. Sicut deficit fumus deficiant, ſicut fluit cera à facie ignis, ſic pereant peccatores à facie DEi. Et juſti epulentur & exultent in conſpectu DEI & delectentur in lætitia. Deinde verſus decimus ex Moyſis Cantico Deut. 32. *DEUM qui te genuit dereliquiſti & oblitus es Domini Creatoris tui.* præterea verba illa Liturgiæ: *per ipſum* (JESUM Chriſtum) *& cum ipſo & in ipſo eſt tibi DEO Patri omnipotenti in unitate Spiritûs Sancti omnis bonor & gloria.* & his ſimiles Sexcentæ Sacrorum verborum formulæ retundendis inferni poteſtatibus mirum quantum ſunt efficaces. ſuper omnes verò hæreat hodiernum biverbium: *Scriptum eſt*, quo omnia tela nequiſſimi ignea, quibus ad violandam divinam legem nos perurget, feliciter retundamus.

§. 7. Emblema. Emblema problematis hodierni ex citati Pſalmi 67. verſu primo & ſecundo ſecundiſſimè deſumamus, & exorientem fingamus ſolem, qui tenebras & tenebriones, lucifugas inquam aves fugat: *Exurgat DEUS & diſſipentur inimici & fugiant qui oderunt eum.* Verbum DEi nobis pro ſole eſt, quia mandatum lucerna eſt & lex lux, *hoc ſolo ſole fugantur.* deinde fumum in aëre fingamus, quem Ventus diſpellit: *ſicut deficit fumus deficiant.* adſit nobis Spiritus ille vehemens, qui in novæ legis promulgatione Venti vehementis ſonum aſſumſit, ad caliginoſos Spiritûs infernalis fumos diſpellendos, ut ſub divino ejus patrocinio omnis ſtygia inſpiratio abeat: *non in aures, ſed in auras.* Denique ceram ante focum ignis collocemus, *ſicut fluit cera à facie ignis*, ignem JESUS venit mittere, quo ſi accendamur & ardeamus, omnes infernalis hoſtis machinæ, tanquam cera in igne: *ſic peribunt.*





PRO-



PROBLEMA XLIII.

Cur Transfiguratio evulgari ante Resurrectionem prohibeatur?

DOMINICA II. QVADRAGESIMÆ.

Præcepit eis JESUS dicens: Nemini dixeritis visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat. Matth. 17. v. 9.

§. I. Causæ tres, cur visionem taceri jubeat Christus.



Osteaquam Salvator Petro claves prope Cæsaream Philippi promisisset, progressus inde per viginti leucas seu viginti horarum iter, sex dies insumsit, ut perveniret in montem Thabor, in quo transfigurationem suam voluit celebrare: *post dies sex assumit*, ait Matthæus, quia post sex mundi ætates futura est resurrectio, quæ est Rabani causa analogica, Symbolica verò Origenis, ut significaretur; quòd solus is possit ascendere montem Domini & intueri gloriam Verbi DEi, qui res mundi omnes sex dierum spatio conditas transcendit. Transfigurari autem voluit in confirmationem eorum, quæ Petro promiserat & in præmunitionem adversùs scandala secutura & cruces Apostolis paratas. *Transfiguratus est Dominus*, ait S. Leo homil. de Transfigurat. *ut de cordibus Discipulorum crucis scandala tolleret, & non conturbaret eorum fidem voluntariæ humilitas passionis.* Tropologicam causam dat Cornelius hic: Voluit Christus typum dare transfigurationis animæ peccatis nigræ in lucem gratiæ per quam Christo configuramur. Tam magnifica hæc fuit transfigurationis gloria, ut si quid unquam videri in mundo dignum fuit præ triumphis Romanorum, pyramidibus Ægyptiorum, hortis Babyloniorum, ritibus Pontificum Hebræorum, digna hæc fuerit transfiguratio Thaborea, tanquam umbra illius gloriæ, quam oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit. At cur eandem revelari ante Resurrectionis diem Dominus prohibet? non prohibet audita referri, sed visa narrari, quæ causa? Respondent inprimis Doctor maximus & orator aureus: *non vult hoc in populis prædicari, nè incredibile esset pro rei magnitudine & post tantam gloriam apud rudes animos sequens Crux Scandalum faceret.* Ingeniosiùs D. Hilarius revelationem tantæ gloriæ prohibitam Apostolis, eò quòd lingvas nondum haberent, quibus condignè eandem enuntiarent. Expectandus itaque Spiritûs Sancti adventus erat, qui in dispertitis lingvis

S. Hieron. apud Sylveir. to. 4. l. 6. c. 8. q. 33. num. 269.

gvis facultatem faceret congruè depromendi, quæ fidelibus oculis commiſſa fuerant: *ſilentium rerum geſtarum, quas viderant, imperat, ut cùm eſſent Spiritu Sancto repleti, tunc geſtorum ſpiritualium teſtes eſſent.* Ad ſenſum & guſtum meum aptiſſimè D. Remigius pronuntiavit evulgationem viſæ gloriæ prohibitam, nè Dominica Paſſiò impediretur, ſi enim nota populis fuiſſet gloria & majeſtas Salvatoris, nunquam ad ignominiam crucis eundem poſtulâſſent, teſte Apoſtolo: *ſi enim cognoviſſent, nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent* 1. Cor. 2. v. 8. verba D. Remigii ſunt: *ſi majeſtas illius divulgaretur in populo, populi impedirent diſpenſationem paſſionis ejus, reſiſtendo principibus Sacerdotum, & ſic redemtio humani generis retardaretur.* quam cauſam impoſiti ſilentii præcipuam fuiſſe non obſcurè inſinuat D. Marcus, dum poſt recenſitam comminationem, *nè cuiquam, quæ vidiſſent, narrarent.* ſubdit: *cœpit docere eos, quoniam oportet Filium hominis multa pati & reprobari à ſenioribus.* ex quo colligo ingens & ineffabile deſiderium Chriſti, quo ad paſſionis & crucis tormenta anhelabat, nec ulla ratione retardari volebat. Quod deſiderium dum fuſiùs hodie expono, de tempore dictionem fore confido, cùm & Thaborei colloquii alia non fuerit materies, quàm exceſſus, quem JEſus in Jeruſalem erat completurus.

§. 2. Crux fuit Chriſto prandium & quies.

Cant. 1. movet ſancta curioſitas cœleſtem Sponſam inquirendi: ubinam dilectus agat, ubi prandeat, ubi à prandio quieſcat: *Indica mihi ubi paſcas, ubi cubes in meridie.* quin potiùs ô Sponſa deſidera ſcire ubi cœnet, ubi pernoctet, ubi dormiat nocturno tempore. cur meridiem potiùs quæris quàm veſperum? Nimirum de cruce Salvatoris ſui ſomniavit; in Cruce horâ diei Sextâ, hoc eſt meridie, extendendum ſcivit, ideóque ad illius amplexum anhelavit. Sed ſi Sponſa tempus crucifixionis requirit, cur horam illam prandii vocat & quietis: *ubi paſcas, ubi cubes?* famem ibi patiebatur & ſitim, tribulationem & dolorem, hoccine paſci, hoccine cubare eſt? affirmat Epiſcopus Oſtienſis Drogo de Paſſ. Dom. *In Cruce manducavit & bibit, & ebriatus eſt & dormivit,* quia deſiderio ſuo, quo ad dolores ferebatur, indulſit & liberaliſſimè ſatisfecit.

§. 3. Cur poſt hominem conditum quieverit DEus.

Requieviſſe ab omni opere DEum die ſeptimo credo ex Gen. 2. v. 2. at quæro: cur poſt cœlum ſtellis exornatum non quieverit in cœlo, cur poſt veſtitam floribus terram non quieverit in terra, ſed poſtquam hominem creavit, quietem ſibi indulſit, quaſi homo ſit Creatoris ſui requies, conſolatio, deliciæ? *Fecit cœlum & non lego quòd quieverit, fecit terram, ſolem & lunam & ſtellas, & non lego quòd quieverit, lego quòd fecerit hominem & tunc requievit* inquit S. Ambroſius. homo nimirum requies DEi, ſed cur? quia ad formam Crucis hæc rationis & amoris capax creatura condita eſt. *Homo ad formam Crucis* (ait S. Anaſtaſius Sinaita l. 1. anagogic. contemplat. in Genes.) *habet imaginem, ut qui ſit ad imaginem Chriſti crucifixi.* hæc eſt quietis divinæ cauſa potiſſima, & tua ô homo conſolatio maxima, quòd in te DEus quieſcat & agat Sabbatum, quoties tribulatione cor tuum eſt gravatum. hoc videlicet grabatum Sponſi eſt, cor gravatum dolore. Dicamus nunc Sponſæ & indicemus, ubi paſcat, ubi cubet Dilectus in meridie, videlicet in medio terræ, & centro votorum ſuorum cruce quieſcit.

§. 4.

Cùm primùm in lucem editus ex

Cur Christus in præsepio reclinetur.

ex Virgine fuit DEus-Homo involuit eum solicita parens pannis & reclinavit in præsepio Luc. 1. v. 7. Quòd parvulum ex sinu suo dimiserit Mater, ratio fuit, nè videretur soli Virgini esse natus & donatus, sed omnibus ac singulis. bona communia ad se suósque coarctare non est Sanctorum, inquit Author recens, ideóque Sanctorum Regina libenter aliis thesaurum cœli & Bonum bonorum optimum indulsit reclinando in præsepio. Verùm cur in præsepio reclinatur & non in cunis? *ut reprobet gloriam mundi & damnet seculi vanitatem* S. Bernardus ser. 3. de Nativitat. *Ut bos cognoscat possessorem suum & asinus præsepe Domini sui* S. Gregorius Nyssenus: *ut populorum Pastorem pabulúmque se esse contestetur.* S. Zeno. ser. 3. de Nat. *ut ex hominum genere his, qui bestiales erant communicationem Esca mystica exhiberet, in mensa bestiarum proponebatur Panis cœlestis*, Chrysippus Hierosolymitanus. Præ omnibus causis illa præplacet, quam ex Serm. 11. Petri Damiani eruit author ingeniosus: in præsepio reclinatur, quia fœnum & paleæ inter se promiscuè convolutæ crucularum plurimarum figuras referebant. delicatulus erat Neogenitus & tenerrima membra, immatura cruci, gerebat, vagit idcirco & optat: ah non denegentur saltèm mihi cruces stramineæ, donec lignea præparetur. hæ interim mihi locò pignoris erunt, & somnum dulcem conciliabunt. audiamus Cardinalem: *Christus in præsepio reclinatus, legem martyrii præfigebat.* quasi diceret, incepit jam cruces pati & martyres docere, ut si necdum ferre possunt cruces ferreas, ferant stramineas.

§. 5. Cur in Ægyptum fugerit.

Tam avido crucis amatori immisit paulòpost Pater æternus ferreas easque plurimas cruces, exercitum, videlicet integrum Herodianæ malitiæ, qui punctim cæsímque natum Regem judæorum conficerent & unum in multis millies trucidarent. Jesulus interea nocte intempestâ se proripit & in Ægypto asylum quærit. quid hoc? *qui mori venerat, cur fugit mortem?* quæro cum Petro Chrysologo serm. 150. & 151. *fuga Christi sacramenti fuit non timoris. ideo fugit, quia ipse non elegerat hoc genus mortis* ait Alcuinus in Cat. S. Thomæ. Crucem elegerat, ut esset ultima linea vitæ, centrum amorum, mensura dolorum. *Dignatus est in Ægyptum fugere, ut postea crucem dignaretur ascendere* ait S. Fulgentius serm. de Epiph. Non aguntur illi Christi Spiritu, nec sequuntur fugientem, qui ideo crucem parvulam amplectuntur, ut effugiant majorem, ideo mortem optant, nè plus pati oporteat, ideo coram aliis se humiliant, nè molestiam aliquam sustineant.

§. 6. Festus Christo is dies est quo patitur.

Joannis 7. invitabant patriotæ Christum Dominum, ut unà ascenderet ad diem festum, quibus ille: *Vos ascendite ad diem festum hunc, ego autem non ascendam, quia meum tempus nondum impletum est* v. 8. quasi diceret, ùt habet Maldonatus: in hoc die festo tabernaculorum non ascendam, quia non id mihi ad patiendum constitutum est tempus, sed in festo paschæ, quo festo passurus sum. Ecce Christi festum est pati, *tempus meum nondum est*, necdum desideratissima mea solennitas illuxit, quâ operer salutem animarum & immoler pro mundo. Tangit hanc veritatem S. Augustinus ser. 139. de temp. *Dies festus est ei, quo mundum redemit: dies festus est ei, quo vicit mortem: dies festus est ei quo sangvinem consecravit.* Prior Augustino Origenes sensit idem hom. 25. in Numer: *DEus habet festivitates suas, est enim ei magna*

 fe-

festivitas humana salus. Nullus unquam mortalium ità desideravit diem solennem & jovialem, quàm Christus diem passionis suæ & redemtionis nostræ, quia *Servatoris nostri gaudium est salus hominum* inquit Theodoretus.

§. 7. Moræ quodammodo impatiens Christus est, ad horam passionis.

At verò posteaquam desideratum tempus illuxit, quantam præsetulit lætitiam & mentis excessum! *Ecce ascendimus Hierosolymam & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per prophetas* Luc. 18. ubi observo, quòd non dixerit imus, proficiscemur, sed *ascendimus*, sursum pergimus, in altum properamus, quia pergimus in traditionem, illusionem, flagella, sputa, mortem. hæc nimirum elevabant & gloriosum reddebant DEi Filium, inde ingens in animo ejus lætitia & quasi impatientia moræ, quam colligo ex verbis Joan. 15. ad traditorem: *Dicit ei JEsus, quod facis fac citiùs.* perfice quantocyus obfirmatum animi tui decretum, mihi omnis mora plusquàm hora, & quævis hora jam sæculum est, dum perficiam opus Patris. quemadmodum belli dux duellum initurus cum antagonista, quoad animum ac vires longè inferiore festinat, quia certam habet victoriam &c. ità explicat Christi desiderium Cyrillus Alexandrinus: *nam quemadmodum si vir fortis, adversùs quem fremens quispiam feratur, ipse verò viribus suis fretus casurum illum non dubitet, magnâ voce militans dicat, quod facis fac citiùs, ut meæ dexteræ vires experiaris, non merè properantis verba esse diceremus, sed præscientis potiùs quàm cadat adversarius.* præscivit nimirum JEsus, quòd ex sua tristitia nostrum nascetur gaudium, ex opprobriis gloria, ex morte vita, ex suo naufragio nostra securitas, ex passione nostra festivitas, anhelabat proinde ad hanc solennitatem. *quod facis fac citiùs*, ut ad opus tantæ solennitatis (subjungit Cyrillus) citiùs pervenire possim. Atque ut citiùs perveniret, dimidiari ætatem sibi voluit, inque vernantissimo ætatis flore consummari juxta illud Habacuc: *Domine opus tuum, in medio annorum vivifica illud, in medio annorum notum facies.* quod est annorum medium? ex Psalmo 89. v. 10. & 11. liquet: *dies annorum nostrorum in ipsis septuaginta anni; si autem in potentatibus, octoginta anni.* in potentatibus Christus est, quia Rex regum, debentur ergo illi octoginta anni, verùm quia pauperem ultro vitam elegit, demus illi septuaginta annos; horum medium annus tricesimus quintus ætatis est, anno ergo quinto supra trigesimum moriendum Christo erat, nisi ille à Patre suo cœlesti *dispensationem*, ut sic dicã, obtinuisset: (quemadmodum pro accelerando sacerdotio privilegium ætatis nonnulli hodie impetrant) quò citius cruentum corporis sui sacrificium in ara crucis litaret.

Habac. 3. v. 2.

§. 8. Petrus cur Sathanas dictus, Judas verò Amicus.

Hoc desiderium liquet ex illo Matth. 16. quando Dominus Apostolorum primum vocat Sathanam: *Vade post me Sathana, scandalum mihi es* (pondera verborum singulorum gravitatem, n[illegible] causam à Domino quære, nè iratus te vocet Luciferum, qui dilectum Apostolum vocavit Sathanam) Judam verò amicum. Causam attingit S. Hieronymus in catena. *quasi diceret meæ voluntatis est & patris, ut pro hominum salute moriar, tu tuam tantùm considerans voluntatem non vis granum tritici cadere in terram, ut multos afferat fructus, & ideo quia contraria loqueris voluntati meæ, debes adversarius appellari: Sathanas enim interpretatur Adversarius, sive Contrarius.* Judas verò quia procuravit, effundendi sangvinis acce-

acceleratiouem, amicus audit. *Amicum vocat*, ait Jansenius concordant Evangel. c. 1. v. 37. *non quòd ab ipso diligeretur, sed quòd ipsum diligeret, eique bene vellet, & de ejus perditione doleret, aut etiam quòd hactenus secum tanquam amicus vixisset, atque etiam nunc velut amicus & salutaret & osculum præberet.*

§. 9. Ante passionem Christus cantat, mox mœret, cur?

Non nisi semel Christum cantâsse lego, idque ante passionem, quando *hymno dicto exierunt.* scimus ex S. Augustino. in Ps. 71. hymnos esse *laudes DEi cum cantico.* qui enim cantant laudem, non solùm laudant, sed etiam hilariter laudant. non sat erat Christo laudare Patrem, quòd dies passionis advenerit, sed laudare cum cantu hilariter. & quem putas hymnum cecinit? si Paulo Burgensi credimus, unius instar hymni fuerunt Ps. 112, 113, 114, 115, 116. & 117. hoc est: *in exitu de Ægypto. Dilexi quoniam exaudiet. Credidi propter quod locutus sum. Laudate Dominum omnes gentes. Confitemini* Domino. quia omnes incipiunt ab Alleluja quod significat: *laus cum lætitia.* hos Psalmos in majoribus solennitatibus canere solebant Hebræi, atqui nulla Christo major solennitas, quàm pro nobis pati.

Sed quid hoc sibi vult, quòd post hymnum absolutum cæperit JEsus in horto tædere, pavere & molestus esse, quod videtur esse contra rationem festi, imò & contra decentiam viri constantis, dicente Salomone proverb. 12. *Non contristabit justum, quidquid acciderit ei.* & monente Ecclesiastico c. 30. *tristitiam non des animæ tuæ, tristitiam longè expelle à te, multos enim occidit.* respondet Ambrosius l. 10. in Luc. *Tristis erat pro persecutoribus suis, quos sciebat immanis sacrilegii pœnas daturos.* tristatur non propter se, quia de ipso vatidicè Isaias: *Non erit tristis neque turbulentus*, sed propter reprobos: imò & propter electos, ut divina JEsu tristitia esset Electis lætitiæ causa, & origo stabilis salutis juxta id Apostoli. *Quæ secundùm DEum tristitia salutem stabilem operatur.* Tristabatur atque 2. Cor. 7. v. 10. dolebat anima Christi, inquit Dionysius Carthusianus. (loquendo de tristitia prout est actus virtutis, & charitatis) propter eos, in quibus fructum passionis suæ perire videbat.

§. 10. Cur calicem petat, transferri.

Tristitiam excepit trihoraria oratio, in qua calicem à se transferri postulabat. & quid hoc iterum sibi vult, si tantus amor crucis est? Cur (libeat quærere cum S. Hilario) *calicem à patre propinatum bibere recusas?* S. Augustinus putat orâsse Christum, ut dolor, qui sentiebatur in animo, dispergeretur etiam per corpus, *Transeat, hoc est ab anima ad corpus.* V. Beda ideo sic orâsse Christum autumat, *ut ostendat verè quòd homo erat.* Cajetanus: *ut naturalem affectum ostenderet.* S. Hieronymus per calicem intelligit populum Judæorum, qui rejiciendus, imò ut Drutmaro placet, qui servandus hac prece fuerat. S. Hilarius, *non ut ipse prætereatur orat, sed ut in alterum illud, quod à se transit, accedat.* optimè S. Laurentius Justinianus de triumphali agone Christi existimat, quòd eâ oratione desideret Christus transire à se calicem & venire totum in se mare (*veni in altitudinem maris* Ps. 68.) sicuti si Medicus sitienti ægroto proponeret vas frigidâ plenum, ex quo bibat ad sitis extinctionem; mandet autem interea astantibus, ut non nisi guttulas præbeant; quid tunc æstuantissimus æger? dicet; aut totum vas à medico propositum afferte, aut guttulas auferte. Ità Christus: transeat calix, instar guttulæ, veniat mare &c. verba S. Laurentii sic habent: *Hæc pro*

pro electorum salute patior, ista pro tuo bonore sustineo, verùm quia parva videntur adde flagella, appone vulnera vulneribus, lacera, ure, confige, percute, occide! universa hæc & majora toto desiderio sitio.

Vix gustare bene cœpit passionis calicem Salvator, quando ei bolus ferreus deglutiendus, tanquam congrua haustui offa offertur, & ferreâ alapâ cæditur. Increpat cædentem JEsus, causámque cæsuræ expostulat: *cur me cædis?* quin potius cur non taces ô JEsu & bolum hunc opiparum cum gustu devoras? causam perquam ingeniosam hujus postulati insinuat Ephrem Syrus l. 5. *omnes servi cùm libertate donantur, alapam accipiunt.* formam servi acceperat Christus, ut verâ nos libertate donaret, servilibus modis tractari & crucifigi optabat, verùm cùm ab initio statim passionis libertatis signum & quandam velut absolutionem à tormentis, à cruce, à servitute accipere videretur, non acceptavit, ideóque in hæc verba erupit: *cur me cædis?* malo pati quàm vivere, malo crucem quàm libertatem, malo patibulum quàm thronum.

§. II. Cur flere vetentur mulieres.

Pervenerat prope ad apicem gaudiorum, montem videlicet Calvariæ. Redemtor noster toto corpore lacer, gelido sangvine coopertus, cruce gravissimâ oneratus, viribus omnibus destitutus, sputis defœdatus, spinis compunctus, catenis circa collum & lumbos ligatus, fustibus, palmis, calcibus pessimè tractatus, quem sequebatur multa turba populi & mulierum, quæ plangebant & lamentabantur eum Luc. 23. & quis nō lamentaretur. quis est homo, qui non fleret, Regem Regum si videret in tanto supplicio? At respiciens Filius DEi lacrimas inhibet: *nolite flere super me.* O Domine quis continebit lacrymas, si videat & credat justitiam velut maleficam raptari ad patibulum, innocentiam duci ad supplicium, agnum lacerari à lupis, nec aperire os suum, columbam configi ab accipitribus, nec edere gemitum, DEum conculcari à lurconibus & tacere, Regem optimum occidi à rebellibus nec se tueri? imò Christus: *Nolite flere.* vultis causam ô filiæ Jerusalem? hæc est dies quam fecit Dominus, dies Salutis; dies universalis jubilæi, dies triumphi & festivitatis. Hanc causam assignavit D. Leo ser. 10. de pass. Domini: *istum sibi planctum Dominus JEsus dedignatur impendi, quia non decet luctus triumphum, nec lamenta victoriam.* Est crux Christo instar currûs triumphalis in quo festivissimam agit Solennitatem, *in cruce enim immolatus est Christus, & ubi immolatio, ibi amputatio peccatorum, ubi amputatio peccatorum ibi reconciliatio Domini; ubi reconciliatio, ibi festivitas & omnis gratulatio*, non flendum proinde sed gratulandum. Hæc Chrysostomus. S. Chrysost. homil. de Cruce.

§. 12. Cur derelictum se clamet.

Inclinabatur jam solennitatis purpureæ dies, & Sol justitiæ in sangvineo mari hærebat, occasum parabat, cùm ecce exclamat! *DEUS meus ùt quid dereliquisti me.* quid sibi vox ista vult? An quia ùt dixit Hilarius: *morti permissus solitudinem suam conqueritur, relinquentésque se arguit?* *Non æstimes* inquit Origenes apud Jansenium in concord. Evangel. c. 145. *humano more Salvatorem ista dixisse propter calamitatem, quæ comprehenderat eum in cruce. forsitan videns peccata hominum proquibus patiebatur dixit: quare me dereliquisti.* præclarè Rabbanus ibidem: *Humana natura propter peccatum à DEO fuerat derelicta, sed quia Filius DEI factus est noster Advocatus, quorum suscepit cul-*

culpam, deflevit miseriam, in quo ostendit quantum flere debeant qui peccant, quando sic flevit, qui non peccavit. Theodoretus hic: *Hoc loquitur Homo crucifixus DEO pro me, nos enim sumus homines derelicti, ipse nunquam derelictus fuit à Patre.* sed omnium optimè Beda in c. 27. Matth. *conqueritur Christus non propter tormenta, quæ patitur, sed quià non ei concedit longiorem vitam, ut plura pati possit.* Idem homil. de querel. Christi. *Christus ex vi tormentorum suam mortem accelerare videns, volens diutius pro nobis sufferre tormenta hanc amore refertam querimoniam proposuit Patri: Pater cur tam citò me mori disposuisti? cur non moras protrahis, ut magis magisque pro hominum salute adhuc cruciarer?* queritur se à Patre derelictum, quando videt nihil superesse quod pateretur, quasi doceret eos à Patre cœlesti derelictos, quos crux & calamitas fugit.

§. 13. Cur capite inclinato expiret.

Denique cùm jamjam obeundum foret, inclinato capite tradidit Spiritum. cur caput inclinârit, causam reddit Alphonsus Cardinalis Palleotus de pass. Christi: *Inclinato capite Christus omnes sui corporis partes lustrat, an aliquâ sit pars, quæ passa non esset. vidit latus dextrum, quod non ità passum videbatur & vulneri locum aperuit, ut cor feriatur.* De lingva ser. 14. de pass. S. Bernardus: *tractis membris omnibus dulcis JESUS voluit puniri & lingvam & ad pœnam lingvæ sufficit acetum gustâsse.* Pelbartus l. 3. p. 3. a. 2. c. 2. *sola remanserat lingva & cor aperitur lanceâ.* Atque hoc immensum patiendi citrà solatium ullum Dei-Hominis desiderium ex illa circumstantia collige, quòd moriens adstantem habuerit Matrem, cœnans non habuerit accumbentem. Quærit S. Paschasius an cœnæ ultimæ adfuerit DEi-para, atque an triduo illo hostia superfuerit consecrata? Ad utrumque respondet negativè: *in ultima cœna corpus Christi non accepit MARIA, nè hujusmodi consolatione passionis dolores minuerentur.* Hostia verò nulla superfuit, ut undequaque pati diceretur, inquit Drogo Hostiensis, nè scilicet simul videretur à populo, adoraretur ab Apostolis & luctui miscere gaudia cogeretur.

Drogo Host. de pass. Dominica.

§. 14. Gloriantur in Cruce Angeli.

Colligere ex his omnibus facile est desiderium Christi immensum, quo erga passionem & crucem ferebatur, ideóque transfigurationis gloriam evulgari vetuit, nè à populo passionis dispensatio ex mente Remigii impediretur. ô si in nobis quoque simile exardesceret desiderium compatiendi passo, & crucem illius desideratissimam nostro ferendi in corpore.

Vidit Isaias Dominum sedentem super solium excelsum & elevatum c. 6. *Seraphim stabant super illud.* Cyrillus Alexandrinus l. 1. orat. 44. legit: *stabant circum eum.* nimirum Epheborum instar coronabant Dominum suum ad omne amoris obsequium paratissimi. cuperem scire quo situ steterint? *sex alæ uni (vide promtitudinem, duabus velabant faciem) vide verecundiam (duabus pedes) adverte humilitatem (duabus volabant;)* hic ingens considero mysterium; disponuntur eâ formâ alæ ut crucem effigient, idcirco binæ alæ eriguntur in faciem, binæ demittuntur in pedes, binæ verò ex utroque latere extenduntur, ut crucis formam repræsentent. quid facit Crux in cœlesti solio, quæ est maleficorum fatale solum? quid facit crucis ignominia ante Regem gloriæ? quid faciunt ministri misericordiæ cum severæ justitiæ instrumento? Non possum hanc aulicorum cœlestium cerimoniam satis explicare, nisi ad aliam militantis

Ecclesiæ cerimoniam recurram, quâ terrestres Angeli, Sacerdotes inquã, dum Angelorum panem confecerunt in altari, iteratis crucibus, tum calicem simul & hostiam, tum hostiam seorsim & calicem, quin & hostiâ ipsâ calicem consecratum toties signant, ut crucem non minùs octonis denis vicibus in quolibet sacrificio numeraveris. ad quid tot cruces & quidem super sacrosanctam Eucharistiam? num Sacerdos benedictionem impertit Christo, minor majori? atqui hoc ipsum leges vetant, nam minor majore præsente benedicere non debet. Durandus l. 5. c. 59. n. 10. in Rat. div. offic. & Paulus irrevocabiliter ad Hebr. 11. legem fixit: sinè ulla contradictione, quod minus est à meliore benedicitur. Solvit difficultatem Rupertus Abbas Tuit: Non sunt benedictiones sed Crucis efformationes. Efformatur autem crux, siquidem nihil acceptius Christo repræsentari potest quàm Crux & mors ipsius, cujus memoriale est Eucharistia. In gloriam DEO-Homini maximam formatæ illæ cruces cedunt, signum enim sunt præsentis magni Regis, qui est Rex gloriæ; eapropter S. Hilarius in c. 16. Matth. affirmavit tot cruces ideo fieri *ut homines Sacramentum Crucis admistum esse gloriæ agnoscerent.* Ex eadem causa Seraphini cerimonias curiæ cœlestis edoctissimi expansis alis crucem effigiant, quia magnificentius & gloriosius nihil exhiberi DEo posse optimè noverunt. Signemus & nos frontem, os pectus, membra singula, si gloriæ cœlestis candidati esse volumus, & qui digni non sumus crucem portare post JEsum cum Cyrenæo, portemus saltem umbrâ illius in corpore nostro.

Pro emblemate Cupidinem ebrium in cruce dormientem fingo & in protensam dexteram calicem insero cum epigrahe: *requies hæc certa laborum.* Cupidinem ajunt fabulæ inebriatũ aliquando, quæsivisse lectulum, cúmque alius præ manibus non esset in obviam fortè crucem reclinâsse caput & clausisse lumina ad dulcem quietem; supervenit Jupiter & à profundo somno frustra Cupidinem excitans, alas eidem subtraxit & lectulo Crucis alligavit, ut nunquam esset sine cruce. ingeniosa fabula! Amor incarnatus charitate ebrius in cruce obdormivit, quem Pater cœlestis itá volentem cruci alligavit, ut absque ea inveniatur nunquam, nunquam non in eadem sibi suísque dulcissimum conciliet soporem & quietem. Addamus dormienti Amori Seraphinos in modum coronæ, alis in formam crucis expansis cingentes dormientem, adscribamúsque centro hujus circuli: *hic scopus est amorum.* §. 15. Emblema.





PRO-



PROBLEMA XLIV.

Cur dæmon domum suam appellet, è qua jam eliminatus est?

DOMINICA III. QVADRAGESIMÆ.

Revertar in domum meam Lucæ II. v. 24.

§. I. Genius dæmonis in hodierno Evangelio adumbratus.

INgenium adversarii nostri vivaciter expressit Salvator hodierno in Evangelio dum & robur illius eximium & calliditatem exercitatissimam & studium nocendi indefessum & impudentiam insolentem declaravit. Robur quidem cùm vocavit *fortem armatum*, majores enim vires habet dæmon unicus quàm omnes simul homines spectatâ solâ naturâ. *Non est super terram potestas quæ comparetur ei.* Job. c. 41. refundítque hanc potestatem in naturam propriam, *qui factus est ut nullum timeret*, potest eorum quilibet commovere elementa, immutare rerum formas, transferre homines, cùm ipsúmmet DEum-Hominem transtulerit. Magis autem immutare potest imaginationem & phantasmata ciere, humores etiam alterare & per hos modò ad iram & audaciam, modò ad pusillanimitatem, timorem, desperationem, jam ad amorem mox ad odium, jam ad gaudium mox ad luctum concitare. Calliditas ex circuitu elucet, quòd naturalem hominis inclinationem exploret, aditus omnes rimetur, à minimis incipiat, ut in gravissima inducat, cúmque ipse pervertendo homini non sufficit, septem alios nequiores assumat. Indefessum nocendi studium verbis illis insinuatur: *ambulat per loca inaquosa quærens requiem.* Requies dæmonis est hominis ruina. Loca inaquosa ex mente Hieronymi in c. 12. Matth. sunt gentes baptismi gratiâ destitutæ, de quarum certus exitio requiem malæ suæ voluntatis non habet, nisi & justos seducat, ideóque loca inaquosa, sive piorum animas, in quibus humor concupiscentiæ exiccatus est, petit: *loca arentia* inquit D. Gregorius l. 33. moral. c. 3. *& inaquosa sunt corda justorum, quæ ab omni carnalis concupiscentiæ humore siccantur*, si hìc requiem non inveniat, in ea regreditur corda, quæ aliquando sibi habuit obsequentia & devota: *Revertar in domum meam.* en ut nihil relinquat inausum, nullúmque intermittat studium nocendi. Impudentiam colligimus quòd domum mundatam ornatámque spurcissimus nebulo incolere præsumat, nullus enim locus tam sanctus est, cui se non inferat, ipsis etiam angelis beatissimis immiscetur, ut homini noceat, quod ex historia

Jobi c. 2. v. 6. didicimus: *ô impudentiam ejus* (exclamat D. Gregorius Nazianzenus in cat:) *qui talia audeat, jam inde à principio in paradisum ille contra figmentum irrepserat, núncque inter Angelos medius consistit.* & nunquid insolens hæc impudentia est, quòd suam vocet domum quam semel incoluit, etsi turpiter inde ejectus sit? quo jure, quâ fronte, quo ore Domum *suam* appellat, quæ jam Domus DEi cœpit esse? causam præsumti hujus juris & pessimæ fidei usucapionem investigemus.

§. 2. Causa prima cur Domum suam vocet, quia redeundi spem habet.

Quæ est ista tua impudentissime orci canis temeritas, rabies & immanitas, ut domum appelles tuam è qua pridem velut malæ possessor fidei eliminatus & proscriptus es? num cœlum ideo tuum est, quia tuum olim fuit priusquam DEum, qui te genuit, derelinqueres, & obliviscereris Domini Creatoris tui? num gratia sanctificans ideo etiamnum est tua, quia tua fuit, cùm in ea gratuitò creareris? num Petrus, Paulus, Matthæus, Thomas aliíque cœlorum indigites hodie tui sunt, quia tui aliquando fuere? aude in has domos regredi, aude incolatum exigere, aude jus vetus prætendere; cur ergo domum mundatam ornatámque proprietati addicis tuæ, tuámque appellas: *revertar in domum meam?* respondentem ad hæc audio adversarium: non est domus mea, quæ mea amplius esse non potest, sicut cœlum, gratia, & visione beatificâ donati homuli, esse amplius non possunt; at meam voco, quam meam denuo fore confido. Nullius, quantumvis sanctissimus videatur, damnationem desperat ac negligit, quin imò quò sanctiorem quempiam videt, eò ad ruinam graviorem impellit. ideò in paradiso protoparentes originali justitiâ præditos aggressus est, ideo post jejunia in deserto Christum tentare ausus est, ideo parturienti in cœlo mulieri insidias struere nisus est. Et verò experientiâ jam multâ didicit, de culmine sanctitatis velut apice turris proniorem esse vertiginem longéque lapsum graviorem. Ex collegio Apostolico Oeconomum Christi abstraxit, ex septem protodiaconis Nicolaum pervertit, ex centum viginti congregatis die Pentecostes, in quos illapsus est Spiritus Sanctus, quatuordecim ad lapsum impulit, ex familiarioribus Joannis discipulis septem, ex fidelioribus Pauli asseclis quatuor in turpissimos hæresiarchas deformavit. Scit versipellis corruptionem optimi esse pessimam, & longè gravissimum, ùt alibi docui, lapsum justorum.

Jugulares Con. 12. in quadrag. §. 1.

Dom. 24. post Pentec. in Tergem. Civic. 3.

Quodsi mundetur & ornetur, qui fœdatus & denudatus ab illo fuit, si inquam convertatur ad vitam, quem ille priùs perverterat ad damnationem, rabidissimè furit, æstuat, debacchatur & vociferatur: *revertar in domum meam.*

Immundum ab Energumeno spiritum Capharnai in Synagoga JEsus exigebat, at is cùm adulatione nihil proficeret, nec humilitate fictâ inclinaret animum Salvatoris: *venisti perdere nos? scio qui sis Sanctus DEi*, Marc. 1. v. 24. sed obmutescere & exire protinus juberetur, *discerpens eum spiritus immundus & exclamans voce magnâ exiit ab eo.* v. 26. mutavit mox versipellis spiritus blandimenta in furorem & qui blando sibilo Sanctum prædicabat, immani rugitu discerpens energumenum deserebat: *quid est*, quærit Magnus Gregorius homil. 12. in Ezechiel. *quòd obsessum hominem antiquus hostis, quem possessum non discerpserat, deserens discerpsit, nisi quòd plerumque dum de corde expellitur, acriores in eo tentationes generat,*

quam

quàm priùs excitaverat, dum hoc quietus possidebat. quietus erat dæmon, quamdiu seductus homo sub jugo ejusdem gemebat, at ubi per infinitam DEi clementiam de Redemtione humana actum est, ingentes mox tumultus & tempestates concitavit, unde illi DEus: *inimicitias ponam inter te & mulierem* Gen. 3. v. 15. *ubi inimicitiæ* inquit D. Ambrosius, *ibi nocendi studium, ubi nocendi studium, ibi promitur malitia.* nunquam dæmon majorem depromit malitiam, quàm cùm nequitiam ejus homo seriò odit ac deserit, proscriptóque dæmone è cordis sui habitaculo, DEum hospitem ac possessorem eligit ac diligit.

S. Ambrof. l. de fuga sæcul. c. 7.

§. 3. Causa secunda, quia peccatum est pœna peccati.

Novit præterea dæmon, peccatum esse pœnam peccati, nisi seriâ eluatur pœnitudine, quæ solet esse perrara, rarissimóque peccatum unitate contineri, quin multiplicetur & in eum excrescat numerum ac debitum, cujus insimulatus fuit debitor ille servus Matth. 18. Sperat proinde regressum postliminio in domum, è qua eliminatus fuit. Peccatum porro peccati pœnam & finem alterius mali gradum esse futuri, Petrus primùm negans, dein peierans, mox anathematizans suo nos docet damno: *graviùs quidem ac graviùs negat* inquit D. Paschasius l. 12. in Matth. *quia quantò profundiùs in negationem vadit, tantò etiam cum juramento amplius peccat.* Similiter Judas: *Judas si pecuniæ amorem coërcuisset, non venisset ad sacrilegium & non præcipitaretur in laqueum*, S. Chrysostomus serm. de Jud.

Si Judæi filios suos & filias non immolâssent dæmoniis nec Prophetas deinceps occidissent, si Prophetas non interemissent, nec Dominum gloriæ crucifixissent: *à parricidio liberorum, ad prophetarum sangvinem pervenerunt*, S. Hieronymus in c. 57. Isai. Si Herodes Philippo fratri uxorem non abduxisset, nec caput Joanni Baptistæ sacrilegè abstulisset. *vide diaboli artem, ut ad impietatem ex levioribus erratis extrahat. Primum fraterni cubilis perfossorem fecit, ut ex adulterii fossa ad Baptistæ cædem transilire faciat. Malum tempore alitum crescit in quamvis libertatem*, S. Basilius Seleuc. orat. 18.

Invenietis asinam alligatam & pullum, dicebat Dominus Matth. 21. v. 2. cur asina non est absque pullo? quia una iniquitas plurimorum fœcunda parens est vitiorum & fœtus quàm plurimos parturit. De idololatris Hebræis prædicavit Stephanus Act. 7. v. 41. *Vitulum fecerunt in diebus & obtulerunt hostiam simulacro & lætabantur in operibus manuum suarum. Convertit autem DEUS & tradidit eos servire militiæ cœli.* ex adoratione vituli ad adorandam militiam cœli permittente justo Numine, prolapsi sunt. En quantum exercitum scelerum unum secum adducat peccatum: *vide divinum Stephanum* inquit D. Cyrillus Alexandrinus in c. 5. Amos, *testimonium dixisse, eos fabricâsse vitulum & ad colendam militiam cœli conversos esse.*

Decernit invictus David à facie Absalonis fugere, nè totus intereat: *ait David servis suis, qui erant cum eo in Jerusalem: surgite, fugiamus, neque erit nobis effugium à facie Absalon.* 2. Reg. 15. v. 13. cur non potiùs munire urbem cogitat, adhibitáque belli sagacitate hostem profligare satagit? ergóne omnis in fuga est salus? cur delicatum puerum tantopere formidat? respondet Josephus citato: David metuens impietatem Absalonis deliberavit fugere. scivit enim ex præteritis sceleribus enorme secuturum crimen, cujus spectator & testis esse no-

nolebat. Noverunt Theodidacti, novit & ipse dæmon peccatum peccati pœnam esse, ideóque hic de possessione quasi certus reverti in domum suam statuit.

§. 4. Causa tertia, quia domus illa hypocriseos est typus.

Revertar in domum meam. Cur suam vocet domum pœnitentis animam, hypocrisi adscribit D. Bernardus, quòd scilicet fictam non veram egerit pœnitentiam, plurísque ornatum & munditiem exteriorem, quàm interiorem cordis puritatem fecerit: *quid aliud est domus scopis mundata & ornata quàm fictio execranda, si peccata superficietenus radas non intrinsecus eradices? certus esto, quoniam pullulabunt uberiùs; & cum nequioribus septem, qui ejectus fuerat, hostis malignus intrabit.* hæc Bernardus serm. 2. de Assumt. nulla aptior dæmoni habitatio, quàm ubi vitium fervet in intimo, dominatur malitia, grassatur turpitudo, foris verò munda & composita omnia apparent. Gravissimum hoc malum est & reliquorum omnium origo: *quid huic dementiæ possit æquari in malis* inquit in hypocrisin Simon Cassianus, *penitus non invenio.* Pictores, diaboli hypocritas idem appellat, *sicut enim pictores cùm aliquam ex diversis coloribus volunt formare imaginem de interioribus non curant, quomodo stomachus, cor, pulmo, jecur locentur, aut quâ serie intestina cetera disponantur, sed duntaxat qualiter exteriora intuentium oculis aptiora reddantur.* at qui scrutatur corda & renes, adeò exosam hanc habet malitiam, ut præ ceteris flagitiis citiùs severiúsque plectat, idcirco enim nuptialis conviva sinè mora ejicitur *non solùm quia peccator erat* (verba D. Ambrosii) *sed quia peccator cùm esset, sanctitatis sibi meritum vendicabat*; ideo Judas exesse ocyus jubetur; *quod facis fac citiùs.* non tantùm quia fur & latro erat, sed cùm in cute nequam esset, pauperum fautorem se fingebat, & manum cum JEsu in paropsidem intingere ausus familiaritatis intimæ specimen simulabat, nec pœnitentialis illa vox: *peccavi tradens sangvinem justum* ad justitiæ divinæ aures penetravit, quia pœnitentiam simulavit Judas potiùs quam egit. ideo Saul protoregis pœnitentia, quâ dixit: *peccavi quia prævaricatus sum sermonem Domini & verba tua, timens populum, & obediens voci eorum: sed nunc porta quæso peccatum meum, & revertere mecum ut adorem Dominum* 1. Reg. 15. v. 24. & 25. pœnitentia, inquam, refractarii regis acceptata non fuit, sed audire à Samuele debuit: *porrò triumphator in Israel non parcet & pœnitudine non flectetur*, quasi omnem spem veniæ irritâsset, quia hypocriseos sceleri ultra aures immersus & juxta nomen suum teste Delrio, adagio 197. *infernus malorum* fuit; ideo Pharaonis pœnitentia inutilis fuit: *peccavi in dominum DEUM vestrum & in vos* Exod. 10. v. 17. quia ex putido corde processit; ideo pœnitentia Antiochi mortem & pœnas æternas non evasit, quia hypocrisis fuit; ideo Pœnitentia Caini cum lacrymis exaruit nec iniquitatem parricidialem delevit teste Paulo Hebr. 12. v. 17. quia lacrimæ erant crocodili & pœnitentia hypocritæ. Omnes hi, Domus erant, pœnitentiæ scopis mundatæ, & elegantibus pœnitendi formulis ornatæ, de quibus tamen jure non pessimo dicere pessimus poterat: *revertar in domum meam.* crudele malum hypocrisis! quæ virtutibus virtutes impugnat expugnátque. de hac eleganter Chrysologus serm. 7. *hypocrisis crudeli arte virtutes truncat mucrone virtutum; jejunium jejunio perimit, oratione oratio-*

Cassia. l. 10. c. 36.

nem

nem evacuat, misericordiam miseratione prosternit. invehitur in ejusmodi virtutum tyrannum, etsi Augustum Constantium Magni Constantini degenerem filium D. Hilarius: *Christum confitetur ut neget virtutem, procurat nè pax sit, comprimit hæreses, nè Christiani sint; Sacerdotes honorat, nè Episcopi sint; Ecclesiæ tecta struit ut fidem destruat; nulla gravior jactura quàm sub religionis specie CHRISTUM opprimere.* Idololatriæ speciem hypocrisis refert, dum gloriam soli DEO debitam nomini suo deputat, orant enim hypocritæ, eleemosynas faciunt, pœnitentiæ opera subeunt, non ut DEum honorent, sed seipsos extollant. Credamus Theophylacto in c. 18. Luc. v. 10. *cùm quis non Deo sed sibi sua bona opera tribuit, quid est aliud quàm DEI negatio?* Acutissimè Incarnata Sapientia hypocritas pupugit & idololatriæ insimulavit, dum eosdem perstrinxit, quòd in angulis platearum orarent: *amant in Synagogis & angulis platearum stantes orare* Matth. 6. v. 5. cur exprobrat angulos? ut idololatriam objiciat. cùm enim idolomaniam exercerent Judæi, in angulis platearum erigebant aras, ponebant idola, adolebant thura. ità de Achaz aliisque Regibus testatur Scriptura: *fecit sibi altaria in universis angulis Jerusalem* 2. paralip. 28. v. 24. idolorum ergo locum eligunt, qui suæ hypocriseos monumenta figunt. At væ his angulis! *nequam quærit angulum.* Cùm domum Jobi evertere diabolus vellet, angulos concussit: *ventus vehemens irruit à regione deserti, & concussit quatuor angulos domûs.* Job. 1. v. 19. ab angulis ruina incipit, quia ab hypocrisi totius ruina hominis provenit. audiatur Origenes in categ. græca: *eò verò quòd quatuor domûs angulos ventus contigit, disce in angulis platearum hypocritas ad orandum consistere.* ubi ficta Deorum imago, ibi & ficta virtutum imago consistit, ideóque eversioni locus ille proximus est, *quia dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris super angulos excelsos* Soph. 1. v. 15. super hypocritas tubæ fatales insonant, judicia divina intonant, imminent supplicia. per angulos excelsos, inquit interpres Hieronymus, opera perversa & à recto deviantia intelliguntur. unde & à Salvatore arguuntur Pharisæi, quòd adorent in angulis platearum: via enim recta & angusta tendens ad paradisum, arcta & angusta est; via autem fracta, habens angulos, & tortuosa, lata & spatiosa est, quæ ducit ad mortem. hæc Doctor maximus. ex quo collige proximam ad perditionem & omnis boni jacturam esse viam, hypocrisin, nihil proinde mirum, si per hanc viam facilè redeat in domum suam Sathanas: *revertar in domum meam.* Est conscientia hypocritæ sicut sepulchrum dealbatum, foris pulcrum, horrore intus fœtidum, quidni in eo habitet author mortis & humani generis vespillo diabolus?

S. Hilarius l. contra Constant. Aug.

§ 5. Causa 4. quia scopis superficietenus fuit mundata.

Demus tamen Domum illam, in quam reverti Sathan decernit, non esse tam enormi hypocriseos labe sordidatam, quemadmodum depinximus, nihilominus ut ex Bernardo suprà dictum est, quia scopis duntaxat mundata fuit, perfectè mundata non fuit, scopæ enim majores sordes duntaxat avehunt, relinquunt minores, adeóque juxtà Mellifluì Doctoris phrasin rasa tantùm fuit domûs illius iniquitas, non autem eradicata, nè unquam repullularet. Facilis dæmoni regressus in eam est conscientiam, quæ graviora tantummodo detestatur scelera, fovet minora. lavanda undequaque domus est non scopis solum-

lummodo verrenda, ut munda sit tota; volo dicere: non enormia duntaxat peccata sed levissima quæque omni conatu & vigilantiâ expurganda cavendáque sunt, si nolumus conscientiam nostram à dæmone domum suam appellari: *revertar in domum meam* certus enim dæmon est in peccata relapsurum maxima, quisquis non cavet minima.

Peccata venialia cavenda.

Figura I. Nubecula Eliæ.

Post triennalem ad mandatum Eliæ siccitatem, visa tandem est minima nubecula de mari exurgens, quæ in ingentem mox tempestatem ac pluviam excr[illegible]t: *ecce nubecula parva quasi vestigium hominis ascendebat de mari.* 3. Reg. 18. v. 44. simul hoc Elias vidit, jungi mox equos currui regio Achab jussit & cōcito gressu avolare in regiam, nisi aquis obrui vellet. vix ista fando Elias, cùm cœli contenebrati sunt, *& nubes, & ventus, & facta est pluvia grandis* v. 45. ex nubecula vestigium humanum vix superante nubes existit grandis & gravida, ex nube tempestas, ex tempestate horrisoni venti, post ventos imber maximus, & prope suppar Noëtico nimbus. ità ex leviculis defectibus, minimis noxis, minimi momenti erroribus, nî tempestivè occurratur, tempestas ingens oritur & strages & exitium. Nascuntur ex parvo fonte copiosa flumina, excitantur ex una scintilla magna sæpe incendia, ex tenui semine proceræ exurgunt arbores, ità ex peccato minimo maxima non rarò flagitia ortum trahunt. Quod de peste dixit Galenus, de noxis venialibus dictum pariter intelligo: *parva quædam & prava ad corruptionem promta mutatio efficitur, & homines cùm respirationis periculum evitare nequeant, ipsum aërem velut venenum quoddam ad se per os attrahunt.* parva sed prava es est, officiosum mendaciolum, curiosulus aspectus, effusior risus, & *quid est risus* (Chrysostomum refero homil. 87. in Matth.) *aut quid unquam è risu mali sequitur? orta ex immoderato risu scurrilitas, à scurrilitate turpiloquium, à turpiloquio operatio turpis profecta est.* en quid parva sed prava aëris mutatio efficiat, qualem pestem invehat, quæ tanquam bellua inquit Galenus, totas depascens civitates malè conficit. totam Sichimorum civitatem confecit Dinæ curiositas, totum pœne Israelis regnum infecit pestilens Davidis gloriola, totum Sionis gazophylacium exhausit levicula Ezechiæ ostentatio. En ut nubecula in nubem, halitus in perniciem, peccatillum in immane excrescat peccatum. A nubecula quasi vestigio hominis ad pedes Petri veniamus.

Galen. l. de theriac. ad Pison.

Figura II. Petrus.

Pedes suos ablui detrectabat Petrus, cui Dominus: *si non lavero te, non habebis partem mecum* Joan. 13. cur tam severè Petrum increpat, quem paulò ante lotum & mundum esse pronuntiârat? munditiem pedum sive puritatem affectuum à venialibus sordibus necessariam esse docuit, nè in gravia offendamus: *veniales igitur culpas* monet Bernardus, *nemo condemnat aut parvipendat, impossibile enim est cum eis salvari; non leve est vulnus, quod tanto indiget curatore, nec exiguum malum, quod tantum impedit bonum.* Minuta peccata, si negligantur, occidunt; minutæ sunt guttæ, quæ flumina implent, ait S. Augustinus tr. 12. in Joannem.

Qui correptionem non admittit, post ternam correptionem, publicani & Ethnici instar habendum Salvator monuit: *sit tibi sicut Ethnicus*

cus & publicanus Matth. 18. v. 17. putat Origenes homil. 6. in Matth. de correptione venialium noxarum egisse Christum, *qui in peccato levi correptus ter non se emendat, nos quidem sic eum debemus habere quasi publicanum & ethnicum.* ex venialibus enim ad mortalia prolabetur, per mortalia verò Ethnicis æquiparabitur: *sinè dubio idololatriam admittit quicunque delinquit*, Tertullianus l. de idololat. c. 1. Ex levi peccato ad idolomaniam Hebræus populus deflexit: *sedit populus manducare & bibere & surrexerunt ludere* Exod. 32. v. 6. in quæ verba divinè scripsit Gregorius: esus potúsque ad lusum impulit, lusus ad idololatriam traxit; unde sic infert monétque: *priùs per levia delicta deflectimus, ut usu cuncta levigante, nequaquam pòst committere graviora timeamus. cúmque mens subigere delectationem carnis renuit, plerumque & ad perfidiæ voraginem ruit.*

Figura 3. Populus Iudeus.

S. Gregor. L. 10. moral. c. 14.

Salomon in exemplo est, cujus turpissimum post tot Dei beneficia, post tot sapientiæ suæ data specimina, post tot exercita religionis opera in idololatriam prolapsum Josephus delicto leviori adscribit, quòd æreos boves ad sustinendum mare in templum induxerit: Salomon ætate provectior cultum DEi sui neglexit, & mulierum exterarum ritibus assvevit; quamvis jam antea quoque à præscripto legum discesserat, quando æreas boum effigies basi maris addiderat. Hæc Josephus l. 8. c. 7. non poterat hic error Salomonis plusquam venialis esse, ex quo tamen ad summum Apostasiæ malum est prolapsus. caveat minima qui pavet maxima.

Figura 4. Salomon.

Jota unum aut apicem legis non prætereundum insinuat JEsus cùm ait Matth. 5. v. 8. *jota unum aut unus apex non præteribit à lege donec omnia fiant.* quibus verbis ostendit (verba sunt S. Augustini l. 1. de serm. Domini) in lege ad effectum minima quæque produci. Minima legis observanda sunt, minima transgressio cavenda, quamvis enim parvum censeatur mandatum, non tamen parvus est, qui mandat, cujus majestatem contemnit, qui imperata negligit. ità D. Hieronymus in Regula Monach. titulo de obedient. *Non leve est DEUM in exiguo contemnere, qui non tantùm ad qualitatem peccati respicit, quantum ad personæ contemtum: propter quod non solùm homini intuendum est, quale sit quod jubetur, sed etiam quantus sit ille, qui jubet.*

Figura 5.

Jusserat Moysen DEUS cum gregibus & impedimentis omnibus Ægypto excedere, ideóque audacter Pharaonem Moyses interpellat: *cuncti greges pergent nobiscum, non remanebit ex eis ungula* Ex. 10. v. 26. nec ungula in Ægypto relinquitur, ut ad ungvem & apicem præceptum Domini impleatur. Eleganter Cyrillus l. 1. de adorat. *oportet, ut qui in veram se libertatem asserere volunt, studeant à malis abscedere & semitam ingredi, quæ ad virtutes ducit, nullásque omnino aut animæ aut mentis reliquias dimittere, per quas iterum sub diaboli dominatum redigamur.* Non fuisset redacta denuo sub diaboli dominatum domus hodierna de qua ipse dicit: *revertar in domum meam*, si non solùm scopis purgata sed pannis madidis eluta, non sordibus modo gravioribus sed pulvisculis etiam levissimis caruisset, ubi enim pulvisculum aut peccatillum dæmon neglectum observat, ibi certam sibi mansionem spondet & de regressu gloriatur: *revertar in domum meam.*

Figura 6.

§. 6. Denique quòd *Domum suam* vo-

quia Domus illa non habuit custodiam Angelicam.

vocare præsumat, è qua exulare jussus est, causam non ultimam fuisse censeo, quòd forti armato carverit, à quo atrium custodiretur, & vis dolúsque dæmonis arceretur. Insinuat hanc causam Christus inquiens: *cùm fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet* Luc. II. v. 21. si ergo fortem armatum Domus illa habuisset, in pace permansisset & turbulento Sathanæ nequaquam in diversorium cessisset. & quis ille fortis, imò fortior totô dæmonum exercitu armatus? D. Michaelis ceterorúmque Tutelarium Angelorum præsens custodia & vigil præsentia, quâ destituti facilè fraudibus dæmonum circumveniuntur, occupantur, damnantur. Sunt quidem beatissimi Angeli dies noctésque parati in nostram stare custodiam ac salutem, sed nos eosdem amandamus & abigimus, sicut fumo apes, sordibus columbæ, ignibus leones abiguntur, cogimúsque repetere triste illud: *Curavimus Babylonem &c.*

Invocemus proinde devotissimis precibus Tutelarem nostrum Angelum, & assumtis septem illis invictissimis spiritibus, qui sunt ante thronum DEi, stet pro inviolata domo cordis nostri omnésque adversarias quàm longissimè arceat potestates. Invocat Angelus Angelum in suppetias, ùt videre est Danielis. 10. v. 13. invocat dæmon dæmonem in hominis exitium, cur non & homo contra dæmones invocet fortes cœlestium exercituum armatos, ut in pace sint omnia, quæ possidet, nec hiscere unquam ausit adversarius & repetere solenne illud suum *revertar*.

§. 7. Emblema.

Sed jam tempus monet, ut revertatur unusquisque domum suam in pace, cui ego pro itineris solatio emblema offero, in quo templum nomine SS. Trinitatis insignitum exprimitur, ante templi fores stat excubitor Archangelus Michael, qui septicipitem hydram, & sex alii principes spiritus, qui totidem dracones à Domo DEi, hoc est, anima nostra (templum enim Dei estis vos) feliciter abigant & propellant cum felici epiphonemate, quod victor Michael draconi oggerit:

Cuia domus? non est hæc tua, nostra manet.





PRO-



PROBLEMA XLV.

Cur à Philippo JESUS consilium petat?

DOMINICA IV. QVADRAGESIMÆ.

Dicit ad Philippum: unde ememus panes? Joan. 6. v. 5.

§. 1. Cur non petatur consilium Judæ.

MUltiplicaturus JESUS miraculo panes consilium priùs discipuli sui requirit & quidem Philippi, cur non potiùs Judæ, qui Philippo callidior & in œconomicis longè erat eruditior. *Domine JESU non quæras à Philippo* inquit Petrus Cellensis l. de panib. c. 1. *quære à proditore tuo. hic habet marsupium cum Scribis & Pharisæis, hic insidiatur sangvini tuo, hic habet denarios triginta, unde panes emantur ad satietatem omnis carnis.* Non adhibet Dominus Judam in consilium, quia viscera ferrea in pauperes gerebat & accipere quàm dare beatius judicabat. Nihil æquè pio Domino displicet, quàm crudelis avaritia, quæ præ latrociniis magis exosa habetur. laudatur villicus iniquitatis, quòd bona Domini sui in egenos dilapidâsset, damnatur servus nequam, quôd conservo misereri noluisset: *decem millia talenta* (verba Chrysostomi homil. 62. in Matth.) *debebantur, non conviciatus est creditor debitori, sed misertus fuit, quando verò adversum consocium crudelitatem exercuit, tunc nequam ac improbum servum appellavit.* poterat de Juda dici, quod de Achab ab Elia dictum fuerat: *occidisti insuper & possedisti.* grave peccatum est latrocinium, longè gravius detinere ea, quæ pauperibus danda forent. Exsit itaque è consilio Judas, Philippus adsit. Cur hic præ ceteris omnibus? responsum ex ore Philippi accipiam.

Consiliarius malus supplicium maximum. Bzza to. 2. p. 220.

§. 2. Primæ duæ causæ rejiciuntur.

Antiquitati fortasse JEsus detulit, quod præ ceteris Apostolis Philippum consuluerit, is enim maximè veteranus in societate fuit Apostolica, quippe qui primus voce externâ à Christo vocatus est. Ità docet Eusebius Gallicanus hom. de vigil. S. Andreæ: *primus omnium Apostolorum Philippus videtur esse vocatus. Et meritò quidem primus vocatur, qui os lampadis interpretatur: tale namque os tunc omnes receperunt, quando in lingvis igneis Spiritus Sanctus super eos descendit.* Verùm non arridet hæc vocati in consilium Philippi ratio ab antiquitate petita, jam enim in operariis supra docui, non temporis & ætatis sed meriti & virtutis à DEO haberi rationem.

D. Cyrillus Alexandrinus & Theo-

Theophylactus ruditati Philippi adscribunt, quòd à Christo de emendis consultus sit panibus. verba Cyrilli de Philippo sunt: *non erat adeò acutus, ut altiora posset intelligere, ùt ergo rudiorem ad sublimiora ingenio consequenda & ad fidem vocans & roborans rogat.* similiter Theophylactus: *non alium interrogat Christus quàm Philippum, ipse enim majore indigebat eruditione.* at unde quæso hisce Doctoribus tam vilis de eruditione Philippi existimatio? An quòd candidâ fide Christum rogârit: ostende nobis Patrem & sufficit nobis? at hæc eximia erat Theologia, visionem appetere beatificam, quæ sola creatam mentem potest exsatiare. Non tam vilem de Philippo habuere opinionem gentiles, qui ut JEsum videre possent, neminem ex Apostolis alium quàm Philippum rogaverunt, quem & Domini titulo condecorârunt, id quod nulli alteri factum esse legitur: *Domine volumus JEsum videre.* quod à Philippo non exegissent, si quæ occuli vix potest ruditas, ex oculis Philippo prospexisset.

Joan. 12. v. 21.

§ 3. Causa tertia, quia Philippus frequenter JEsum consulebat.

Mitiùs alii de Philippi prudentia & eruditione sentiunt, ajúntque avidissimum discendi Philippum præ omnibus Apostolis fuisse & frequentiùs ceteris Dominum consuluisse, quâ sedulitate promeruit, ut vicissim à Domino consuleretur, ab eóque in præclarissimum efformaretur Doctorem: Sententiæ hujus patronum ipsummet habeo Cyrillum itá loquentem: *libenter Philippus discebat, quærebâtque sæpius.* præclaræ indolis specimen est audire & interrogare, sicut de duodenni Jesulo inter Doctores considenti testatur Evangelista, efficitúrque plerumque Doctor eximius, qui gnavum se exhibuit discipulum. Cor docile Salomon petiit, ut judicare populum posset: *dabis servo tuo cor docile* 3. Reg. 3. v. 9. in hebræo est: *cor audiens*, in græco: *cor sapiens*, quasi idem sit cor audiens & docile, quod cor sapiens & eruditum: sicut enim *qui regit & regitur, rectiùs ille regit*, itá & *qui docet & discit, doctiùs ille docet.* In magnam facilè evadit sapientiam, qui accido dispositóque ad discendum est animo, Platonico consentiens symbolo: *discere non erubesco.*

S. Cyrillus Alex. l. 3. in Joan. c. 13.

Post auditam de semine & seminatore parabolam accesserunt divinum Magistrum discipuli quæsitum, quid sibi vellet ea parabola? quibus ipse dixit: *vobis datum est nôsse mysterium regni DEI* Luc. 8. v. 10. cur Apostolis solùm & non omnibus datum est mysteria nôsse? quia hi duntaxat interrogârunt & non erubuerunt discere; sic nos (inquit Doctor Angelicus) si volumus accedere ad eum, illuminabimur. is solus ad veram sapientiam pervenit, qui libenter interrogat & audit: *ille accipit*, ait Theophylactus in c. 13. Matth. *qui quærit, ideóque discipuli soli, quæ interrogaverunt, acceperunt.* Immortalis felicitas Eunuchi Reginæ Candacis fuit interrogâsse & admisisse instructorem. Curru is vehebatur, ùt videre est Actor. 8. & fallendi otii gratiâ propheticum legebât librum, cui ex Spiritûs Sancti impulsu factus obviàm Philippus interrogat: an quæ legeret, intelligeret? cui prudenter Eunuchus: *quomodo possum, si non aliquis ostendat mihi*, ostendit Philippus quid legendum & quomodo intelligendum esset prophetici sermonis oraculum, itáque brevi temporis intercapedine profecit, ut Eunuchum per baptismi lavacrum in vitam æternam regenerârit: *eâdem horâ credidit* inquit D. Hieronymus de hoc Eunucho ep. 103. ad Paulin. *& baptizatus & fidelis & Sanctus factus*

ctus est, ac de discipulo Magister: plus in deserto fonte Ecclesia, quàm in aurato Synagogæ templo reperit. tantùm profuit Eunucho Philippum admisisse in Magistrum etsi hic specie externâ ut vult Chrysostomus, contemtibilis appareret (latet enim non rarò speciosa sub rudi pallio sapientia, & plumbea vicissim sub aurata chlamyde ignorantia) factus enim mox è discipulo Magister, atque ùt loquitur orator aureus, nobis omnibus propositus Doctor est: *locutus ille barbarus curru vectus, eum, qui vilis videbatur, & ex vestitu facilè contemtibilis, rogavit ut ascenderet & secum sederet. Vides ùt nihil omiserit, quæ ab ipso fieri conveniebant? propterea deinceps Doctorem nactus, eorum vim, quæ proposita erant, accuratè discebat, & animo illuminabatur. Idoneus enim est barbarus iste, qui nobis omnibus Doctor fiat.* hucusque Chrysostomus homil. 35. in Genes. Israëlitis mandatum est, ut quotannis solenniter phase celebrarent causâ additâ: *cùm dixerint vobis filii vestri, quæ est religio ista? dicetis eis: victima transitûs Domini* Exod. 12. v. 26. Erat quidem Hebræorum cura præcipua teste Josepho, cujus verba recito, Hebræorum *inquam præcipua cura erat circa filiorum nutrimenta, eos divinarum legum custodiam, traditionem, pietatem, tanquam totius vitæ opus necessarium edocere,* nihilominus filios interrogantes præcipuè erudiri vult DEus: *cùm dixerint vobis filii vestri, quæ est ista religio.* quia ille solus dignus est sapientiam invenire, qui novit interrogare, ille solus ad doctoratûs arcem & apicem ascendere dignus est qui discere non erubescit. Erubescant, qui in rebus dubiis viros prudentes ac doctos consulere nolunt, in ignorantiis suis hærere & perire malunt, quàm ad cognitionis lucem & salutis scientiam manuduci. Sed ad Philippum redeamus. Consulitur hic à Christo, quia ceteris Apostolis frequentiùs & studiosiùs Christum ipse priùs consuluit, consulamus JEsu vicarios & ab eis veritatem DEi ediscere non erubescamus, & consulet quàm optimè omnibus JEsus.

§. 4. Causa quarta quia Philippus exemplar perfectissimi Consiliarii.

Quodsi meam proferre mihi liceat sententiam, cur præ aliis in consilium vocatus sit Philippus, aio ideo hunc electum, quia perfectum perfectissimi consiliarii exhibet exemplar, quod ex ore & moribus Philippi quàm brevissimè demonstrare fas sit. Bethsaidâ oriundus erat Philippus, quæ civitas *Domum frugum* latinè significat, habebatque exploratissima loca, unde cibus poterat comparari. Ecce primam in eligendo consiliario cautelam, ut advocetur is, qui majori cognitione rerum atque experientiâ pollet, & natus educatúsque iis sit in rebus super quibus consultatio instituitur. Deinde Philippi tessera erat, quam sub alto diu corde pressit, sub ultimam denique cœnam ore expressit: *sufficit nobis* Joan. 14. v. 8. observa cautelam secundam, quæ non potest non esse secundissima; in electione consiliarii necessariò adhibendam, ut talis sit, qui corde sentiat & aperto ore dicat: *sufficit nobis*, qui enim rebus & spebus suis novit dicere: *sufficit nobis*, utiliter consuletur, cùm principi potiùs quàm sibi consulturus sit. Præterea *os lampadis* Philippus audit ob perspicuum in loquendo candorem & singularem verborum gratiam atque synceritatem. demonstravit hanc, cùm ceteris Apostolis ore uno dicentibus: *euntes emamus ducentis denariis panes & dabimus illis manducare* Marci. 6. v. 37. solus contradixit Philippus: *ducentorũ denariorũ panes nõ sufficiunt eis.*

eis. inclinari videbatur Christ᷒, ut panes emerentur, quibus emendis ducentos denarios sufficere censebant ceteri Apostoli, solo reclamante Philippo, & hic idcirco exclusis aliis in consilium vocatur, ut instruamur inquit doctissimus Sylveira, petendum ab illis esse consilium, non qui voluntati nostræ obsequentes sunt, sed qui juxta rectam rationem ac prudentiam communitati potius utilia, quàm principi jucunda loquuntur. *Pluris* tibi sit, si Josaphat & non Achab es, Michæas unus qui veritatem licèt omnibus exosam loquitur, quàm quadringenti prophetæ, qui loquuntur mendacium. Achabi vox est: *ego odi eum, quia non prophetat mihi bonum sed malum* 3. Reg. 22. v. 8. Josaphati verò votum: *adjuro te, ut loquaris mihi quod verum est in nomine Domini* v. 26. perpetua mali Principis nota & ruina est, malle audire Consiliarios qui loquantur falsa quàm salsa, loquantur non vera quàm dura & fera sivè ùt Isaias habet, qui loquantur placentia quàm quæ recta sunt. Denique Philippi votum & scopus erat: *ostende nobis Patrem*, nobilissima Consiliarii optimi tessera est, ad visionem beatam votis omnibus anhelare, nec mortale quicquam terrenum & caducum intendere sed videntis omnia vindicantisque *P*atris oculum præ oculis habere. Facilè foret hæc singula fusiori deducere calamo, sed quia neque temporis & loci hujus neque muneris & mentis meæ est Consiliarios perstringere, aut Principes de Consiliariorum selectu erudire, paucula hæc in Philippi electi dilectíque ab æterna Sapientia Consiliarii gratiam insinuasse sufficiat.

Sylveir. to. 3. l. 5. c. 33. q. 8.

Isai. 30. v. 10.

§. 5. Causa 5. tentandi gratiâ.

Verùm nè ab Evangelio abeam, causam interrogati Philippi Evangelistes adstruit: *Hoc autem dicebat tentans eum*, ergo tentandi gratiâ Philippum JEsus interrogat: unde panes? & cur tentat JEsus? Credebam hactenus Jacobo in Catholica sua scribenti c. 1. v. 13. *Nemo cùm tentatur dicat, quoniam à DEO tentatur, DEUS enim intentator malorum est, ipse autem neminem tentat*, & jam ab Evangelista audio tentatorem JEsum esse: *hoc autem dicebat, tentans eum*, quî hoc intelligam? respondet Salmeron: DEUS intentator malorum est, hoc est, neminem ex malis, sed tantùm ex bonis tentat. vel ùt S. Augustinus l. 2. de consensu Evangelistarum c. 30. aliâ significatione intelligitur tentatio de qua dictum est: DEUS neminem tentat, & alia de qua dictum est, tentat vos Dominus DEus vester ut sciat si diligitis eum Deut. 13. illa seductionis est, hæc probationis. tentatur itaque Philippus, quia bonus est & præ ceteris bonus; tentamur quandoque & nos, quia vel boni sumus vel ut simus boni.

In propriam agnitionem & humiliationem tentationes permittuntur, amat enim DEUS esse nos humiles. *qui non est tentatus quid scit?* ait Ecclesiasticus c. 34. v. 11. nec scit quid ipse sit. Nescimus sæpe quid possumus ait Thomas Kempensis, sed tentatio aperit, quid sumus. sunt adamantes quidam, qui malleorum ictibus franguntur, sunt alii (& quidem Plinio teste c. 4. lib. ult. Indici & Arabici) qui malleos frangunt. ut ergo sciamus, quis genuinus sit adamas, malleo opùs est, & sicut ille adamas habetur in pretio, qui non cedit ictibus, ità ille fidelis, qui resistit tentationibus. ut se cognosceret Paulus, colaphizari permissus est, ut in humilitate perstaret Adam, Petrus, David, Thomas &c. tentati imò & prostrati sunt, quò solidiores resurgerent. *Vasa figuli probat fornax & homines justos tentatio* Ecclesiastici c. 27. DEum

um figulo, hominem figlino vasi conferens, ficut autem figulus scit, quàmdiu vas in fornace relinquendum, nè vel exuratur vel molle & ineptum remaneat, ità DEus scit, quàmdiu hominem in fornace tentationis excoquere debeat. agnoscat proinde in tentatione homo se limum esse, humiliet se & vicit. Antonio Magno laquei tentationum à DEO ostensi & ratio vincendi suggesta est, videlicet *Humilitate.* Tentatur itaque homo in sui ipsius cognitionem & exercitium virtutis; sic arbor radicatur solidiùs ventis impetita, sic pileum fortiùs tenet viator (ùt est in fabula de Apolline & Euro) sic fontes æstate frigidiores, hyeme sunt calidiores. Abbas Pastor ùt refert Palladius dicenti: *oravi DEUM & liberavit me ab omni tentatione*, respondit: *ora potiùs DEUM, ut tua tibi redeat tentatio, nè fias deses & negligens.* Cant. 4. orat sponsa: *surge Aquilo & veni Auster*, noxius hic, frigidus ille ventus est, cur ergo in votis? fluent aromata virtutum imò & diademata gratiarum. Elegantissimè S. Bernardus de inter. dom. *molesta est lucta, sed fructuosa, quia si habet pœnam, habebit & coronam. Non nocet sensus ubi non est consensus, imò quod resistentem fatigat, vincentem coronat. Quoties restiteris, toties coronaris.* Eremita, qui unâ nocte septies tentationem somni vigilando apud ægrum vicit, totidem meruit coronas. Quidam religiosus à morte comparuit ex condicto & edixit quærenti, utrùm sibi pro tentationibus satisfactum? solus applausus mihi venienti factus & dulcedo basii à Christo dati superat omnem molestiam. At num & Philippus ex hac tentatione sua meruit basium & coronam? ducentorum denariorum panes non sufficere respondit, de æterno tamen Patre postea locutus, sufficere solam illius visionem ad perfectam satietatem affirmavit: *ostende nobis Patrem & sufficit nobis.* adeóque sensus verborum Philippinorum fuit interprete D. Antonino: *non sufficit panis idest refectio ejus ad sufficientiam etsi aliquando reficit, Pater perfectè reficit.* quo sensu si consilium suum Philippus protulit, non unum duntaxat denarium & basium, sed ducentos & supra coronatos, imò coronas promeruit. docuit enimverò omnem sufficientiam à DEo esse, ab eóque panem petendum, qui perfectè reficit, & nunquam deficit. S. Antonin. p. 1. tit. 5. c. 4. §. 3.

§. 6. Emblema.

Sed jam nos ad problematis hodierni coronam properemus & in sacro emblemate populum Israelis speculemur depluo è cœlis pane pastum cum lemmate: *tellus si negat, astra dabunt.* Eliam imaginemur, quem dapifer pascit corvus, & repetito suo crocitu de crastinò monet solicitum non esse *cocus cras tibi rursus ero.* Addamus & Sareptanam viduam cui farina de lecytho non deficit, apponente epigraphen Eliâ: *non deficiet.* Danielem ab Habacuc in lacu leonum refectum appingamus cum eminentissimo lemmate Cardinalis Philippi Boncampagni: *DEUS providebit.* Denique Philippum mihi imaginor, qui ad quæstionem Magistri: *unde accipiemus?* clausam ejusdem manum osculatur (quemadmodum à matribus nummulus manu nonnunquam joco clauditur, & unde accipiendus sit, ex parvulo quæritur) atque ex Psalte reponit: *Aperi tu manum tuam.* vel solenne illud: *sufficit hæc nobis.*

PRO-



PROBLEMA XLVI.

Quis arguat Christum de peccato? & cur verum dicenti non credatur?

DOMINICA PASSIONIS.

Quis ex vobis arguet me de peccato? si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi? Joan. 8. v. 46.

§. 1. Cur lapidare Christum velint Judæi.

Iquando acrem Incarnata Sapientia disputationem habuit, hodie habuit, cujus problema duplex ipsa posuit non facilè ab adversariis solvendum: *quis ex vobis*, etsi sit Argus, *arguet me de peccato?* ecce problema primum. *si veritatem dico vobis, quare non creditis mihi?* ecce alterum, insolubile utrúmque, etsi omnem lapidem moveant, ut solutionem inveniant & præstent. *Sustinere ista Æternitatis verba* (sive problemata) *non valentes, ad lapides currunt: & quem intelligere non poterant, obruere quærebant*, S. Gregorius homil. 18. *Tanta duritia quò curreret nisi ad similes, scilicet lapides?* S. Augustinus tract. 43. in Joan. At frustrà responsum & solutio problematis petitur à lapidibus, pro Christo enim, non contrà Christum lapides loquentur cùm homines tacebunt, & calculo candido non purpureo Christi innocentiam approbabunt, duritiem verò malevolorum testabuntur. Cùm itaque è calculo laborent dura Scribarum corda & ora ut respondendo non sint, respondebo quantâ potero brevitate ac modestiâ ad utrúmque Divini Magistri problema, & quis peccati eum arguat? cur veritatem dicenti non credant? indicabo.

§. 2. Inducuntur omnes status, ordines, ætates à quibus Christus argui nequit de peccato.

Quis ergo Christum arguet de peccato? edicite Principes, Magnates, Præsides, Politici omnes, num in politicen unquam deliquit? sub imperio Cæsaris natus, cùm describeretur orbis terrarum, conscribi & ipse in Cæsaris obsequium voluit qui ministrare venit non ministrari. num vectigal unquam Cæsari negavit? si taceant homines, loquentur muti pisces, & redditum integrè vectigal fuisse testabuntur. Tributum Cæsari dandum docuit, & Cæsari priùs quàm DEo reddendum monuit: *reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt DEI, DEO*, nè quis putaret ex retenta, quæ Cæsari reddenda fuerat pecunia, licere eleemosynam facere, & obsequium Deo præstare. At Regem se fecit; imò ne fierent, fugit. testor turbas, testor montem in quem *fugit ipse solus*, testor regnum universum, quod solis ambiit pedibus, atque à terrarum

rum ad cælorum regnum perveniendi viam demonstravit. Coronam quidem affectavit, sed spineam, quam ei nemo invidit. Mansvefecit gentes, ut promptiùs legibus, & Regibus subderentur, & subesse mallent, quàm præesse. Et quamvis pauperem privatámque elegerit vitam, de regali tamen sangvine nasci voluit, ut ejusdem cum regib' genii, & amicitiæ vinculo iisdem obstrictus esset. Nihil ergò in Cæsarem politicénque peccavit.

Quid vos Sacerdotes, Scribæ, Pharisæi, Pontifices, cujusnam reus est peccati? num reverendissimo statui vestro negavit reverentiam, & obsequium? leprosos appello, quos quoties mundavit, ad vos remisit, ut néque honori, néque peculio vestro quidquam decederet; turbas universas contestor, quas examussim obedire Scribis & Pharisæis jussit, ac sequi eorum verba, si opera non possent: *super Cathedram Moysis sederunt Scribæ & Pharisæi, omnia quæ dixerint vobis facite.* Nec Sacerdotes duntaxat sed eorum quóque servos honorat, & auriculam læsam integrat, ut non tantùm sacerdotes benè, sed eorum quóque servitia audiant non malè. At *Sabbata non observat*; imò ut accuratiùs observentur, curat, dum variis è morbis laborantes persanat, ut quietem in Sabbato inveniant. At *filium DEI se fecit*; quomodo filium DEi facere se potuit, qui nec fieri sed gigni duntaxat potuit? *genitus non factus, consubstantialis Patri per quem omnia facta sunt.*

Quid vobis turbæ & populi ac Pharisæi videtur de Christo? state verbis vestris & cùm vox vestra vox DEi sit, date gloriam DEO & dicite, num offendere in verbo unquam auditus sit? *nunquam sic locutus est homo, scimus quia verax es.* Num in opere deliquit? *omnia benè fecit.* num respectu personarum laboravit? *non est tibi cura de aliquo, neque enim respicis personam hominum*, omnes ergò pariter diligit, & omnibus omnia fieri gaudet.

Veniamus ad ætates singulas & sexum utrumque, quis ex vobis Christum arguet de peccato? Tacebo sequiorem sexum quem vel publicis sceleribus infamem ad pedes suos admisit, vel inflagranti scelere deprehensum non condemnavit, vel haustum petere â cœnosâ manu non dedignatus est, scio sequius nihil ab hoc sexu in JEsum proferri, quin vocem potiùs extolli, & prædicari uterum beatum à quo portatus, & ubera quibus lactatus est. Adeste parvuli ex quorum ore DEus laudem suam perficit, num peccavit in vos Christus? imò tam tenerè dilexit, ut manus imposuerit, quasi non manibus tantùm gestare, sed manibus suis coronare vestram innocentiam gestiret. Parvulos adduci jussit: *sinite parvulos venire ad me.* parvulos contemni prohibuit: *videte ne contemnatis unum ex his pusillis* Matth. 18. v. 10. parvulos in sanctitatis ectypon proposuit: *nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cœlorum.* Matth. 18. v. 13. Quid Adolescentes? ex utroque sexu unum ad vitam revocavit, duodennem Jairi filiam & filium unicum viduæ in Naim. atque in his duobus abunde demonstravit, quam vitæ salutísque curam erga universos gereret. à funere parentis adolescentem quendam retraxit átque ut mortui sepelirent mortuos suos monuit, quo funestum ab hoc adolescente averteret periculum, quod ex funere parentis, si præsens adesset, imminere prænovit. Nihil ergo peccavit in adolescentiam. Habéntne senes quod obmurmurent? curam eorum adolescentioribus im-

ad quod quisque volebat,converteretur? quæ culpa ſolis quòd exoſus ſit lippis,& tenebrionibus, qui lucis ſuæ radios æqualiter in omnes ejaculatur? quæ culpa cæli quòd ſagittis â Philippi exercitu impetatur, cùm vitali ſuo influxu cuncta vegetet? fruſtra in cœlo iniquitas,in ſole macula,in manna amaritudo,in JESU peccatum quæritur. Belliſſimè Origenes tr. 35. in Joan. ſuper illud: quærebant falſum teſtimonium: *falſa teſtimonia tunc locum habent,quando cum colore aliquo proferuntur,ſed nec color inveniebatur, qui poſſet contra JESUM adjuvare mendacia, quamvis eſſent in gratiam Principum prolata. quod maximam laudem exhibet JESU, qui ſic omnia irreprehenſibiliter dixit, ut nullam veriſimilitudinem invenirent in eo reprehenſionis,& mali & multi aſtuti.* Hæc Origenes.

§. 4. Hieroglyphica innocentiæ Christi.

Paſſus quidem eſt pro peccatis noſtris ſed âbſque ſuo peccato & culpa,idquod theologico conceptu Pſaltes expreſſit, dum in perſona Chriſti cecinit: *infixus ſum in limo profundi & non eſt ſubſtantia, quæ non rapui,tunc exolvebam* Pſ. 60. v. 2. & 3. in limo quidem Chriſtus profundiſſimo noſtrorum hæret peccatorum,pro quibus Patris Æterni iras tempeſtateſque ſuſtinet,at non eſt in eo ſubſtantia, ſive culpa quæ dicitur ſubjectum pœnarum, ſicut apud Philoſophos ſubſtantia eſt ſubjectum accidentium. accidentia ſive pœnas Chriſtus patitur, non autem culpam quæ eſt ſubjectum pœnarum. *Quæ non rapui,exolvebam* pro peccatis, (quæ ſunt rapina divinæ gloriæ, & violenta creaturarum contra Creatoris mentem abuſio,â me uſurpata nunquam) tunc patiebar, tunc morte turpiſſimâ luebam,tunc inter latrones moriebar. Veritatem eandem hieroglyphico non abſimili Jobus attigit in eadem perſona locutus: *violenta ſagitta mea âbſque ullo peccato* c. 34. v. 6. paſſionem ſuam vocat *Sagittam*, quam Paterna juſtitia in innocentem filium eſt ejaculata; at ſagitta hæc violenta eſt, quia Chriſtus âbſque peccato eſt; Scopus ſagittæ quam Pater ex arcu furoris ſui emittit eſt peccatum,in hoc enim collimat & dirigit ictum; quia verò in Chriſto peccatum non fuit, idcirco violenta dicitur, quæ alioquin naturaliter ad debitum ſibi locum tendit. *Violenta ſagitta mea abſque ullo peccato.* Sagittam violentæ patior mortis, ſed quod mortis eſt ſtipendium, non patior peccatum. Clariùs ipſemet de ſe Chriſtus Joan. 3. v. 14. *ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto,ita exaltari oportet filium hominis.* ſerpenti quidem ſe comparat ſed æneo, de quo eleganter Cardinalis Hugo. *ſerpens æneus non eſt verè ſerpens, nec venenum habet, & ideo ſignificat Chriſtum, qui habuit ſimilitudinem carnis peccatricis,non carnem peccatricem: habuit quidem veram carnem, ſed non verè peccatrici ſimilem uti dicitur ad Romanos c. 5. miſit DEUS in ſimilitudinem carnis peccati,& de peccato damnavit peccatum: id eſt, per theriacam expulit venenum.* Hactenus Hugo. Bernardus verò ſimilitudine longè illuſtriſſimâ ita Chriſti innocentiam proponit ad milites templi c. 10. *quid erubeſceret Chriſtus? qui ita lavit nos â peccatis,non quidem ut aqua diluens, & retinens ſordes, ſed veluti ſolis radius diſſipans & retinens puritatem.*

§. 5. Homo arguens Christum peccati pejor dæmone.

Dicere proinde jure optimo habuit: *quis me arguet de peccato?* quis niſi malignus & peſſimo pejor dæmone? Nuſpiam in Evangelii, omnibus invenio dæmonum ullum,nec legiones eorum integras, calumniam ullam jeciſſe in Chriſtum,ſed honoroficè locutos fuiſſe

ſemper, ita ut fræno opus habuerint, & obmuteſcere juſſi ſint, nè laudes Chriſti propalarent. Cur ergò laudantibus diabolis calumniantur homines? *ſcimus quia hic homo peccator eſt* niſi quia majori malitiâ præ dæmonibus præditi ſunt, ut ſuprà fusè problemate 32. diſſerui. Clariſſima Chryſoſtomi eſt oratio: *homo malus pejor eſt, quàm ipſe diabolus.* diabolus enim ſi videt juſtum, non audet ad eum accedere. homo autem malus quemvis hominem ſanctum non solùm non timet, ſed magis contemnit. Non præſtat diabolus homini virtutem ſed homo diabolo; arma diaboli eſt malus homo. Sicut homo ſine armis non poteſt aliquid facere contra hoſtem; ſic & diabolus etiam ſine homine non valet quidquam contra ſanctos. Hactenùs ille. Quid? quòd plus frequenter peccet homo quàm ſuggerat ei dæmon, & cùm hic de peccato erubeſcit, ille de impudentia gloriatur. Affirmavit id S. Antonius de Padua dom. 1. poſt Trin. *frequenter homo plus peccat, quàm diabolus ſuggerat, prævenit enim homo diabolum.* Unde Ezechielis 16. v. 27. dicitur: *dabo te in manus odientium Palæſtinorum, qui erubeſcunt iu via tua ſcelerata.* Grandis pudor quòd diabolus erubeſcit de peccato hominis, quod ei non ſuggerit, & homo non *erubeſcit.* Non erubuit impudens Phariſæorum turba Chriſtum vocare potatorem & dæmoniacum, erubuiſſet certè dæmon. Habemus jam propoſiti ſolutionem problematis: quis Chriſtum arguat de peccato, videlicet non Pater, non cœlum, non diabolus, non infernus, ſed pejor toto inferno malignus homo, omni deſtitutus conſcientiâ, quæ alioquin ſolet eſſe frænum linguæ, ùt præclarè D. Paſchaſius dixit l. 3. in Matth. *conſcientia, criminis accuſatrix, frœnum eſt propriæ linguæ*; idcirco David obmuteſcere ſe fatetur etiam à bonis, Job verò derelicta ſibi tantummodo labia ad arguendum malos affirmat, quia hic nullius argui potuit ſceleris: *non peccavi.* ille verò ſui ſibi conſcius adulterii ingemiſcere cogitur: *peccavi!* Matthæus quóque Judam appellare furem non audet, quem Joannes liberè talem pronunciavit: *fur erat & loculos habens* Joan. 12. v. 6. quia hic ſemper innocens, ille quondam publicanus. Conſcientia accuſatrix criminis frœnum eſt linguæ. at hoc fræno effrontes effrenésque carent Judæi, quia peccatis licet ultrà aures immerſi conſcientiâ tamen ſopitâ & ſepultâ neſciunt ſe eſſe peccatores, hoc ſolum ſciunt: *quia hic homo peccator eſt.*

Homil. 24. in imperf.

§. 6. Qui etiamnum Chriſtum arguant peccati.

Habent perfidi hi Nebulones quàm plurimos è Chriſtianis ſibi ſimillimos, qui Chriſtum arguant peccati, átque ut phraſi utar Davidicâ, mala in Dominum declinent ſeu derivent: *declinaverunt in te mala.* Declinatiſtæ peſſimi infimis inferorum ſubſelliis digni. Hujusmodi farinæ ſunt qui præcepta domini ſervatu impoſſibilia adſtruunt, cùm tamen teſte dilecto Apoſtolo *mandata ejus gravia non ſint* & obſervata eſſe ſingula à piis conjugibus Zacharia & Eliſabeth teſtetur Evangeliſta: *erant incedentes in omnibus mandatis & juſtificationibus ſine querela.* Præterea qui impudentiſſimè effutire audent DEUM peccati eſſe authorem, nec eſſe malum ſive pœnæ ſive culpæ in civitate quod non fecerit dominus, cùm tamen ſine ipſo factum ſit *nihil* ſive peccatum, interprete Auguſtino, quod informe nihilum eſt, nec DEus eſſet ſi iniquitas in eo foret, permittit

mittit quidem peccatum quia naturæ author est & principe liberi arbitrii dote rationalem creaturam spoliare non vult, at verò ad peccatum non impellit quia Sanctus est, quia Justus est, quia DEus est. Sed frustrà ego cum ejusmodi filiis Belial, & incarnatis archidæmonibus egero, qui irrationalem suam (cùm pejores dæmonibus) non facilè mutabunt contumaciam, neque credent verum dicenti.

§. 7. Qui veritati non credant.

Et cur veritati non creditur? *si veritatem dico vobis quare non creditis mihi?* quia filii hominum sunt: *mendaces filii hominum* Ps. 61. v. 10. imò quia filii diaboli sunt: *vos ex Patre diabolo estis, ille in veritate non stetit, quia non est veritas in eo* Joan. 8. v. 44. faciliùs dæmonem ad audiendam compuleris veritatem quàm hominem. *Si veritatem dico quare non creditis?* quia ad extremum terminum malitiæ pervenistis, sicut enim teste Damasceno l. 4. parallel. c. 17. *extrema improbitatis linea est mendacium*, ita improbitatis terminus ac punctum est odium & persecutio veritatis. Ut enim hoc brevissimè dicam & problematis partem alteram conficiam, ideo veritatem dicenti non creditur, quia ad completæ terminum nequitiæ deventum est. Semper hæc fuit eritque extremæ nota perversitatis & reprobationis tessera, veritatem non credere, sed injuriam reputare; *veritas putatur injuria* S. Chrysologus Serm. 131.

Veritatem dicenti Moysi Pharao non credidit, idcirco in malitiæ profundo periit. non credidit Samueli Saul, idcirco reprobatus à DEo disperiit. Non credidit Prophetæ Addo Sacrilegus Jeroboam, idcirco sacrum inter & saxum hæsit, & rupto aræ calculo damnatus periit. non credidit veraci Michææ Achab perfidus, idcircò cruenta orco victima cecidit. non credidit Jeremiæ Sedecias, idcirco Babylonem raptatus, exoculatus, carceri æterno mancipatus interiit. Surdo Balthasari veritatem Daniel cecinit & portentosos in pariete characteres exposuit, idcirco eâdem adhuc nocte rex impius ac impœnitens coronam, vitam, salutem, omnia perdidit. Sperare benè de tua Pilate salute cœperam, cùm veritatis essentiam indagare te audii. *quid est veritas?* sed cùm responso non expectato, ad alia converti te video, perversitatis & impietatis tuæ terminum deprehendo. Scribe quod scribis, nec ab eo quod scripsisti recede. Veritati mortem scripsisti & tibi ipsi veritatem mortis ac chirographum damnationis descripsisti. Desperatum & de tua est salute Herodes Rex, qui quàm diu Præconem veritatis libenter audiebas, tam sceleratus esse non poteras quin per Vocem ad Verbum vitæ & salutis aliquando pervenires; at cùm Vocem clausisti in carcere, imò & spiritum interclusisti, omni salutis spe temetipsum exclusisti; Verbum quidem ad te veniet sed sine Voce; Salvator, at sine salute; oraculum sed mutum, miraculum, sed tibi in derisum. Extrema improbitatis linea est veritatis odium, amor mendaciorum.

§. 8. Emblema.

Sed jam & nos extremam ducamus lineam próque emblemate illibatam Servatoris nostri sanctitatem, quæ nullius argui potest peccati, in Colosso seu Pyramide delineemus, in qua videre sit symbola innocentiæ Christi è sacris deprompta litteris: speculum cum lemmate *sine macula*, columbam *sine felle*, ro-

rosam paradisiacam quæ juxta S. Ambrosium est *sine spina.* Lilium inter spinas, *sine vulnere*, librum scriptum intus & foris *sine mendo*; Scirpum *sine nodo*; Pomum candidum & rubicundum *sine verme*; Solem in Auge: *tenebræ in eo non sunt*; lunam plenam *sine defectu.* Panes propositionis *sine fermento*; Serpentem Æneum *sine veneno.* Agnellum candidum *sine nævo* & similia sexcenta; Pyramidi sol meridianus immineat: *sine umbra*; sicut enim pyramis in meridie umbram non projicit cùm directè eandem sol respicit, ita Humanitas Salvatoris nostri umbram peccati spargere nequiit, quam sol Divinitatis mero die & gratiarum plenâ luce semper respexit. Infrà Argum fingo qui accensâ Diogenis lucernâ Christum in fabrili, in Synagoga, in montibus & ubique lustret, ac umbram peccati frustrà indaget cum epigraphe: *quæretur peccatum illius & non invenietur.* O si & in nobis non inveniatur iniquitas ad odium, nec conscientia arguat & exprobret peccatum, sed eandem emundet & absolvat, qui solus sine peccato tollit mundi peccatum!





PRO-




PROBLEMA XLVII.

Cur Triumphus præmissus Passioni?

DOMINICA PALMARUM.

Dicite filiæ Sion: ecce Rex tuus venit tibi. Matth. 21. v. 5.

§. 1. Causæ SS. Bernardi & Chrysostomi.



Cur triumphum ante victoriam, plausum ante certamen, diem honoris ante Parasceven doloris Salvator noster celebraverit, varias reddunt causas divinarum paginarum interpretes. S. Bernardus ad augendam Passionis ignominiam id factum arbitratur, volebat enim cœlestis sponsus myrrham metere cum aromatibus, amaritudinem passionis cum dulcedine amoris: *ut amarior esset Passio, quam processio præcessisset.* Ipsa certè triumphalis pompa exacerbavit Pontificum animos, ut acerbissimam triumphatori mortem molirentur; adeóque irritare in se mortem voluit, quam à triumpho amariorem fore præcognovit. Et hanc causam Chrysostomus assignat: *ut mortem quodammodo in se provocaret*; sicut Leones postea Ignatius in se irritavit. Expressit piissimus Dominus desiderium cordis sui, quo ad passionem anhelabat tanquam ad triumphorum triumphum. Causas cæteras ut prætercam, arridet una præ omnibus, cur triumphum passioni præmiserit, ut suâ quoque comprobaret experientiâ insignem hanc veritatem, prognosticon videlicet certissimum secuturarum calamitatum antecedentes esse triumphos, sicut ex communi adagio manè rubens Cœlum venturos indicat imbres, & lusus Delphinorum tempestates, & discolor iris pluviam, & innube cœlum nubila ominatur. Quod in palmaris triumphi honorem fusiùs demonstratum eò.

S. Bernard. Serm. 2. de Dominc. Palmar.

Chrysost. in Imperfect.

§. 2. Fortuna plerumque venefica est, cum benefica.

De Urso scribunt Naturarum periti; Mœrere illum Cœlo sereno, & murmurare, quasi diei claritas obscuritatem offundat cordi, eò quòd naturali doceatur instinctu, non diu duraturam eam esse serenitatem. Philippus Macedo tres nuntios nova faustissima afferentes continuò acceperat, cùm sapiens Rex infortunium veritus, exclamavit: *O fortuna levi aliquo malo me mulcta!* Fortuna ùt simia est, quæ catulum plus nimio amatum dum arctiùs pectori apprimit, interimit, unde illud lemma: *Odit amando*, ità Fortuna dum pluribus nos ornat beneficiis, malefica est, videtúrque nobis dicere: *Officio officiis.* de ficu ait Theophylactus: *quò magis irrigatur, eò magis sterilis fit.* & Theophrastus lib. 2. c. 8. *Dum riga-*

in ore eorum. Timete proinde illum, qui est *metuendus nimis.* Bona hæc est responsio, sed quæro meliorem. Salvator noster posteaquam de beneficiis à DEO in singulos hominum conferri solitis elegantissimam habuisset concionem Luc. 12. adducendo corvos, *quibus non est cellarium, neque horreum, & DEUS pascit illos.* v. 24. inducendo lilia, quæ non laborant neque nent, crescunt tamen. Nec Salomon in omni gloria sua vestiebatur *sicut unum ex illis.* v. 27. suam denique concludit orationem explicatâ Patris æterni providentissimi benevolentiâ: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit Patri vestro dare vobis regnum.* v. 32. *Quia* idem est apud interpretes, ac *idcirco quòd,* nolite timere, quòd complacuerit sibi Pater meus in vobis, & elegerit vos ad regnum. Debebant timere Apostoli auditis tot beneficiis & promissione regni; nam ùt aureè S. Chrysologus in hunc locum: *Regnum audire, periculum; temeritas non timere.* Ex specialissima proinde gratia Dominus servorum mentes tali voce confirmat: *nolite timere.* Et ecce hæc ipsissima causa est, cur Ecclesiasticus postquam insinuâsset DEI beneficia, vocârit eum metuendum nimis, quia tunc maximè metuendus, quando est beneficus. Habemus DEum liberalissimum, qui nos ex stercore erigere vult ad thronum altissimum, qui nos è nihilo creatos conservat manu paternâ & tenet tribus potentiæ absolutæ digitis, qui velut supremus Rex nos omnes vult suos esse Regulos & cohæredes, & ideo timendus est. Cur ergo Ecclesiasticus (ait Jo. Sylv. lib. 4. c. 17. q. 4.) creatorem timere potius quàm amare jubet? nimirum ut demonstret beneficia nobis sæpe transire in malefica, & favores, in furores, præcipuè malis, ac proinde nobis valde timendum esse. Habebant itaque causam timendi Josuani milites propter insolens beneficium, & victoriam, ut quinque coronata capita calcare potuerint, habebant, inquam, justissimam metuendi causam, nè immineret post fortunam magnam majus infortunium, uti communiter accidit, nisi extraordinaria accedat DEI benevolentia, quam Josue insinuat: *Nolite timere, nec paveatis, confortamini & estote robusti. Ratio præsentis timoris militum, erat victoria,* ait Doctissimus Abulensis.

§. 4. Consolatione egebat Abraham post adeptam victoriam.

Similis timor Abrahamum corripuit, posteaquàm quatuor Assyriorum Reges felicissimo prælio profligâsset. Gen. 15. v. 1. obtentâ enim victoriâ apparet illi DEus exercituum, suúmque animat victorem, mirâ verborum formulâ: *His itaque transactis factus est sermo Domini ad Abram dicens: Noli timere Abram, ego protector tuus sum.* Cur non hæc verba ante prælium DEus protulit? an major timendi causa post victoriam? cessat jam periculum, adquid ergo DEi auxilium? putat Lyranus timuisse Abram, nè in victoria, quam habuerat, accepisset totam mercedem justitiæ suæ à Domino. Lucas Burgensis, aliíque in ea sunt mecum opinione, timuisse Abram propter nimiam obtentæ victoriæ felicitatem. Magnam enim prosperitatem maxima nunquam non subsequitur calamitas. Justus cùm ad te oculos convertat, cœlestia dona timet, inquit Sylveira l. 3. c. 4. q. 15. *tunc videbis & afflues.* Is. 60. v. 5. Septuaginta legunt *& timebis.* Prudentissima timendi causa est, si affluas. Quos Pater cœlestis solidè amat, insolentibus gratiis nequa-

quam onerat. Elegantissimè Bernardus: *nisi Pater esset, obrueret nos beneficiis.* Alius diceret, quia Pater est, obruit nos beneficiis; novercale videtur, si parcâ manu conferantur beneficia, verus amor modum nescit, at non sic Theodidacti: *nisi Pater esset, obrueret nos beneficiis*, nimius amor, nullus amor. Obrueret nos ad eum modum, quo Sabini Tarpejam Vestalem Virginem ob proditum Capitolium scutis obruerunt, locò armillarum aurearum, quas promiserant. Obrueret nos, sicut rosis obrutus in amphitheatro Rhodius ille Diagoras, cùm tres filios athletas coronari videret; sicut Judas nimiis obrutus favoribus interiit, cui in cœna ultima Dominus maximum favorem exhibuit. *Uni Judæ favorem intincti panis porrexit*, inquit Didacus Ponfer. tit. 1. lib. 3. c. 9. Et tamen hic favor obfuit, in furorem degeneravit. Nunquam homo perditus majori vulnere affligitur à DEO, quàm dum favoribus & beneficiis delinitur.

Cic. l. 1. Tuscul.

§. 5. Beneficia nimia exitio Judæis fuére.

Ad desertum nos ducit Athanasius, & ostendit hinc mellifluas aquas uberrimè de petra exilientes, inde ignem DEI contra populum diffidentem vehementer accensum: *percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt. Ideo ignis accensus est in Jacob, & ira DEI ascendit in Israël.* v. 21. Si ignis & furor DEi accensus est in Jacob ob punitionem, quomodo igitur fluxerunt aquæ abundantes? ubi torrens gratiarum, ibi flamma pœnarum. Verberabantur Judæi, ait citatus Ponferadiensis, cùm pane de cœlo ditabantur ingrati; putabant miseri à DEo se amari, à DEo foveri, dum summa ab eo beneficia recipiebant indies, sed nullo graviori verbere ab eo affligi poterant. Ap. 1. v. 16. Veritas hæc aureo Symbolo adumbratur: Vidit Joannes DEum hominem in medio septem aureorum candelabrorum, coma quidem velut lana candida, sed oculi erant scintillantes, *habebat in dextra stellas septem, & de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat.* Stellæ sunt felicitatis ostentum, quas idcirco Augustus nummis suis insculpebat, at stellis conjungitur gladius. In stellis optimis vixit Epulo, at jam hæret in gladio. Bona recepta tormentorum causa sunt, inquit Alexander Pellegrinus in c. 11. Matth. parad. 5. ubi sic concludit: timendus est DEus, cùm videtur beneficus, quia ipsa DEI beneficia peccatoribus in hac vita collata supplicia sunt. Veterum adagium refert Paulus Manutius: *DEorum dona sæpe non dona.* Exemplum habemus in vita S. Ambrosii, qui cùm ex itinere divertisset ad cauponem, & quæsivisset: quomodo valeret? respondente illo: status meus Domine semper extitit fortunatus, nunquam quid adversum mihi accidit, nec quo contristarer evenit. At sanctus: surgamus, & hinc quantocyus fugiamus, quia Dominus non est in loco isto. Vix ad lapidis jactum discesserat Ambrosius, absorpta est domus cum universis, quæ ad ditissimum illum virum pertinebant. Tum Ambrosius ad socios: ecce fratres, quàm severè irascitur DEus, cùm semper prospera elargitur. Eadem S. Augustini in Psal. 68. est sententia, *ipsa, quæ in rebus humanis felicitas appellatur, plus timenda est, quàm miseria.* Nimirum post Phœbum nubila, post malaciam tempestas, post favores flagella, post divitias miseria, post purpuram flamma, fel post mel, absinthium post siceram, post epulas carbones, post mensas gehenna. Hic est omnis fortunæ finis, sed quid postea? infortunia sinè fine.

Psal. 77. v. 20.

Ti-

Timet Navarchus cùm malaciæ tempore delphinos saltitare ac lusitare conspicit, quo exlusu horridam præominatur tempestatem. Pavet Astrologus, cùm novo phœnomeno micare cœlum videt, illúd Manilii repetit: *Nunquam futilibus incanduit ignibus æther.*

Prævidet colonus, cùm manè rubens cœlum intuetur, diem finè pluvia non terminandam. timeamus, cùm purpurascere in favores cœlum, aut insolitam felicitatis affulgere stellam, aut colludentem votis nostris fortunam conspicamur, illudit enim, dum colludit, lacrymarum portendit imbrem, dum purpureo arridet ore; præficam accendit facem, dum inusitati fulgoris cometam præmonstrat. Timeamus non Fortunam, quæ nihil est, quàm Fortunæ Authorem & rerum humanarū Moderatorem, qui nunquam magis timendus est, quàm cùm favoribus nos obruere videtur.

§. 6. Joannes viso cum stellis Christo corruit exanimis cur?

Dilectus JEsu discipulus ad Magistri sui conspectum raptus, in faciem adeò horrificam incidit, ut exanimi similis corruerit. *Cùm vidissem eum, cecidi ad pedes ejus tanquam mortuus.* Apoc. c. 17. Quid quæso in amantissimo JESU esse potuit, quod Joanni generosæ isti aquilæ, animoso tonitrui filio, gratioso Divini pectoris inquilino horrorem tantum incutere potuit, ut ipsam corpore animam expellere videretur? an fortè flagra manu intentantem vidit? at vidit illa bis olim in Christi manibus cùm sacrilegi profanatores templó eliminarentur, nec tamen ad mortem concussus est. An voce terrificâ biverbium illud repetentem audivit: *Ego sum?* at voci huic pridem assvetus fuit. Nihil horum vidit, nihil audiit, ipse exponit causam metûs: *& habebat in dextra sua stellas septem* v. 17. stellas vidit, ideo contremuit. Si gladios stringentem, lanceas minantem, fulmina vibrantem vidisset, quid mirum? at à benignissimis sideribus, quis metus, quæ angustia quod periculum? Stellæ apud Authores passim Symbola sunt gratiarum, & donorum Divinorum, hæc verò servis DEi summum timorem incutiunt, dum secum attentiùs reputant strictissimas olim rationes coram tribunali formidabilissimo reddendas.

Aliud insuper Joannes vidit, unde illi horripilatio & deliquium: *& de ore ejus gladius utraque parte acutus exibat.* Mirabilis gladii vagina, divinum os. & quis iste gladius? B. Petrus Damianus & B. Zeno Veronensis per gladium accipiunt Spiritum Sanctum. *Gladium ex ore Christi utrâque parte acutum exeuntem, Spiritum Sanctum intelligere possumus, qui à Patre Filióque procedit.* O DEum! quis putâsset alicui occurrere interpretationem ejusmodi? ergóne Spiritus Sanctus est gladius & utrâque parte acutus? ità, ut quoquò verteris, secare, vulnerare, mutilare aptus sit? audiamus, quid de Spiritu Sancto testentur S. litteræ Sap. 7. v. 22. Vocatur *svavis, amans bonum, benefaciens, humanus, benignus.* Sap. 12. v. 1. *O quàm bonus & svavis est Domine Spiritus tuus in omnibus.* De illo S. Bernardus Serm. 1. de pentec. *Dulcissimum quiddam in DEO Spiritus Sanctus est, benignitas DEI, & idem ipse DEUS.* de illo S. Ecclesia. *Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium, in labore requies.* &c. Et ecce hic benignissimus Spiritus in acutum transit gladium, ut, quo nihil antea lenius, nihil postea sit severius. Sic nimirum beneficia

DEI vertuntur in supplicia, blandimenta in tormenta, mel in fel, memedicina in venenum; Spiritus Sanctus ex columba transibit in tigridem, ex rosa in gladium, ex Consolatore in Judicem Vindicémque, & hoc est, quod cordatos excordat, & exanimat, recordatio ipsa beneficiorum pro quibus rationes strictissimas DEUS exiget. Elegànti Symbolo Gladius pingitur, qui ad cotem oleo olivarum tinctam acuatur, cum lemmate: *Lenimine acutior.* leni oleo durum ferrum acuitur, & svavi beneficiorum divinorum oleo gladius Justitiæ acuetur, ut gravioribus mactentur à Justo DEO suppliciis, qui beneficiorum oleo deliniri noluerunt esse filii olei aut Olivæ in domo Domini.

Dionysius Uticensis l. de agricultur. 4. Infallibile longioris hyemis prognosticon esse affirmat, si extraordinariè copiosis fructibus onerentur quercus: *Ilices & quercus multum fructum ferentes diuturniorem hyemem fore significant.* Timete Dominum omnes servi ejus, quando videtis ex arbore Crucis (quæ fuisse quercus dicitur) copiosiores vobis fructus provenire. Parebit in die novissimo signum Filii hominis, ut hyemem æternam prognosticet.

Observo quid curiosum in sermone Domini à cœna ultima. Luc. 22. Quærit Dominus, *nunquid aliquid defuit vobis.* v. 35. at illi dixerunt: *nihil.* tum illos mox commonet, ut vendat unusquisque tunicam suam & emat gladium. v. 36. & addit causam. v. 37. *dico enim vobis, quoniam adhuc hoc, quod scriptum est, oportet impleri in me: & cum iniquis deputatus est.* Ideóne gladius emendus, quia cum iniquis deputatur JEsus? en mysterium: si tibi nihil desit, emé gladium timoris, quia cum iniquis deputaberis. Sic deputatus est Judas, contra quem Cyprianus Serm. de cœna Domini: *melius erat molâ asinariâ collo alligatâ mergi in pelagus, quàm illotâ conscientiâ de manu Domini buccellam accipere.* Nimirum quidquid recipitur per modum recipientis recipitur. Quidquid diligenti DEUM accidit, honor aut ignominia, abundantia aut penuria, consolatio vel mœror, in bonum cooperatur, quidquid injusto accidit, in malum cedit. *Ad omne fortuitum bonum suspensi & pavidi subsistite, quia beneficium insidiæ fortunæ est.* Senec. ep. 4. ad Lucil. Contra has insidias vigilemus, paveamus, caveamus.

In problematis Coronam, Emblema apponamus fingamúsque Cometam in æthere, in nubibus Iridem, Delphinos lusitantes in Æquore, in terra gravidam glandibus ilicem, vel quercum, quercui inscribamus: *acrior instat hyems.* Delphinis: *tempestas fœda sequetur.* Iridi: *desinet in lacrimas.* Cometæ: *lux adferet ista tenebras.* Cometæ instar se habet omnis prævia felicitas, secuturæ certissima prodroma calamitatis. Sicut iris in pluviam, sic omnis plausus & risus in planctum & lacrymas resolvitur. Favor Fortunæ lusus est Delphinorum, ex quo certius nihil quàm periculosam inferas tempestatem. Ilex præter morem abundans glandibus longam prædicit hyemem, insolens aliqua felicitas longam miseriam ominatur. Frugiferum autumnũ sterilis hyems subsequitur, amœnitatem moderati veris immodicus excipit æstus æstatis, ità prosperitatem quamlibet præsentis vitæ præsentissima comitatur ærumna. post Bacchanalia diem Cinerum expecta; post Dominicam

Læ-

Lætare, Dominicam Passionis; post Palmas & triumphos, parasceven dolorum. Sic semper actum est, sic agetur semper, & non aliter.



PROBLEMA XLVIII.

Cur manè Mulieribus Christus apparuerit?

DOMINICA PA-SCHÆ.

Valde manè unâ sabbatorum veniunt ad monumentum Marc. 16. v. 2.

§. 1. Cur Mulieribus priùs ac Apostolis Christus apparuerit.



Hesychius author antiquus ingeniosum movit problema: cur redivivus JEsus apparuerit mulieribꝰ cùm dilucesceret, discipulis verò cùm advesperasceret? non miror priùs feminis, quàm viris visum esse, id enim merebatur feminarum præ viris Zelus, atque devotio, utpote quæ patientem Dominùm planxêre teneriùs, crucifixo adhæsêre constantiùs, sepulto parentavêre devotiùs, & jam priores Apostolis venerunt ad sepulchrũ, nullo custodum timore absterritæ, nullo Pontificum livore impeditæ, nullo vitæ, fortunarum, famæque periculo retractæ, quo minùs Dominico corpori impenderent obsequium, & cum ungventis primâ luce ad sepulchrum advolarent. Non, inquam, quæro cur priùs Mulieribus gloriosam suam anastasin revelârit Dominus, sed cur manè, non meridie, non serò familiari easdem alloquio sit dignatus. Cujus Mysterii duplicem ut brevis sim, rationem reddam, quarum altera in vituperium, altera cedat in devoti sexùs encomium.

§. 2. Cur manè apparuerit mulieribꝰ, causa ex Sferlogo Sect. 9. in c. 4. Cantic.

Cur manè mulieribus, serò hominibus Dominus JESUS apparuit? ad hanc quæstionem respondet author ingeniosus: ut â circumspecta JESU diligentia ediscant viri, mulieres nec consalutare, nec cum eis sermonem miscere, nisi sub aperta manifestatione; sub caligine verò non decet viros spirituales colloquia habere cum mulieribus. Hæc ille ad mentem D. Hieronymi epistola ad Oceanum: *præcipuè illud reor attentius providendum: prima tentamenta Clericorum sunt mulierum frequens accessus; quid tibi revera cum feminis, qui ad altare cum* Domino *fabularis? probibe Virgines tecum morari, etsiamsi de tuo genere sint, ubi enim cum viro babitant feminæ, viscarium est diaboli.* Serò cum femina egit Petrus, & quidquid non tantùm die totâ ac potissimum in cœna Dominicâ, sed toto quo in Apostolico Collegio conversatus fuerat triennio, virtutum meritorúmque col-

collegit, uno pœne momento dissipavit, ac deperdidit: *sexus enim iste*, inquit Godefridus Abbas epistola ad Hildebertum Cenomannorum Episcopum, *more ancillæ Ostiariæ gerens officium, omnes quos allicit, aut excludit à vita, sicut Petrum à Christo, aut concludit in mortem, sicut Adam in paradiso.*

§. 3. Feminarũ consortiũ cavendum docet Figura 1. Abraham.

Cautissimus Patriarcha Abraham sepulchrum sibi suæque lectissimæ Conjugi designans, divisit spatia, ut seorsim ab ipsa humaretur, quam & in diversa humavit spelunca: *sepelivit eam in spelunca duplici* Gen. 23. v. 19. an non unum idémque suffecisset utrique sepulchrum? indecorum censuit vir sanctus si eodem cum femina humaretur in tumulo, nobis in posthumum documentum, quâ cautelâ feminis cohabitandum vivis, si vix securum est manere cum mortuis.

Figura 2. Loth.

Utinam cautelam similem patruelis Abrahæ Loth adhibuisset, in enorme facinus nequaquam degenerâsset. Considerat Origenes Lothi inter Sodomitas innocentiam, & miram, qua hospites Angelos excepit atque â serotino cum Sodomitis colloquio abstraxit, prudentiam, ob quam sulphureum evadere meruit incendium, & â Manuductoribus Angelis in asylum deportari. Verùm qui flammam evasit sulphuris, non evasit rogum mulieris: *uritur ille flammis mulierum, quem sulphurea flamma non ussit.* Origenes homiliâ 5. in Genes. deferunt suos secum ignes feminæ, ita ut appropinquare iisdem vix possis, quin aduraris saltem, si non conflagres. De Mulieribus dictum â Psalte putat D. Bernardinus: *Incenderunt igni Sanctuarium tuum* Ps. 73. quasi incendiariæ sint mulieres, quæ viva DEi templa incinerant: audiamus Concionatorem Seraphicum: *Psalmista in spiritu considerans præsens tempus, in quo carnales & vanæ mulieres cum meretriciis ornamentis accedunt ad sacratissima loca, & incendunt spiritualia templa DEi, id est animas, atque materialia templa profanant, clamore spirituali hos apud DEUM accusabat dicens: incenderunt igni sanctuarium tuum in terra, id est animas juvenum illas in Ecclesia inspectantium.* Si hoc incendium spargitur in Ecclesia, si luce meridianâ, si ante epulas, & lusus, quid domi? quid in angulo? quid sero vespere? quid distento cibis potibúsque corpore?

Mulieres Incendiariæ.

S. Bernardinus to. 2. Serm. 47. art. 3.

Mulier idẽ significat Indis quod Dæmon.

Scribit Joannes Boterus in dictis memorabilibus apud Indos mulierem vocari *Ita*, quo eodem vocabulo etiam dæmon appellatur, ita ut linquâ Indicâ idem significet dæmon quod Mulier, eodem ambo nomine *Ita*. Quæ Boteri relatio credibilior ex eo mihi redditur, quòd in vita S. Barlaam apud D. Joannem Damascenum inveniam, Indorum Regum unum aliquem, ex Medicorum consilio accurasse, ut primogenitus Regis per primam annorum decadem in obscuro educaretur conclavi, nec ad ullius seu animantis, seu artefacti, seu cujusvis alterius rei spectaculum admitteretur; lapsis itaque duobus lustris, cum Regius Princeps in aulam paternam educeretur, & quidquid jucundum, ac mirabile visu, spectare juberetur, ubi ad gynecæum pervenit & longo ordine, multóque tempore heras, herulasque nunquam in vita visas aspexit, ex Aulæ Præfecto percontatus est, quid hoc rei? quod animal? quale illi nomen? respondit Præfectus: *dæmones appellari â quibus hominum mentes in errorem traherentur.* complacuit in hisce damonibus ita sibi adolescens regius, ut cùm in cœna â rege interrogaretur, quidnam ex omnibus eâ die primum visis potissimùm

ſimùm ei arriſiſſet? innocenter reſponderit: dæmones illi, qui mentes hominum in errorem trahunt, præ omnibus placuerunt, neque alterius perinde rei, ac horum amore dæmonum animum mihi exhilarari, inflammaríque ſenſi. Luſerit aulæ Magiſter in voce *Ita* & pro Muliere dæmonem appellârit, at ſenſit innocens animus in muliere dæmonem, cujus citò ignibus accenſus eſt. gerunt ſuas ſecum flammas inferorum genii, gerunt & igneas ſecum ſagittas mulieres, quibus ſagittent in occulto immaculatum. Nec malè femina *Ita* dicitur, quia vel blanditiis ſuis aſſentitur Viro, conſentitque oculis, ore, nutu, *Ita*. vel ut nequitiæ ejus vis annuat, & dicat, *Ita*, ſicut Adamus Evæ dixit, procurat.

§. 4. Nullus unquam bonus Angelus ſpeciem mulieris aſſumſit cur?

Obſervant Sacrarum profanarúmque hiſtoriarum periti, nullibi neque in Divinis litteris, neque in canonicis authenticíſve hiſtoriis reperiri Angelum bonum in ſpecie Mulieris comparuiſſe, ſed puerorum, virorum, militum, leproſorum perſonam ſæpe numero induiſſe, eo quòd forma Muliebris, etiam in Angelo apta ſit ad nocendum, periculoſa ad intuendum. Velari Mulieres jubet Apoſtolus propter Angelos, quòd Angeli horreant, ac deteſtentur formas præſertim nudas feminarum. Sit quamvis mulier Angelicâ modeſtiâ, continentiâque inſignis, vitanda nihilominus eſt filiis DEi, nè Sethianis poſteris reddantur pares, de quibus Genes. 6. v. 2. legere eſt, & ex filiis lucis, in filios tenebrarum degenerent, ſi præſertim ſerotino tempore, aut in caligine, prolixa protrahant colloquia. Ex quo Mulier cum ſerpente locuta eſt, venenatum contraxit halitum, unde facilè veneno inficit, quos blando alloquio afficit. Mulierum halitum venenatum eſſe, inquit recentior quidam apud Lauredanum, quòd cum ſerpente olim locuta eſt mulier. Unde nil mirum intoxicatum fuiſſe Adamum amore primùm Evæ, tum vetiti eſu mali. Venenum â feminis primùm inventum eſſe teſtatur Diodorus Siculus, primum certè naturæ noſtræ venenum â prima inſtillatum eſt muliere, & inſtillatur etiamnum per eos anhelitus, & alloquia, quæ bonos corrumpunt mores.

1. Cor. 11. v. 10.

§. 5. Figura 3. Chriſtus redivivus.

Cavenda proinde non neceſſaria Mulierum alloquia, clancularia præſertim & ſolitaria, ſub cujusvis pietatis prætextu, quia ut expertus affirmat Auguſtinus: *multoties ſub prætextu pietatis, latet viſcus libidinis, experto crede, expertus loquor.* Cùm redivivus Dominus hoc ipſo de quo agimus manè, ſolus ſine arbitris cum Magdalena ageret, & hæc ad figendum ſacratiſſimis pedibus oſculum ſe ſe abjiceret, procul ab ſe diſcipulam ablegat, atque ut legatione fungatur, imperat: *noli me tangere*, ſed *vade ad fratres meos*, non ſinit glorioſos pedes ſuos JEſus contingi, cùm Mulier ſola ſine comitatu eſt, permittit in præſentia cæterarum, *ſiquidem illud de figura eſt, hoc de ſexu* inquit Chryſologus ſermone 67. Sexum videlicet feminarum repræſentavit Magdalena, qui cum ſolitario minimè agendum figuratè docuit Incarnata Sapientia.

§. 6. Mulier cùm Viro petere intendit ſalutem, petit nihilominus mortem.

Neſcio quid infelicitatis ſexui femineo adhæreat, ut damnationem virili ſexui petat, cùm ejusdem petere intendit ſalutem. An non filiorum ſuorum ſalutem Zebedæa Mulier intendit cùm ad pedes Chriſti procidua rogavit: juberet ſedere filiorum alterum ad dexteram, ad ſiniſtram alterum? Et dum ſiniſtram petit, quid niſi poſtulat dilectorum uni filiorum damnationem? Quare â Dæmone incitatam hanc Matrem cenſet Chryſoſtomus, ut

quod

quod per se efficere non poterat, per mulierem impetraret. Audiamus aureum Oratorem: *vidit diabolus quia per illos ipsos* Jacobum & Joannem *adversus eos agere non valebat, contulit se ad consveta arma, Mulierem. Adam per Evam spoliavit, ita etiam istos separaret per Matrem, nam etsi Mater erat, mulier erat.* Paucæ sunt Monicæ, quæ in lacrimis suos filios regenerent ad salutem, plures Saræ sunt, qui filios risûs & deliciarum generare amant in mortem.

Ipsiusmet JESU vitam & salutem cùm uxor Pilati postulat, mortem & damnationem totius generis humani postulat, cujus videlicet impedire nititur redemptionem. *Sedente illo pro tribunali misit ad eum uxor ejus dicens: quid tibi & justo illi* Matth. 27. v. 19. bono an malo incitata spiritu uxor Pilatum pro vita JEsu interpellârit, litigant interpretes; sunt qui malo missionem hanc imputant, inter quos Moguntinorum Archiepiscopus Rabanus Maurus: *Diabolus intelligens per Christum se spolia amissurum, sicut primùm per Mulierem mortem intulerat, ita per mulierem vult Christum de manibus Judæorum liberare: nè per ejus mortem, mortis amitteret imperium.* Priùs Rabano Divus Ignatius Martyr epistolâ ad Polycarpum idem docuit: *cùm paranda esset crux, diabolus tumultuabatur, & pœnitentiam immittit proditori, & mulierculam turbans in somnis ut â crucifixione cessarent, inducere moliebatur, suam ipsius perniciem sentiebat.*

§. 7. Refutantur prædicta, inque encomium Mulierum traducuntur.

Nolo plura in feminei sexûs vituperium, quin imò ea omnia, quæ hactenus in contemptum dici videbantur, in solidum facilè converti posse præconium animadverto. Ædificavit Abraham speluncam duplicem in reverentiam Exuviarum Saræ, ponè quas se tumulari nimio duxit honori, séque indignum religiosissimus princeps censuit. Certè ab eo tempore, quo Sara tumulata est, nullâ amplius apparitione Abrahamum dignatus est DEUS, quasi in Saræ potissimùm gratiam tot antehac gratiis cumulatus fuisset. Lothi incœstum non excuso, sed filiarum ingenium miror, quòd nescientem libertatísque minùs compotem induxerint in errorem, neque igneum muliebribus genium esse inficior, ideoque cœlestia petunt, & sicut ignis elementis cæteris, ita animantibus omnibus, ob creationis suæ excellentiam præstant; at cur viri fomitem tam liberaliter alunt in pectore, ut vix visâ muliere flammam corripiant, ardeant, exurantur? num ardentis cerei aut lampadis culpa est, quòd culices ultrò involent, suásque exurant alulas? num solis probrum est, quòd mortales plurimi radiis illis percussi cadant in cineres? num detestabilis idcirco ignis, quòd Solymæam exusserit basilicam, aut moles prægrandes in auras ejiciat? non est culpa ignium, sed qui male ignibus usi. Ignem venit JESUS mittere, hoc quisquis ardet, facile compescit ignibus ignes. Sint cæteræ mulieres ignibus plenæ, at est earum una quæ non unum sed omnia in suo nomine producit *Maria*, quo feliciter ignes maligni sopiantur. MARIAM cogita MARIAM invoca, non recedat ab ore, non recedat â corde, & quàm parum femineæ te exurant flammæ, experiêre. Vocabulo eodem Mulierem & dæmonem nuncupari apud barbaros quid mirum? barbarè loquitur qui rem nominis utrique vult esse communem. Nunquam formam Mulieris bonus Angelus induit, neque dæmon formam columbæ. quemadmodum ergo dæmon in Spiritûs Sancti reverentiam, columbæ specime

em assumere non præsumit, ita & boni genii in devoti sexûs honorem reverentiámque eâdem abstinent formâ & figurâ. Venenatus Mulieris halitus quomodo sit non video, cùm de sola, serpenti dictum sit, muliere: *ipsa conteret caput tuum.* Serpentinum caput & venenum mulier, non vir elidit, neque venenum ingerit, sed exterit, exterminátque, nisi fortè venenatum illi culpâ suâ attrahant halitum, qui aranearum more etiam de rosa exugunt venenum. Magdalenam ad pedes Christi statim non admissam figura fuit, non culpa, neque cautela, sed gloria & æstimatio; quæ jam dignior erat, quàm ut ad solorum pedum osculum admitteretur. Non horruit Christus â dilecta sua attrectari, cujus ipse frontem sacris digitis attigit, & quæ hodieque in ejusdem cranio Massiliæ conspiciuntur, vestigia seu fossas digitorum in pignus amoris immortale impressit. Zebedæa Mater nihil sinistrum postulavit, dum sedere filiorum alterum ad sinistram voluit, sedere enim Electorum est, stare autem â sinistris reproborum. Pilati uxorem non â malo sed optimo genio incitatam, ut Christi innocentiam palàm profiteretur, communiter Patres affirmant cum Augustino, Chrysostomo, Hieronymo, Ambrosio, Hilario, convincúntque rationes complures, quas apud Sylveiram videre est. Ingens profectò devoti sexûs præconium, quòd hic plus pro Christo passus sit in somno, quàm Apostoli omnes, discipuli omnes, viri omnes, in vigiliis suis: *Multa enim passa sum per visum hodie propter eum.* Matth. 27. v. 59. non est immissum Pilato Somnium, sed uxori; quia hæc dignior & fidelior. Suppressisset Pilatus Somnium, at hæc toto palàm Clero populóque somnium evulgat, & JESU innocentiam per submissos internuntios contestatur: Totius Ecclesiæ personam Procula egit, ùt docet D. Hilarius, *& incredulum populum ad fidem advocavit, quia ipsa multùm sit passa pro eo.* Vix per visum gustavit, sensítque aliquid de Domini passione Mulier, & sic animo roborata est, ut non modò pro Domino staret, sed Maritum & populum Universum ad Christi fidem adducere niteretur.

Sylvester Prieta apud Sur. & Sylveir. l. 9. c. 3. q. 14. in Evang.

S. Hilar. Canon. 31.

§. 8. Encomia Sexûs feminei.

Si Dalila una fefellit Samsonem, si Bethsabea excordavit Davidem, si Mulieres alienigenæ infatuârunt Salomonem, si Eva depravavit Adamum, considerandæ vicissim sunt feminæ quæ Regno integro attulêre salutem. Nihil de Debora dicam, quæ erudivit populum Israël, nihil de Esthere, quæ Amarem, Juditha quæ Holofernem, Jahel, quæ Sisaram sustulerunt, sublatísque nefariis capitibus toti Hebræorum populo attulêre salutem; Solas Christiani nominis heroinas recogito, per quas facta salus est in regnis Christo felicissimè subactis. Convertit Matildis Germaniam, Ludmilla Bohemiam, Cunegundis Bavariam, Clotildis Galliam, Engelburga Angliam, Margarita Ungariam, Elisabetha Lusitaniam, Vidilina Scotiam, ut brevitatis amore cæteras involvam silentio. Acutè de D. Ursula dixit Crombachius, plus illam oratione unâ ad socias habita profecisse, cùm easdem ad Martyrium subeundum animaret, quàm D. Petrus oratione geminâ, in quarum altera tria, in altera verò quinque millia convertit, Ursula verò undecies millena capita sub virginitatis Laureola servavit atque ad Martyrii palmam animavit. Plures una Samaritana adduxit ad Christum, quàm ante Spiritûs Sancti illapsum Apostoli universi. Andreas enim Petrum, Philippus Nathanaëlem,

Andreas & Philippus gentiles aliquot ad Christum adduxit, Samaritana verò Samariam totam. *Peccatrix advenerat*, inquit de ea Ambrosius in 3. Eccli, *revertitur prædicatrix*. De Phœbe Doctor gentium fatetur: *Commendo vobis Phœben sororem nostram, quæ est in Ministerio Ecclesiæ, ipsa quoque adstitit multis & mihi*, Rom. 16. Ecce doctoris gentium doctrix femina. Aliam idem commendat & plurima donari cupit salute, Mariam nomine, quæ multùm laboravit in vobis. Nimirum sicut Abrahamo dictum est: *omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus*, quia plus hac in re, inquit interpres Hieronymus, sapit femina quam vir, ita hodiéque per molliorem hunc sexum viri ad virtutem erudiuntur, pérque fidelem Mulierem viri infideles sanctificantur. Quod de Magdalena dixit Ambrosius lib. 10. cap. 14. in Lucam *per os mulieris vita reparatur*, id de plurimis repeti ex vero debet: per os Mulieris vita reparatur, pietas instauratur, virtus accenditur, salus obtinetur.

De ornatu sacro tabernaculi & sacerdotum scripsit Moyses: *quidquid ad cultum & ad vestes Sanctas necessarium erat, viri cum mulieribus præbuerunt*. Pagninus legit: *viri post Mulieres venerunt*: Oleaster verò: *feminæ priùs venerunt, deinde viri*, quoniam promptiores semper sunt feminæ ad opera pietatis & religionem, quàm viri.

In persona Christi dixit patiens Job: *derelicta sunt tantummodo labia circa dentes meos* c. 19, v. 20. quæ verba aptissimè exponit mellifluus Abbas c. 2. de pass. *per labia quæ sunt cæteris membris molliora, muliebris sexus mollis & infirmus designatur, quia solus Christo adhæsit*, atque idcirco promeruit, ut primo mane tanquam primæ admissionis familiaribus redivivus Salvator resurrectionis suæ gloriam manifestaret. *Sufficit dicere*, ait D. Hieronymus in c. 1. Sophoniæ *primùm apparuisse mulieribus, & Apostolorum illas fuisse Apostolas*. Quod Hieronymo hoc & mihi sufficiat dixisse.

Pro Coronide orientem Solem pingo, qui primos radios spargit in montium cacumina, & turrium apices cum Epigraphe: *his primis lux prima videtur*. vident primam Solis surgentis lucem montes & turres. Primam JEsu Resurgentis gloriam vident mulieres, cur? quia eminentissimi virtutum montes sunt. Proverbio dicitur. *Aurora Musis amica*, Musæ fuêre (nisi Gratias malis dicere) Maria Magdalene, Maria Jacobi, & Salome, idcirco amicam habent Auroram, ejúsque primos excipiunt favores. Israëliticum manna primo manè colligendum fuit: *Manna manè venit*. ut divinæ consolationis Manna piæ mulieres colligant, manè veniunt, oportet enim solem prævenire ad benedictionem: *qui manè vigilant ad me, invenient me*. Areolæ diversorum florum ad solis ortum sinus suos pandentium eleganti donantur epigraphe: *Soli panduntur amori*. panderunt desideriorum suorum sinus exorienti animorum amorúmque Soli beatæ mulieres, quid mirum luce gratiæ & consolationis easdem irradiatas fuisse. Denique gregi avicularum in arbore considentium, & canoris voculis exorientem solem salutantium lemma adjicio: *manè canunt capiúntque Salutem*. Salutem plurimam resurgenti Soli suo primæ dixerunt mulieres, ideo & salutem primæ receperunt, audierúntque: *avete*. Vigilemus & nos de luce, & cum Regio Psalte manè adstemus & videamus §. 9. Emblema.

mus

mus gloriam Diviniſſimi Solis noſtri, cui Soli honor & gloria, nobis verò manè veniat, & ſine occaſu maneat benedictio in ſæcula.



PROBLEMA XLIX.

Cur ſerò Apoſtolis CHRISTUS apparuerit?

DOMINICA IN ALBIS.

Cùm ergo ſerò eſſet, die illo venit JEſus.

Joan. *20. v. 19.*

§. 1. Decem cauſæ cur Decadi Apoſtolorũ ſerò Chriſtus apparuerit.



Cur congregatæ diſcipulorum decadi Divinus Magiſter ſerò apparuerit, decem proferri cauſas poſſe video, quarum ultimam pro decumana excepturus ſum. Serò venit ad plectendam Apoſtolorum vecordiam, ita Chryſoſtomus. Serò venit, quia paratos & divinâ præſentiâ dignos Apoſtolos citiùs non invenit, vel ut virtutem eorum tentaret, & deſideria exacueret, ità Gregorius. Serò venit, ut non orientem ſolùm, ſed & occidentem ſolem adorandum eſſe doceret, ità Ambroſius. Serò venit, ut ſe lucem in tenebris oſtenderet, & cœleſtes vulnerum ſuorum carbunculos ex obſcuro illuſtriùs emicantes exhiberet, ità Chryſologus. Serò venit, ut ſe in vitæ veſpera, quando ſenſuum januæ claudentur, & plena timorum erunt omnia, in judicium venturum inſinuaret, ità Gregorius Nyſſenus. Serò venit, ut qui ſe Columnam nubis in die duobus Emaùntinis exhibuerat & ex nube diviniſſimum manna depluerat (in fractione enim panis cognoverunt hanc nubem) columnam quoque igneam de nocte Apoſtolis ſuis demonſtraret, ità Nazianzenus. Serò venit, ut parabolam de vocatis horâ noviſſimâ in vineam renovaret, & noviſsimos primis, quibus apparuerat, inque vineam vulnerum ac cordis ſui evocarèt, pares eſſe oſtenderet, ità Euthymius. Serò venit, quia ſub ſeram vitæ veſperam quàm maximè neceſſaria, utilis, jucunda ejuſdem nobis erit præſentia, ità Bernardus. Serò venit, ut ſeriam hanc veritatem per Apoſtolos Eccleſiæ univerſæ traderet; non ſuccurrere DEUM, nec prodigia operari, niſi cùm ſerò eſt, & deſperata videntur omnia. Ità iterum Chryſoſtomus, celebri illâ ſuâ ſententia, quæ erit dictionis hodiernæ Cynoſura: *habet hanc conſvetudinem DEUS, ut ſuccurrat, quando res eſt ad ultimum redacta & in caſibus deſperatis.*

§. 2. Sic egit Chriſtus cum diſcipulis in Reſurrectione, ſicut Canæ

Videtur Salvator noſter ad eundem prorſus modum die glorioſæ ſuæ anaſtaſis egiſſe cum diſcipulis, quo ante triennium in nuptiis Canæ Galilææ egerat cum Matre. Vinum iſta nuptialibus pro convivis à

cum Matre. Joan. 2. v. 3.4.

Filio petierat: *Vinum non habent*, at Filius: *nondum venit hora mea.* Quænam illa Christi hora est, quâ vinum miraculo procuretur? Chrysostomum respondentem audiamus hom. 20. in Joann. Nondum venit hora mea, id est, nondum defecit vinum, sine eos primùm hoc sentire, qui enim necessitatem non præsentit, neque beneficii grandem suscipit sensum. Defecerat vinum consolationis in Apostolis, salsa & amara lacrymarum aqua in potum erat haurienda, quid faciet Christus? num aquam mutabit in vinum? planctum in plausum? luctum in jubilum? Mutabit, nemo dubitet, mutabit, sed non citiùs, quàm sero vespere, horâ diei ultimâ, suprema videlicet urgente necessitate: *Cùm ergo serò esset, & portæ clausæ, venit JESUS.* Quid porrò in clausis portis mysterii? Irenæus explicabit, & quidem in ipsissimis hydriis Cananæis. Dixerat supplici Genitrici Filius: *nondum venit hora mea*; quorum vim verborum mox assecuta Virgo prudentissima jubet ocyus voluntatem Christi perfici, vacuas impleri aquâ hydrias, manus non in sinum recondi, sed operi admoveri, hauriri priùs aquam quàm vinum, quia videlicet cooperatio nostra exigitur, nec nisi urgente necessitate miracula patrantur. Audiatur D. Irenæus lib. 3. contra hæres. c. 18. Nondum venit hora mea, quâ videlicet miraculum operer; quænam igitur illa gratiarum hora? cùm hydriæ erant aquâ plenæ, non quamdiu vacuæ. Constituit enim Pater æternus tunc succurrere etiam miraculosè, quando nostram nos contulerimus cooperationem. Ut aqua tribulationis mutaretur in vinum exultationis, non stetêre Apostoli in foro otiosi, non hæsêre in ganeis flagitiosi, non discurrerunt per compita curiosi, sed in cœnaculo clausi præstolabantur Magistri sui præsentiam, & seclusis aliis omnibus distractionibus suam Divinæ gratiæ impendebant cooperationem, digni proinde ejusdem desideratissimi hospitis frui præsentiâ, quæ est super mel & omnia. *Habet hanc consvetudinem DEUS, ut succurrat, quando res est ad ultimum redacta, & in casibus desperatis.*

§. 3. David experientiâ doctus in gravissimis necessitatibus firmissimè sperat. Similiter Agar.

1. Reg. 23. cinctus erat undique David à Saulis exercitu & tantam redactus in angustiam, ut dicat sacer textus: *desperabat se posse evadere*: at ecce in casu desperato mirus succursus Numinis? veredarius enim in castris adest regiis, & Sauli nuntiat: *festina & veni, quoniam infuderunt se Philistiim super terram.* Ex quo tempore tantam in DEUM fiduciam concepit David, ut dixerit Ps. 26. v. 3. *si consistant adversùm me castra, non timebit cor meum, si exurgat adversùm me prælium, in hoc ego sperabo.* quasi dicat, in hoc ipso supremo periculo sperabo, quia ibi mihi præstò erit DEi auxilium, ubi summum aderit periculum, ait Fernandez. S. Cyprianus verò: *in ipso magis bello spes nostra consistit*, quia hoc est proprium Divinitatis succurrere in casibus desperatis. Viro mulierem adjungo Agarem, de qua Gen. 21. v. 16. legere est, extingvendus siti erat parvulus Ismaël, quem Mater ad jactum sagittæ abjiciens, levavit vocem & flevit: *non videbo morientem puerum.* & mox subjungitur: *exaudivit autem DEUS vocem pueri.* Videte hîc humanorum inconstantiam affectuum, & servilium genium ingeniorum. Agar Mater erat, & Ancilla erat. Si Ancilla cur ultimum Domini sui filio exhibere famulatum recusat? si Mater, cur unicum uteri sui non excipit sinu, non stringit amplexu, non fovet halitu, non recreat obtutu? quis ergo fatalem morienti parvulo ab-

absterget sudorem, quis siccabit lacrymas, quis supremum excipiet halitum, quis mortuo claudet lumina? Nimirum Agar ex ancilla Mater erat, ideóque nec Mater nec Ancilla, & genium Mundi ad vivum repræsentabat, qui nec usque ad arborem, an aram mortis solet esse amicus; ubi maximè assistendum, deserit, & nè verbulo quidem solatium aspergere curat. Quod verò ad propositum meum præcipuè facit, est, quòd dicat scriptura: *exaudivit Dominus vocem pueri*, & tamen puer non legitur clamâsse & flevisse, sed agonizâsse. Mater levavit vocem & flevit, non Ismaël. Nimirum præ Matre clamabat extrema parvuli miseria; ità erat desertus, ut dici potuerit: *desperatum est*: Sic ergo derelicto succurrit DEus, dicam ego locò tui, mi Parvule, quod postea scripsit David Ps. 26. v. 16. quoniam Pater meus, & Mater mea, Abraham & Agar, dereliquerunt me, Dominus autem assumpsit me. *Habet hanc consvetudinem DEUS*, quando res est ad ultimum redacta, succurrit.

§. 4. Moyses theoricè practicéque doctus est DEum non nisi in rebus desperatis succurrere.

Exodi c. & v. 4. projicit Moyses Virgam suam in terram, & ecce vertitur in serpentem, territus Moyses fugam circumspicit, sed DEUS jubet stare & impavidum esse, imò & apprehendere: *extende manum tuam & apprehende caudam ejus*. Cur non caput, aut medium, sed caudam? Baëza. l. 2. de David. §. 9. ait per caudam intelligi in scriptura tentationes fortiores & periculosiores, unde Ap. 12. dicitur: *cauda ejus trahebat partem tertiam stellarum*. Hoc itaque ænigma fuit divinæ Providentiæ, quòd opem allatura non esset in principio seu capite, non in medio, sed in fine, quia *habet hanc consvetudinem DEUS, ut succurrat, quando res est ad ultimum redacta, & in casibus desperatis*.

Quod ipsum expertus est Moyses, cùm instaret à tergo Pharao, oberraret ante oculos desertum (erat hoc hærere plusquam inter sacrum & saxum) jámque desperata viderentur omnia, eò quòd dies appropinquaret, cùm hactenus nox turbaverit conceptus Pharaonis: *Jam advenerat vigilia matutina, quando ecce respiciens Dominus supra castra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis interfecit exercitum eorum*. Exodi 14. c. & v. observo in singulis partibus mysterium: *jam advenerat vigilia matutina*. Nox in quatuor vigilias dividebatur, vigilia in tres horas, ut habet S. Augustinus in Serm. Sabbati ante Dominicam in Albis. Vigilia proinde matutina erat diluculum diei: *ecce respiciens* præcessit quodammodo Dominus satis securum sciens populum, dummodo sequeretur, respexit autem *per columnam*, ut exploraret populi constantiam, utrùm columnæ sint ignis in amore, nubis in obediendi facilitate. *interfecit exercitum*, omnem simul hostilium copiarum numerum, ùt vidit, terrefecit, perdidit, triumphavit. Cur primò succurrit, dum Sol illuxit & dies populo Israëlitico supremus non tam oriri, quàm ad interitum occidere videbatur? quia in mundi oculo, suam DEus inconnivem objicere voluit potentiam & providentiam, quæ tunc adesse gaudet, *quando res est ad ultimum redacta*. Apprehende nunc itaque virgam tuam, tempus est ô Moyses, sed ubi? in fine; quia *habet hanc consvetudinem DEUS, ut succurrat in casibus desperatis*. expertus eandem supremi Numinis providentiam Moyses est, quando cum fratre Aarone propter populi rebellis tumultum fugere coactus asylum aliud non habuit, quàm Divinum tabernaculum, huc se recepit: *& apparuit gloria Domini*. Num. 16. v.

16. v. 44. Cur non apparuit extra tabernaculum, imò in hoc ipso tabernaculo nunquam aliàs, nisi jam? respondet Origenes, nunquam majus vitæ periculum Moysi incubuisse: *ut discamus, quòd imminentibus periculis sit ipse propugnator servis suis.* Origenes hom. 9. in Num.

§. 5. Idem expertus est Daniel.

Exeamus è deserto, ubi cubile ferarum & Augustale leonum est, transeamúsque ad locum desertissimum & quidem in angustiis septem leonum. Danielem in lacu Babylone spectemus. jam sexto die hæret innocens ab ungvibus quidem famentium bestiarum immunis, ab interna tamen famis domesticæ furia non eximius. Erat ibi diebus sex, quando clamabat Habacuc: *Daniel serve DEI, tolle prandium, quod misit tibi Dominus.* Daniel. 14. v. 30. vidn'? sextiduo torquetur inediâ. Cur tam diu maceras innocentem DEus misericordissime? Adverto, causam, nempe sequeris consvetudinem tuam antiquam, ut succurras quando res est ad ultimum redacta, & in casibus desperatis. Hippocratis doctrina est, hominem sanum & bene dispositum posse ad septem dies absque cibo producere vitam, vix ultra. Ultra verò dies septem, si abundet viscoso phlegmate, & calore nativo deficiat (unde & septimo die vocavit Moysem Dominus de medio caliginis. Exod. 24. v. 1. quia nisi septimo illum die Dominus vocâsset, natura hominis in semetipsa residens in brevi penitus aruisset, ait Rupertus Abbas) expectat enim Deus donec res ad ultimum redigatur. Et vide sis, quomodo illi afferatur cibus: *Apprehendit Habacuc Angelus Domini in vertice ejus, & portavit eum capillo capitis sui.* v. 35. quomodo per milliaria trecenta è Judæa in Babylonem solo portavit capillo, quo nihil debilius? laceretur capillus, ubi jacebit cum sua ossula miser Habacuc? gratis erunt omnia. Advertit mysterium Baëza inquiens: docere vult DEus, etsi res nostræ ita sint desperatæ, ut à capillo pendeant, debemus nos tamen DEO committere & illud Habacuc. 2. v. 3. altè cordi imprimere. *Si moram fecerit expecta eum, quia veniet, & non tardabit.*

Omitto Abrahamum ab immolando Isaaco non citiùs liberatum, quàm cùm res ad extremum redacta. Omitto Susannam, quæ auxilium priùs non invenit, quàm educeretur ad mortem; videbatur Deus oculos claudere, nè videret innocentiam, obturare aures, nè audiret gemitus, donec esset conclamatum, jàmque parati lapides. Omitto Juditham, quæ in supremo discrimine exiit, & extremo si non vitæ, certè pudicitiæ se periculo commisit. Quibus singulis solenne illud lemma apposueris: *Serò licet veniat, non mihi serò venit.* Compensat DEus beneficiorum magnitudine tantillas moras, eóque graviores muneribus manus affert, quò graviores ad succurrendum visus est habuisse pedes; sicut enim de DEO vindice canitur:

Ad scelerum pœnas venit ultrix ira Tonantis,
Hoc graviore manu, quò graviore pede.

Ità de DEO benefico repeti debet:

Donat opes, & præstat opem benefactor JESUS,
Hoc graviore manu, quò graviore pede.

Fin-

Emblema. Fingamus in emblemate Morum arborem, quæ serò fructus profert, sed: *compensat dulcedo moras.* Vel imbri serotino adscribamus: *gratior est cùm serus adest.* Vel ex Augusti Symbolo Delphinum testudini insistentem accipiamus: *festinat lentè.* Ad alteram dictionis partem festino, & DEum sinè necessitate miracula non facere ostendo.

§. 6. Cur Christus à Jairo fidem prærequirat. Jacob mittens filios in Ægyptum pro frumento, non habuit satis bene precari illis & divinæ committere providentiæ. Gen. 43. v. 14. *DEUS autem meus faciat eum vobis placabilem* (Proregem Ægypti:) sed & munera, pecuniámque duplicem ferre unà jussit, ut doceret, inquit Oleaster, faciendum, quod in vobis est, postea ad preces recurrendum. Archisynagogus Jairus filiam audierat in extremis esse positam eo ipso tempore, quo Christo supplex factus fuerat, ut moribundam sospitaret, cui Christus; *Noli timere, crede tantùm & salva erit.* Luc. 8. v. 50. cur non dicit absolutè: *Salva erit,* sed fidem insuper requirit? imò cur fidem illi miraculosè non infundit, sed vult, ut conatu proprio eliciat, quam potest, fiduciam? Respondet Abulensis, quia nolebat miraculosè statim operari: *hoc est generale, quòd, quidquid humanitùs per Christum fieri poterat, nunquam divinitus faciebat.* q. 113. in cap. 9. Matth.

§. 7. Angeli in scala absque ala erant quo mysterio? Gen. 28. v. 12. Vidit Jacob in Somnis scalam stantem super terram & cacumen ejus tangens Cœlum, Angelos quoque ascendentes & descendentes per scalam, quæritur, utrùm Angeli illi alas habuerint? Respondet Alcazar in c. 4. Apoc. v. 1. non habuisse; siquidem apposita fuit scala, cui DEUS adhærebat, ut Angeli ascenderent atque descenderent. Otiosæ fuissent alæ, siquidem alius fuit ascensus, scalarum videlicet ita firmatarum adminiculum, ut DEus ipse sustentârit, nimirum cùm mediis naturalibus fieri quid potest, miracula non expectentur. Necesse erat sustentari à Christo plura hominum millia, nè fame perirent, ad quod prodigium non fuit facilis & velox JEsus, sed ut bene à Marco notatum est, extorqueri quodammodo sibi passus est multiplicationem panis prodigiosam; primò propter copiam, erant enim solorum virorum, exceptis mulieribus & parvulis *quasi quatuor millia*; secundò propter loci distantiam, *quidam ex eis de longè venerunt*; tertiò propter patientiam *triduo sustinent me*; quartò propter præsens periculum: *Si dimisero, deficient in via*; quintò, & præcipuè quòd ipse Angelorum panis præsens adesset: *cùm multa turba esset cum JESU*, dedecus enim & ignominia Christo videri poterat, cibos deesse, ubi ipse aderat; Et quot opus & quantis ut Christo persvadeatur miraculum! *& nunc nisi periculum ex ciborum penuria fuisset, neutiquam fecisset miraculum,* inquit Theophylactus.

§. 8. Manna non nisi in extremo defectu datum. De pane miraculosè multiplicato cùm memini, *manna* occurrit, panum, ut sic dicam Imperator. Describens sacer historicus profusam DEi in populum Israëliticum beneficentiam in subministrato illo miraculoso pane, qui ab admiratione nomen habet: *Manhu?* addit diligenter temporis diuturnitatem, per quod è penu cœlesti dispensatus hic cibus fuit. Exodi. 16. v. 35. *Filii autem Israël comederunt Manna quadraginta annis, dum venirent in terram habitabilem.* Hoc cibo aliti sunt, usquequo tangerent fines terræ Chanaam. O quàm providè dedit DEUS, quàm prudenter descripsit Moyses cœlestem alimentationem, donec terram frugiferam contin-

ringerent, tunc enim deficiebat titulus Mensæ, & desiit ipsa Mensa. *Ostendit locus iste*, inquit Oleaster, *non esse quærendam à Domino provisionem, cùm nobis possumus providere, quemadmodum Judæis DEus non providit, postquam terram habitabilem sunt ingressi.* Notent hoc illusi, & illusæ, quotquot dies pœne totos in templo exigunt, & millies repetunt: *panem nostrum quotidianum da.* dabit omnino, sed *vestrum* panem dabit, quem vos labore manuum vestrarum procurare studebitis; dabit omnino, sed si præcedentem petitionem observaveritis: *fiat voluntas tua sicut in cœlo.* Voluntas DEi est, ut laboretis, sicut in cœlo otiosus nemo est, sed totus totaliter occupatus in eo, quod statui suo congruit, ità & vos labore impigro decet esse occupatos. Non expectemus miraculo, quod nostro consequi possumus studio.

§. 9. Cur non Corvus sicut columba ad arcàm Noë readmissus.

Exploratore egebat Noë, ut recognosceret, utrùm aquæ diluvii subsiderint, in quod munus aptissimum censuit esse corvum, quem non terrerent cadavera, non tardarent undæ, & quoties rediret bonam spem nuntiaret, si non hodie, cras cras certè fore tempus ex carcere prodeundi in apricum, vel ideo fortasse corvum misit, ut si periret non multum perderetur in corvo inutili. Vola ergo sive malo, sive bono omine corve, sed revertere: *qui egrediebatur, & non revertebatur.* Gen. 8. v. 7. in textu Hebræo est: *qui egressus est egrediendo & non redeundo.* quasi circa arcam obvolitâsset, & reditûs viam frustra inquisivisset. Post corvum albicans emittitur columbula, sed hæc paulòpost amicum repetit hospitium, & ab hospite faventer excipitur: *Noë extendit manum & apprehensam intulit in arcam.* ibid. v. 9. O Patriarcha sancte, an non ista est partialitas? cur minus benevolentiæ ostendis corvo quàm columbæ? putabam quòd *vexet censura columbas*, de te dicemus: columbis dat veniam, vexat corvos censura Noëmi. Corvum oppositâ velut manu repellis, num peccavit in arca, ut dimissionem meruerit? an non præter morem & naturam pacificus fuit? imò quia pacificus fuit, & bene se gessit, hanc expatiationem merebatur, invenit enim foris liberalissimum pastum, ò quàm illi bene est! à decem ampliùs mensibus mensam similem non habuit; maneat ergo corvus, vescatur cadaveribus, bene illi provisum foris, non indiget convictu in Arca; columba redeat, quæ nec habet, ubi requiescat pes, nec unde satietur ventriculus. *Hæc figura*, inquit Oleaster, *admonet eos, qui suo labore vivere possunt, non expectare alterius provisionem.* Dignum laude facinus & jure plenum, quòd corvum Noë non admiserit, quia suam alibi annonam quærere poterat; admiserit columbam, quæ si excluderetur, fame erat absque sua culpa interitura. Sic vituperium non merentur illi, qui eleemosynam robustis quibusdam mendicis negant, siquidem hi possent, si vellent, laboribus panem mercari. Sic DEus agit nobiscum, necessaria vitæ non subministrat, si ipsi nobis parare possimus, miracula tunc patrat, quando naturæ deficit facultas.

§. 10. Pro ovicula errante curritur, non pro filio prodigo.

Columbæ jungam oviculam parabolicam illam, de qua verus Noë, bonus pastor disseruit Luc. 15. v. 5. Balat in solitudine pœnitens: *erravi sicut ovis, quæ periit, quære servum tuum.* Ps. 118. v. ult. audit vocem sollicitus pastor, accurrit, am-

amplectitur utriusque ulnis: *& cùm invenerit eam, imponit in humeros suos gaudens.* Relinquamus oviculam in humeris, & ad caulam, ad nonaginta novem ovium gregem deportari gaudeamus, nos interim ad haram non gravemur expatiari, ubi nobilis cujusdam & prædivitis Domini filius subulcum agit, & suem potiùs (sit verbo venia:) agere optaret, ac de filiquis saturare ventrem inediâ tantùm non corrugatum; sed nec siliquis vesci licet. Jacet infelix juvenis non stomacho magis quàm conscientiâ pressus in terra, & considerat, quàm bene interim agatur in domo paterna, ubi lautissimè omnia. Quid? ego nobilis hæres, licèt exhæreditari dignus; ego filius, licet degener; ego ad dominandum natus, licèt jam servis deterior, si filius esse non possim, mercenarius ero: si porcos pascere debeo, pascam non aliùs, quàm Patris mei: si flagellari mereor, flagellari ultro sed à manu paterna supplex expetam: *Surgam, ibo.* Surgit, vadit, & idcirco citiùs est in oculis patris, Pater in occursu, & paulòpost in amplexu filii. Sciscitari hic libet, cur pastor ultro iverit pro ove, Pater non iverit pro filio? clamat pastor: ovis mea ubi es? non clamat Pater: fili ubi es? non expectet filius, ut pro ipso in regionem longinquam vadat Pater, si vult redire, redeat; faciat, quod vult. Econtra non dicit Pastor: expectet ovis, sed: citò ibo, periculum in mora est, nonaginta novem lubens deserum, ah cito! cito.

Quæ ista affectuum diversitas? an non qui Pastor, idem Pater est? Pater misericordiarum! ita est, verùm docet nos DEus, quòd sese accommodet rebus & temporibus. Ovicula semel erronea nescit repetere socium agmen, scit viam relegere filius; ovicula quò longiùs pergit, magis se involvit, nec nisi balatu miserabili se juvare novit, quo tamen irritat lupum; filius habet ingenium, etsi amiserit ingenuitatem, scit quomodo, ubi, quando recuperari gratia paterna possit; veniat ultro, fateatur errorem ingenuè, aperiat os, petat veniam, confiteatur petulantiam, & miserebor ejus, apprimámque cordi meo caput ejus. Habes hic DEI morem vivaciter expressum: opitulatur ille quidem necessitati, miseretur calamitati; at fovere socordiam nec vult, nec solet.

§. 11. Resuscitatæ Jairi filiæ Christus ipsemet panem non porrigit.

Adolescenti, qui mortuus erat & revixit, associemus adolescentulam filiam Jairi, cujus suprà meminimus. Ingressus conclave Dominus, in quo patrare constituerat miraculum: *tenuit manum ejus, & surrexit puella* Matth. 9. v. 25. Sed nèquis illusionem interpretaretur, *dixit dari illi manducare.* Marc. 5. v. 43. Quærit Abulensis, cur pro comitate & clementia sua Dominus, qui vitam dedit, etiam cibum non porrexerit? cur qui manum tenuit, delicatum bolum in os non ingesserit? cur, majus, qui tribuit, minus non conferat? Responsum in promptu est. q. 109. *CHRISTUS facere volebat ea, quæ nemo alius poterat, quæ autem per alios fieri poterant, facere nolebat.* Scivit hunc DEI genium David, qui ut fugeret furorem Saulis, ad Achis Regem confugit, ut verò in asylo ab aulicis non pateretur, *immutavit os suum coram eis, & collabebatur inter manus eorum, & impingebat in ostia portæ, defluebántque salivæ ejus in barbam.* 1. Reg. 21. v. 31. non rogavit David Dominum, ut hostes excæcaret, ut ab Angelo transportaretur, vel

§. 12. David miraculùm non petit, cùm humana sufficit industria. Ita & tres Reges.

vel alio modo liberaretur; eò quòd non dederit ei DEUS confidentiam ad ista inquit Abulensis q. 19. non speravit David miraculum, cùm suâ evadere posset industriâ.

Ibat trias regia cum fortunata stella ad salutandum Regem Regum, jamque Solymæ portis proxima erat, cùm ecce stella disparuit, & optimo maximóque solatio peregrinos destituit. Quid facient Reges sinè stella, hoc est sinè duce, sinè luce, sinè præsidio? quia Magi seu prudentes sunt, consilium captant ex arena, succedunt in urbem, invisunt regiam, percunctantur: *ubi est, qui natus est Rex Judæorum?* & nè videatur levicula esse quæstio, ac suspecta, adjungunt: *vidimus stellam ejus.* Matth. 2. Quærunt interpretes: utrùm stella subtracta illis fuerit in pœnam, quòd terrenum consilium auxiliúmque postulaturi Solymam intraverint? an verò in insigne documentum, quòd Deus non regat homines per se, quando regere potest per alios homines, id quod verisimilius esse censeo; siquidem non motu proprio, sed ductrice stellâ urbem adierunt; adeóque nulla ex parte ipsorum culpa intercedere potuit. Abstulit DEus prævium ducem, ut cogerentur ire ad clarissimos legisperitos, quos ad manum habebant. Nimirum miracula sinè necessitate DEUS non facit.

§. 13. Ad patrandum sinè necessitate miraculum sollicitat Christum Dæmon.

Ubi humana desunt, divina succurrunt, inquit Petrus Chrysologus Serm. 156. Exploraturus tentator Christum, utrùm reverà esset filius DEi, hoc optimum resciendi medium arbitratus est, si induceret Christum ad petendum à DEO miraculum sinè necessitate; ideò panes obtulit, ideò præcipitium svasit, tentavit Christum, ut Christus tentaret Patrem, sed non successit sua fraus impostori, elisa est illo acroamate: *Scriptum est, non tentabis Dominum DEUM tuum.* Matth. 4. Miraculum sinè necessitate petere, tentare est.

§. 14. Nec Elisæus puerum resuscitat, nisi incumbat; nec protoparentes à DEO vestiuntur, nisi ipsi priùs se vestiant.

Elisæus rogatus à Vidua, ut filium revocaret in vitam, nè hospitæ suæ unicam denegaret gratiam, consensit quidem, sed quot ceremoniis adhibitis! quas inter non postrema fuit illa, quòd pumilioni incubuerit, dum frigida cadaveris membra incaluissent: *incurvavit se super puerum, & calefacta est caro pueri.* 4. Reg. 4. v. 34. cur calefacit carnem pueri? respondebit Abulensis, quia anima non potest operari aliquid sinè calore. Verùm non acquiesco. Vitam puero non erat daturus Propheta, sed DEUS, cur ergo præsumit dare calorem? an putat DEum resuscitare non posse, nisi Elisæus concurrat? absit hoc Elisæum de DEO, nos de Elisæo suspicari. Scivit Elisæus, quòd DEUS nos non ægrè in partem miraculorum admittat, neque dedignetur in eo adjuvari à nobis, quod possumus. Præstitit Vates, quod poterat, DEO, quod reliquum erat, commisit.

§. 15. Non vestit protoparentes DEus, nisi ipsi se priùs vestiant.

Pudendam nuditatem suam ferre non valentes protoparentes *consuerunt folia ficûs, & fecerunt sibi perizomata* Gen. 3. v. 7. quæ tamen DEUS permutavit in tunicas pelliceas, quibus eos induit. ibid. v. 21. Cur priùs illos non vestiit DEUS, quam semetipsos vestirent? respondet magnus Tostatus: *ut daretur locus humanæ prudentiæ & ingenio, ut homo faceret aliquid à se ipso, non venit DEUS statim.* q. 199. in c. 3. Gen. Vult itaque DEUS, ut homo faciat, quod potest, quod non potest homo, faciet etiam miraculosè

losè DEUS. Congregentur itaque Apostoli, expectent, reexpectent, clament,non cessent, sperent, suspirent,non desperent, quod possunt, agant,actum non agent, aderit,licèt serò,aderit tamen, & longè certiùs stabit in eorum medio, quàm ego steterim in hac cathedra, è qua priusquam excedam, dicam aliquid in excessu. *Ego dixi in excessu meo: projectus sum à facie oculorum tuorum.* Ps. 30. v. 23. in Hebræo: *ego enim in desperatione mea dixeram: projectus sum.* quid sequitur? *ideo exaudisti vocem orationis meæ dum clamarem ad te.* Cùm desperata erant omnia, omnísque ab homine impensa industria, exaudiet & succurret DEUS,veniet & stabit in medio tanquam Mediator, imò centrum votorum nostrorum JESUS, quo in centro conquiescamus.





PROBLEMA L.

Quod certissimum Reprobationis signum?

DOMINICA II. POST PASCHA.

Cognosco meas & cognoscunt me meæ. Joan. 10. v. 14.

§. 1. Sex hirci Symbolici, sive sex reprobationis signa.



Habet Bonus Pastor in ovili suo Oves, habet & hædos, eâ naturâ præditos utrosque, ut & hœdi in agnos, & hi in hædos facilè possint transformari. Nescit homo,ovis an hædus DEO sit, quia nescit utrùm amore an odio dignus. Ovem te putas,hircum te fortè Deus novit S. Augustinus l. de ovibus c. 10. qualem te inveniet supremus vitæ dies & hora,talem te exhibebit novissimus mundi dies & æternitas tota,agnum à boni Pastoris dextris, vel hircum à sinistris. Atque ut de solis agam reprobis, horum ectypon in emblemate propono,in quo hircum effigio pronum ad rixas & conifscandum: *suscitat iras,* talis Cain,Esau,Saul,Aman & reprobi omnes ad jurgia proni. Hircum alium ab occulta pingvedine suffocatum obycio: *obsunt, quæ prodesse putantur.* talis Epulo Evangelicus Luc. 16. Inde hircus rarò oculos, rariùs vocem extollens in altum,sed humi potiùs affigens: *documenta damus.* talis latro à sinistris,qui si vel unicum balâsset *Memento,* hædis ad-

adnumeratus non fuisset. Illinc hircus inter olera: *præclarum custodem olerum!* talis Judas & omnes rerum alienarum iniqui possessores. isthinc hircum effigio, cujus cornibus corvus insidet, & corvinum suum *cras cras* ingeminat: *nocuit differre paratis.* talis Pharao & quotquot pœnitentiam procrastinant juxta illud D. Isidori: indies pœnitentiam differre, signum manifestum reprobationis est. Denique hircum fingo, qui sepem facilè transilit, & obvia arrodit arbusta: *hæc prima voluptas.* tales Susannæi senes, omnésque reprobi, qui divinorum septa mandatorum per iocum transiliunt, & quibusque mortalibus libenter damnum inferunt. reprobationis signum mihi certum videtur, inquit Granatensis, facilitas lethaliter peccandi sine doloris sensu. Sunt hæc quidem signa si nón certa, certè probabilia, non tamen certissima. & quodnam certissimum omnium? novissimâ dictionis hodiernæ parte ex eruditissimo Hieronymo Lanuza proferam, attendite.

§. 2. David de sua prædestinatione solicitus.

Dura cogitatio, quæ ante annos bis mille sexcentos & supra somnum Davidi excussit, hanc quoque noctem insomnem mihi fecit; *vigilias anticipaverunt oculi mei, turbatus sum & non sum locutus* Ps. 76. v. 5. seu ùt habet Felix; *deliquium animi passus sum*: Siquis insomnii hujus causam vult, dicam: *cogitavi dies antiquos & annos æternos in mente habui. nunquid in æternum projiciet DEUS?* cogitavi, quid antiquus dierum ab æterno de me cogitaverit, & quid de me statuerit pro tota, quæ hoc breve tempus consequetur, immensa æternitate. amabítne an odio habebit, coronabit an flagellabit? vas ero in honorem, an vas in contumeliam? ovis an hircus? misericordiam mecum faciet, an justum judicium? ò Domine in quo libro sum, atro an albo? siquis solari Davidem volet, dicat ei: nè timeas ò Rex, extraordinariis à DEo favoribus ditatus es, illustris plurimis victoriis, spiritu prophetiæ ornatus, & novis indies ad miraculum ornaris gratiis. ergò prædestinatus es. mitis es in pauperes, profusus in eleemosynas, parcis inimicis, Zelas gloriam novæ domûs DEi, ergò prædestinatus. & visitát te DEUS continuò novis novísque crucibus, infirmitatibus, adversitatibus, ergò prædestinatus es. an non bene? ita quidem nos, sed aliter judicant viri DEi. ipsi favores & gratiæ nimiæ suspectæ mihi sunt. timuit Abraham post victoriam, ut DEi opus habuerit solatio Gen. 15. *Noli timere Abraham, ego sum merces tua magna nimis.* quid timuit? nè in hoc accepisset totam mercedem justitiæ â Domino, ait Lyranus. nimiis gratiarum excellentiis Angelorum primas donatus fuit, & prædestinatus non fuit. Balaam propheta fuit & prædestinatus non fuit; Saul inter prophetas, Saul victoriarum plenus, Saul multo tempore innocentissimus, & prædestinatus non fuit; imò ipsa gratiarum copia, timere nos faciat, nè jam receperimus mercedem. ignovit fratri suo Esau & reprobus fuit; gentiles plerumque eleemosynarii majores sunt, quàm populus DEi, nunquid ideo electi? recipiunt in hac vita centuplum, non vitam æternam. nec cruces temporaneæ securum me sempiternæ quietis faciunt. flagellatus fuit Pharao, & hic reprobus; nunquam sinè pœna Cain, & hic reprobus; non pati, sed bene pati beatum est, non bene vivere, sed in bono perseverare Sanctorum est; quis scit qualem me hora ultima inveniet? DEus scit utrùm finali me

lime gratiâ & coronâ immortalitatis dignabitur.

§. 3. Deus inter fratres dividit. Matth. 24. v. 40. Luc. 17. v. 34.

Omnem voluptatem amaricat, omnem consolationem aufert hæc solicitudo: Súmne ex electis? *consolatio abscondita est ab oculis meis, quia ipse dividet inter fratres* Os. 13. v. 14. non omnes qui in eadem religione & domo sunt, ad eandem mensam sunt, in eodem lecto sunt, in uno amplexu, & ut sic dicam, cor unum & anima una sunt, ad amores æternos, electi sunt. clara est Christi sententia: *erunt duo in lecto, agro, tecto uno, unus assumetur, & alter relinquetur.* inter fratres dividet. fratres erant David & Jonathas, cor unum; David assumtus est, hoc scio: ubi Jonathas? nescio. Si dæmon ille fuit, qui Samuelis umbram ab inferis retulit & dixit: *cras mecum eritis tu & filii tui*, quàm timeo, nè dulcis Jonathas sit in amaritudine sempiterna. Duo fratres Abel & Cain, Nathan & Absalon, assumuntur Abel, Nathan, relinquuntur Cain, Absalon. inter maritum & uxorem dividet, Estherem assumet, Assuerum relinquet, Saram assumet, septem maritos dæmoniis permittet. inter patrem & filium dividet, Samuelem patrem assumet, filium Abiam relinquet, filium Abrahamum assumet, Thare patrem relinquet. consolatio abscondita est, etsi assumtus sis, quia prædestinatio cùm sit mysterium liberrimum naturâque omni superius, omnium effectuum tam naturalium quàm supernaturalium principium, decet illud esse secretum, hæc sunt regalia Regis seculorum.

§. 4. Varia alia Reproborum indicia.

Sunt nihilominùs indicia quædam in ore & opere, quæ conjecturam aliquam faciunt, utrùm non sis unus ex præscitis ad pœnam. Petrum esse Christi discipulum agnovit ancilla & militum cohors ex voce. bis interrogatus infelix discipulus, utrùm reverà discipulus sit, respondit primùm: nescio quid dicis, respondit secundò: non sum. verùm tertiò requisitus: verè tu ex illis es; nam & loquela tua manifestum te facit, tunc cœpit jurare & anathematizare. quæritur quænam illa loquela fuerit, ex qua agnosci potuit pro JEsu discipulo? respondetur communiter, quòd Galilæi habuerint diversum accentum à Solymæis. verùm si hæc ratio subsistit, debuissent plerique Herodis aulici & milleni Judæorum esse suspecti, fuit enim Galilæa regio latissima, Christo tamen adeò inimica, ut pauculis exceptis plerosque omnes habuerit nomini suo infensos. ingeniosiùs observârunt alii, ideo Petrum ex loquela agnitum, quia stylus loquendi in schola Christi erat ex præcepto Domini Matth. 5. est est, non non. non licebat jurare, nè dicam anathematizare. Petrus itaque bis responderat more Apostolico simpliciter absque juramento, ex quo suspicati sunt milites reverà hunc esse è discipulorum numero, at verò quando jurare & imprecari non erubuit, omni se purgavit suspicione, quòd non sit Christi, non sit ex electis. Loquere juvenis ut te videam, & utrùm præscitus ad pœnam sis, intelligam. si tertium quoque verbum tuum est blasphemia, imprecatio, periurium; semper in ore diabolus, & abusiva vox Sacramentorum, vereor nè sis ex præscitis ad damnationem.

Ex voce quoque Judam liquet esse Christi hostem & reprobum. Asseveraverat Dominus tradendum se ab uno convivarum, ab intimo favorita, à cliente singularibus beneficiis ornato. Amen dico vobis, quia unus vestrûm me traditurus est. audiêre hæc undecim, & nullus omnium fuit, qui sibi non timeret, & sin-

ſingularem animo conciperet mœrorem : contriſtati valde cœperunt ſinguli dicere : nunquid ego ſum Domine. quid ad iſta Judas? tacet, diſſimulat, contemnit. nimìs mollia & amoroſa ſunt illa Chriſti verba, dum Judæ pectus nihil commovent. attolle mi Chriſte vocem fortiùs, comminare damnationis fulmen vehementius, quid valet loquetur Judas, non virtutis amore, ſed formidine pœnæ. Heus Judas, ecce loquitur voce ſeverâ Chriſtus: væ Homini illi, per quem filius Hominis tradetur, bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille. Heu, eheu! væ tibi Juda ad pœnam præſcitus es, fulminatus es, taces? non poteſt tacere ampliùs proditor, minas audiit, baculum vidit, vocem mox reddidit: nunquid ego ſum Rabbi? qui tacuit ad culpam, non tacuit ad pœnam. reliqui auditâ culpâ turbati ſunt, quia diligebant JEſum, & idcirco offenſam horrebant. at verò Judas nòn offenſam curat ſed pœnam, ſicut omnes reprobi ſolent, qui peccare metuunt, quia infernum horrent, peccaturi liberaliter, ſi carcer, ſi compedes, ſi equuleus, ſi infelix æternitas non foret.

Ex Judæ voce veniamus ad ejusdem manum ſeu operationem. extendit ille manum in paropſidem, & quidem eo ipſo tempore, quo Chriſtus ſuam. Hoc hoc eſt publicum reprobationis ſignum, hæc nota ſceleſti, extendere manum ad alienum diſcum, invadere jus alterius, immiſcere ſe negotiis alienis electorum non eſt. qui mittet mecum manum in peropſyde, hic me tradet. tradit Chriſtum, qui ad alienam pecuniam, conjugem, famam extendit non dico manum, ſed vel digitum. Diſce ex hoc diſco tanquam tripode diſcernere electum à reprobo. Huc ſpectat quòd reprobis proprium ſit hoc judicium, omnia mihi conveniunt, omnia licent. primò omnium lavit pedes Chriſtus, cui? Petro? non Petro, ſed proditori, ùt aſſerunt Chryſoſtomus, Euthymius, Origenes. non recuſavit impudens Judas obſequium, libenter admiſit famulatum tanquam ſibi debitum. Conſidera Petri Humilitatem & Judæ impudentiam, inquit Joannes Cluniac. Ser. 54. velle ſibi arrogare aliorum obſequia non tantùm fortunas & jura, eſt, ex electis eſſe nolle. accedit, quòd in reprobis actum agatur, quidquid obſequiorum illis impenditur: vides Chriſtum ad pedes Judæ, quàm humiliter, quàm reverenter, quàm amanter! ſed nihil profecit. flectit Chriſtus ad pedes nebulonis, & tacitè ad os loquitur, flexis genibus orat ſibi fieri hanc gratiam à Juda, ut pedes ſuos à via perditionis retrahat, ab inferni recto itinere, dum tempus eſt, reflectat. nihil proficit. Lavat Chriſtus pedes Judæ non tantùm aquâ ſed & lacrymis calentiſſimis, Te per has lacrymas ego obſecro, parce tibi miſerere animæ tuæ. Ut te à via retineam, curſum impediam, curſum ſufflaminem, ſtringo manibus meis pedes tuos. non moveberis? Jam tuos tergo pedes. & pectus illis meum applico, & charitatis igne eosdem calefaciam & inflammem, nè infernum verſùs moveri poſſint. & moventur adhuc? lavo manus meas in eadem aqua, in qua tuos lavi pedes, & pronuntio: innocens ego ſum in ſangvine injuſti hujus. tu Juda videris, perditio tua ex te tantummodo, quare noluiſti, quare animum ſeriò non applicuiſti. Hic eſt eritque damnandorum mos, ut ſaltent, rideant, & dicant, quod innocenter dixit P. Franciſcus Regis adhuc puerulus ponè matrem ſaltitans: mater ego ero unus ex damna-

natis. Verùm cùm maturo id retulisset Mater, cecidit in deliquium Franciscus & ostendit se non è reprobis, sed unum ex electis, qui non pueriliter sed seriò apprehendunt ipsas etiam umbras ruinæ.

§. 5. Certissimum reprobationis indicium, mala conscientia. ex. Lanuz. homil. 37. §. 21.

Lanuza Concionatorum ingeniosissimus nullum certius signum præscitorum esse probat, propriâ conscientiâ infernum portatilem secum fert reprobus, & malè torquetur priùs, quàm torqueatur. Hoc nimirum est, quod David Psal. 54. v. 16. imprecatur: *descendant in infernum viventes.* Vidit Joannes Ap. 1. v. 8. equum infirmum, pallidum, exhaustum, cujus insessor vocatur Mors, sequuntur hunc equitem famuli plurimi, fames, pestis, bellum, ipse infernus: *infernus sequebatur eum.* infelix domus, in quam ingratus iste hospes divertit, præterquam enim quòd secum rapat omnia, & jus hospitii servet nullum, præparat insuper hospitium pejori successori, scilicet, inferno. Eques iste peccatum est, nomen illi Mors, occidit enim non corpus modò sed immortalem animam juxtà effatum æternæ Veritatis: *anima in quacunque die peccaverit, ipsa morietur.* equus iste pallidus est concupiscentia, quæ generare & afferre dicitur peccatum. Væ cordi, in quo eques iste succedit! infallibiliter enim secum trahet infernum. Inferni pœna gravissima est vermis conscientiæ, qui cor damnati continuò mordet & remordet: cur infinitam bonum pro caduco perdere maluisti? ob rem nihili omnia jura cœli, omnia regna beatitatis cur prodegisti? cur demulcentem DEum neglexisti: non est illius culpa sed tua &c. hic est vermis *qui non moritur* Is. 66. v. 24. hic est infernus inferni, quem etiamnum in vivis sentit peccator, ut non rarò ad insaniam, ad desperationem, violentámque mortem adigatur.

Apoc. 20. v. 14. dicitur: *& infernus & mors missi sunt in stagnum ignis.* mira sententia! infernus præcipitatur in infernum. sic est. portatilis infernus in stabilem, inchoatus in completum.

Idem sensus Jobi est c. 16. *si sustinuero*, hoc est, si cogitationibus blasphemis locum dedero, *infernus domus mea est.* vel: nisi à scrupulis & torturis conscientiæ liberer, nihil absum ab inferno. Malam habere conscientiam, & gestare in anima infernum perinde est.

Contra prævaricatorem fit hæc conclusio Ezech. 16. v. 52. *ergo & tu porta confusionem tuam.* Septuaginta habent teste Hieronymo: *& tu sustine tormentum tuum*, quæ verba sic explanat tom. 1. S. Doctor: portat tormentum suum qui propriâ torquetur conscientiâ, & in isto seculo sustinet propriâ voluntate cruciatum.

Efficax Jobi est imprecatio, quæ cum allegata figura optimè convenit c. 18. v. 15. *Habitent in tabernaculis illius socii ejus, qui non est: aspergatur in tabernaculo ejus sulphur.* quis est iste, qui non est? & quales habet socios? S. Gregorius hoc nomen dæmoni aptat, qui donec DEo adhæsit, princeps beatissimus fuit, at verò posteaquam perfidus DEO extitit, omnia séque ipsum perdidit: *jam non est, ex eo quod à summo Esse decessit*: eodem nomine dæmonem compellavit Regina Esther, DEum precata: *nè tradas sceptrum his, qui non sunt.* verùm ego peccatum ipsum, quod dæmone pejus, (quia propter quod unumquodque tale & illud magis tale) rectissimè vocari, *Non est* existimem, cùm peccatum sit phrasi Scripturæ *Nihil.* sinè ipso factum est Nihil. Socii peccati

cati sunt ab Apostolo nominati Rom. 2. v. 9. *Tribulatio & angustia in omnem animum hominis operantis malum.* addit proinde Job: aspergatur in tabernaculo ejus sulphur. iste est suffitus pro similibus hospitibus excipiendis, ut reprobus sustineat foetorem inferni,& pœnas primas damnati.

Observavit orator aureus (qui sibi nè à muliere pateretur, abscidit labia,sed à B. Virgine Maria recepit aurea ùt scribit P. Laur. Chrysogonus in suo mundo Mariano) Hom. 17. in Genes. quòd quàm primum protoplastæ locum dedêre peccato, infernum senserint ipso in paradiso: *mox ut intravit peccatum & prævaricatio,erubescentia & tumultuatio eos invasit.* Mala conscientia eos pressit,quam justus DEus in unoquoque homine velut regno suo constituit, ut sic dicam *fiscalem*, aut *quadruplatorem.* Vocat Conscientiam citatus Chrysostomus judicem incorruptum, accusatricem perpetuam rei,à qua non potes non scire,quò pertineas. Audiamus eloquentiæ flumen: *Judex incorruptus (conscientiam dico) cùm adversus hominem exurgit, clarâ voce clamat & accusat, & ostendit & quasi ante oculos scribit peccatorum magnitudinem,eámque ob rem DEUS in principio cùm formaret Hominem, conscientiam illi indidit accusatricem perpetuam, quæ decipi & deceptionem ferre possit nunquam. & licèt quis admisso peccato omnes homines celet,ab illa tamen accusatrice non poterit delitescere. Nam hanc intrinsecus habentes, ubicunque sumus, circumferimus. ipsa nos circumvenit, obturbat, laniat,flagellat,nunquam quiescit. sed domi & in foro, & in templo, & in mensa, & dormientem & surgentem adoritur,rationem delictorum exigit, òbque oculos proponit & delictorum gravitatem,& subsecuturam pœnam,* & quia pejor est pœnâ timor ipse pœnæ, ausim dicere tam gravem infernum pati in hac vita præscitum,ut potiùs desideret esse in inferno damnatorum; quisquis ergo desiderat scire, utrum sit præscitus, conscientiam suam consulat, quæ vix erratura est: Te interroga de te,scribit nepoti suo Roberto Bernardus,quia tu te melius nôsti quàm alius. Attende cor tuum, discute intentionem,consule veritatem,tua tibi conscientia respondeat. *consilium cordis statue* inquit Ecclesiasticus c. 37. v. 17. uti ex græco Jansenius vertit. *non est enim tibi fidelior illo.*

Intellige nunc Davidicum oraculum Ps. 7. v. 15. ecce *concepit dolorem*,loquitur de illo qui non opere,sed corde peccavit, dum peccaturum se proposuit, aut simplici concupiscentiâ desideravit. tu putas quòd peccatori sit optimè, quando voluntati frœna laxaxit,voluptati cor addixit, fecítque quod voluit? imò tunc miserrimus est. Ericium devoravit, ericium concepit, quomodo pariet? *ibi foveam habuit ericius* Is. 34. v. 15. ubi foveam? in corde peccatoris, respondet moralis Doctor lib. 33. v. 32. non tantùm ericium, sed & tineam quam difficilè est excutere, & putredinem quam impossibile est sanare. de Ephraim & Juda peccantibus queru- S. Greg. l. 33. moral. latur DEus Oseæ 5. v. 7. cœpit abire post sordes. & ecce pœna! & ego quasi tinea Ephraim, & quasi putredo domui Juda. corrumpitur lignum, tineam expectes, putrescit medulla ossis, dolorem timeas, corrodit lignum tinea,os putredo, vermis animam.

Subtiliter discurrit S. Ambrosius in illud Davidicum Ps. 36. *dixit injustus ut delinquat in semetipso.* Ambrosius legit: *ut delinquat sibi.* lepidus loquendi modus! peccator dixit, quòd velit peccare in suum in com-


commodum, ignominiam, dolorem. quis peccator hoc dicit? avarus non, superbus non, luxuriosus non; corradit opes avarus, ut habitâ pecuniâ habeat omnia, libidinosus ut satisfaciat pruritui, imò dicit se facere id propter sanitatem, quomodo ergò dixit injustus, ut delinquat sibi? respondet S. Ambrosius tom. 1. in hunc locum: qui peccat, delinquit sibi, qui sibi quæ pretiosa sint eripit iniquitas velut plumbeo quodam talento ut sacra Scriptura testatur (sicut onus grave) conscientiam gravat. semper nobis error noster tanquam malus exactor occurrit, vel tanquam improbus fœnerator conveniens debitorem. monet te debiti, minatur carcerem, imò & mortem, ex qua ipsa monitione nihil certius, quàm esse te ex reprobis si præsertim ipsa Synthereſis vix aliud proficit, quàm ut desperes. Stigma suis Antichristus in fronte & manu, Christus in anima inurit, hanc inspice, & videbis cujus sis.

Quodsi dicas, te nihil sentire amplius, quidquid agas rectum videri, heu! vivus es sepultus, *sicut vulnerati dormientes in sepulcris, quorum non es memor amplius* Ps. 87. v. 6. & ipsi de manu tua abscissi sunt ùt legit S. Hieronymus. abscindi in Scriptura est desperatum esse: abscissi sum', periit spes nostra. Ezech. 37. v. 11. alii legunt: *ipsi manu tuâ sententiati sunt.*

Pro coronide in manum dare unicuique opto Anulum Caroli Quinti Imperatoris eo artificio elaboratum, ut singulas diei horas singularibus puncturis digito impressis designaret: *pungendo docet.* Conscientiæ hoc emblema est, quæ dum mentem pungit, abunde docet, *quota tam* ut vulgò dicimus *sonuerit horam*, secundam an novissimam? simúsne filii gratiæ an gehennæ? agnis an hircis adnumerandi? Scire ergò si cupias: electus sis an reprobus, conscientiam inspice, puncturas attende, parvum interroga digitum, & dicet tibi.







PROBLEMA LI.

Quodnam istud MODICUM, quo Dominus non videbitur?

DOMINICA III. POST PASCHA.

Modicum & non videbitis me. Joan. 16. v. 17.

§. 1. Opinio Bernardi & Augustini.



On miror discipulos *Modicum* non cepisse, ideóque difficultate Vocabuli attonitos cogitâsse: *quid est hoc, quod dicit: Modicum? nescimus quid loquitur*, nesciunt hodiéque Ecclesiæ Doctores & prædicatores, quid sit illud *Modicum*, quo Dominus non videtur. Glossa quidem ordinaria definit, triduum esse, quo clausus sepulchro non videbatur, sed hoc ipsum triduum amantibus (limbicolis præsertim) immodicum fuit. O *Modicum longum*! exclamat ingeniosè Bernardus, *pie Domine modicum dicis, quòd non vidimus te? Salvum sit verbum Domini: longum est, & multum valde nimis.* Resolvit verò problema in hæc verba: *Verumtamen utrumque verum, & modicum meritis, & non modicum votis.* Modicum est omne tempus, quo Visionem DEI meremur, immodicum verò tempus, etsi non nisi momentum foret, quo ejusdem excludimur Visione. Paulò aliter Augustinus *Modicum* exponit, & non triduum duntaxat passionis intelligit, sed totum illud quadraginta dierum spatium accipit, quod inter Ascensionem intercesit, imò & totum hoc tempus, quod ab Ascensione ad novissimum mundi diem, quo in gloria Majestatis suæ JESUS videbitur, intercurrit. Favet Augustini opinioni divinum oraculum, quo Martyribus sub altari clamantibus: *usquequo Domine non vindicas sangvinem nostrum?* responsum, & dictum est illis: *ut quiescerent adhuc tempus modicum, donec compleantur conservi eorum* Apoc. 6. v. 11. Augustini itaque inhærens effato, modicum esse pronuntio & tempus, & quidquid hoc tempore videtur, quo Dominus non videtur. Quidquid videndum in hac vita objicitur, revera modicum, imò nihil est, quia mera scena apparentiarum est. De his apparentiis hodie modicum.

S. Bernar. Serm. 74. in Cant.

§. 2. Cur in monte Thabor prohibuerit Dominus evulgari suam transfigurationem.

Mirabar sæpenumero, cur Salvator noster gloriosam suam in monte Thabor transfigurationem coram electa discipulorum triade factam prohibuerit ante resurrectionis diem evulgari, *prohibuit eis dicens: nemini dixeritis Visionem, donec Filius hominis à mortuis resurgat;* nec

Matth. 17. v. 9. Luc. 9. v. 29. nec causam congruentiorem hactenus reperi, ac eam quæ in hodierno insinuatur Evangelio: *modicum & non videbitis me*, quia scilicet modica & narratu pæne indigna est omnis illa gloria & felicitas, quæ ante resurrectionis diem contingit. Evanescunt momento singula, sicut ipsa quoque species illa altera de qua Evangelista (*facta est species vultûs ejus altera*) in Thaborea scena evanuit teste Matthæo: *Levantes autem oculos neminem viderunt*, vel ut habet Marcus: *& statim circumspicientes, neminem ampliùs viderunt*. ô visio modica, etsi excellentissima! ô voluptas momentanea etsi sanctissima! ô scena fugacium apparentiarum, etsi cœlitus instructa! modicum ergo est, quidquid in hoc mundo videtur, donec in gloria Patris sui DEUS-Homo videatur.

§. 3. Mundus est scena apparentiarum Juglaris conc. 2. in quadrag.

Celebris per Italiam concionator, ut meras in hoc mundo demonstret esse apparentias, à domo DEi incipit, in qua miraberis aras auro divites, at non nisi auri est superficies, si verò spectes, quod à tergo occulitur, cavos & deformes truncos videbis; marmora porphyretica te intueri putabis, at non nisi subtilioris crusta est calcis. candelabra argentea, intus inania, in tam formoso corpore animam non habent aliam, quàm ferrum & lignum. Smaragdi, rubini, sapphyri, topazii qui in sacro ornatu spectantur, non raró sunt vitra colorata viridia, rubra, cærulea, fulva; calicem dices aureum, qui non nisi è vili stanno est; peristromata quibus parietes superbiunt acu phrygiâ pictos flores aptè repræsentant, quia ùt flores evanescunt. Et quamdiu has templi divitias spectare licebit? dum festi præterierit solennitas; post quam denudantur parietes, spoliantur aræ, pretiosis vilia succedunt. Qualis templorum, talis est mulierum ornatus, prout illum regius Psaltes depingit, qui ubi dixisset: *Homo vanitati similis factus est, dies ejus sicut umbra prætereunt*, subjungit de filiis, & filiabus hominum, *quorum filii sicut novellæ plantationes; filiæ eorum compositæ, circumornatæ, ut similitudo templi.* Ps. 143. v. 5. 13. 14. novellis plantulis quas facilè pruina decoquit, æstus exurit, frigus constringit, & severior aura afficit, comparantur filii, filiæ verò ornamentis templorum, quæ modico durant tempore, quasi tesseram servarent suam: *modicum & non videbitis me.* Ex templo ad palatia, & aulas progredere, ubi semper forma exterior superabit interiorem; inquilini verò pavoni sunt similes, de quo Tertullianus apud Pierium l. 41. *multicolor, & discolor, & versicolor, nunquam ipse, semper alius, etsi semper ipse, quando alius.* vel è prosapia sunt illius Æschylis, quem Demosthenes *tragicam simiam* nuncupavit, *vitam* enim *suam*, inquit Basilius, *velut è proscenio ad ostentationem componunt*; sed hæ scenæ facilè clauduntur, & pro epilogo decantatur: *modicum & non videbitis me.* Nec aulici modò scenas histrionicas exercent, sed *omnium hominum vita*, ut divinè scripsit Gregorius in moral. *est quædam visio phantasmatis, quæ hic ostendit in imagine, quod non habet in veritate.* Hoc solùm de singulis, & à singulis verissimum est dicere: *modicum & non videbitis me.*

§. 4. Quomodo diabolus ostenderit Christo omnia regna mundi

Scimus ex Evangelio, quomodo dæmon in montem excelsum valde (cui *Quarentena* nomen est, duobus milliaribus Jerichunte dissitus, teste Alberto magno, & Bonaventurâ) assumserit Dominum, & ostenderit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum: quomodo o-

mnia regna? sunt in mundo septuaginta duo regna, unde & è sacerdotali veste totidem dependebant malogranata, spatium verò terrarum orbis ad quinque milliarium millia porrigitur, cùm optimus oculus nec ad medietatem pertingat, quomodo ergo omnia mundi regna ostendere Christo diabolus potuit? per species ùt vult S. Cyprianus, per illusionem, ùt solet, & quidem ostendit ei omnia regna orbis terræ, *in momento temporis* Luc. 4. v. 5. eleganter Ambrosius l. 4. in Lucam: *Bene in momento temporis sæcularia, & terrena monstrantur, in momento enim cuncta illa prætereunt, & sæpe bonor sæculi abiit, antequam venerat. Quid enim sæculi potest esse diuturnum, cùm ipsa diuturna non sint sæcula?* Estne ergo res videri, & amari digna, quæ durat momento, neque in veritate aliud est, quàm repræsentatio, & apparentia vanissima? Chrysostomus quoque in Ps. 2. *Tunc archidæmon in puncto temporis omnia regna mundi, & gloriam eorum coëgit, & cum omnibus visus est, ut cum omnibus evanesceret. & de omnibus contendebat, ut in omnibus caderet, & vinceretur, faciebat enim, quod nesciebat, & passus est, quod ignorabat.* Nec sufficit ei ostendere, promittit insuper: *Hæc omnia tibi dabo.* ut fallat deceptor, ait D. Maximus hom. 4. offert, quod non habet, & ut verè cæcus cœlorum Domino terrarum regna promittit. Chrysologus verò Serm. 15. perpendens, quod addit Lucas v. 6. *cui volo, do illa.* hæc dicit, non quod possit dare, sed fallere. ex quibus deducit Salvianus l. 3. ad Eccles. *Quis ergo furor est, viles à vobis animas vestras haberi, quas etiam diabolus putat esse pretiosas ac per hoc quicunque animas suas negligunt, etiam infra judicium diaboli se amant.*

Quod in hoc mundo oculos non modò Regum, & Principum, sed etiam rusticorum & mendicabulorum maximè oblectat, divitiæ sunt, quæ licèt immodicæ sint, revera tamen non nisi *Modicum* & nihil appellari merentur. *Divitias nihil esse duxi*, inquit Regum sapientissimus Sap. 7. v. 8. pendebantur ei annuè in tributum sexcenta sexaginta sex auri talenta, sive sexdecim milliones, centum octoginta quatuor millia aureorum. Et hoc nihil est? *nihil esse duxi.* Et cur nihil? quia nihil permanet sub sole. *ipsa pecunia rotunda signatur* ait August. in Ps. 83. *quia non stat.* omnibus divitiis lex scripta est Ps. 57. v. 8. *ad nihilum devenient.* Gratulabatur sibi apud Oseam. c. 12. v. 8. nescio quis: *Dives effectus sum, inveni idolum mibi*, & quid est idolum? Paulum audi 1. Cor. 8. quia idolum nihil est. *Est quasi dives cùm nihil habeat*, inquit proverbialiter Salomon. In quæ verba optimè Hugo; *est quasi dives non verè dives, habere se divitias putat, cùm nihil habeat.* Moyses missurus ad promissionis terram filios Israël petit à Rege Edom transitum, pollicitus, quòd nihil essent Israëlitæ delibaturi ex divitiis universis: *nam ista* ait Philo lib. de immortali. Dei. *quæ tibi chara sunt, omnino nihil sunt.* Notet hæc, qui concupiscentiâ oculorum captus est: ista quæ tibi chara sunt, nihil, nihil, nihil sunt.

§. 5. Modicum imò nihil videt, qui divitias videt.

Proverb. 13. v. 7.

David etsi *plenus divitiis, & gloriâ* 2. paralip. 29. & qui, ut videre est apud Vilalp. Tom. 2. pag. 506. tantas filio reliquit divitias, ut fidem pene superent videlicet ter mille ducentos milliones auri, duplo plus de argento, pauperem se tamen vocat & substantiam suam tanquam Nihilum; causam dat S. Basilius

in

in Pſ. 9. *Sæpiſſimè ſe David pauperem, & tenuem appellat, quamvis regiis circumflueret opibus, ac divitiis, utpote cui certè conſtaret, omnia ſua riſum, pulverem, nihil eſſe.* Didicit hoc à Patre filius proverb. 13. *eſt quaſi dives, cùm nihil habeat;* quod exponens Hugo Carenſis: *Eſt quaſi dives*, ſed non verè dives, quaſi tantùm divitias hujus mundi habet, cùm *nihil* habeat. Aman de immodicis opibus ſuis fatetur: cùm hæc omnia habeam, nihil me habere puto Eſth. 5. Nimirum omnia bona hujus mundi veniunt, abeunt; aſſiſtunt, evaneſcunt; teneri videntur, & non tenentur, inquit S. Ambroſius ep. 44. Similiter de Honoribus dicendum eſt, eſſe quid Modicum, imò Nihil. Auguſtum narrat Svetonius ſub vitæ ſupremam periodum exclamâſſe: Omnia fui, ſed nihil expedit. Omnia fui, ſed nihil ſum. Loquere Salomon; quid es? *fui Rex* Iſraël *in Jeruſalem.* Quid eſt *fui*: tempus præteritum ſignat, cujus in præſenti nihil eſt. De mortuo dicitur; *Vixit, Fuit.* Cùm exſpirat oratio & dicendum ſuper eſt nihil, dicitur: *Dixi.* At Salomon poſt hæc effata Rex adhuc permanſit, quid ergo dicit *Fui.* Hugo de S. Victore hom. 5. ex eo probat Salomonem perſpectâ mundi vanitate omnia habuiſſe pro nihilo. *Fui* jam non ſum: quia etſi ſum, id ipſum jam nihil eſſe agnoſco quòd ſum. O perſpicaces ſapientum oculos, qui dum omnia vident, nihil vident.

§. 6. Voluptas Nihil. Quid de voluptate dicam? *nihil eſt.* Experto credamus Salomoni, cui ſeptingentæ uxores quaſi Reginæ, trecentæ concubinæ erant, ſerò exclamanti: *Vanitas Vanitatum* Syrus habet *inanitas inanitatum!* alii degunt *nihilum nihil, & omnia nihil.* O ſi Salomoni liceret redire ad vitam, & ex hac cathedra agere Eccleſiaſten, quid diceret? quid inclamaret, utique illud S. Savii à morte ad vitam revocati apud Greg. Tur. 1. Hiſt. c. 1. *Audite filii Adæ, & intelligite, quia nihil eſt quod cernitis in mundo hoc, ſed omnia vanitas. Omnia ergò ùt vana contemnite, ut veram gloriam DEI mereamini adipiſci in cœlo.*

Væ illis qui lætantur in nihilo, Amos 6. per nihil peccatum intelligit Auguſtinus tract. 1. in cap. 1. Joan. *nihil fiunt homines cùm peccant.* Et B. Damianus ad Deſiderium Abbatem. *Tunc cùm videbantur eſſe impii, ad nihilum potiùs pertinebant, quàm ad verum eſſe, qui enim ab illo recedit, qui verè eſt, neceſſe eſt, ut non ſit, quia ad nihilum tendit.* Ethnici in errorum caligine acutùm viderunt teſte Senecâ ep. 88. Nauſiphaës dicebat, *ex his, quæ videntur eſſe, nihil magis eſſe, quàm non eſſe.* Parmenidis vox erat: *ex his quæ videntur, nihil eſſe univerſum.* Zeno Eleates: qui omnia negotia de negotio dejecit, ait nihil eſſe. Plus omnibus ſapuit Jobus cùm dixit: *Nihil ſunt dies mei.* Ad quæ verba ingenioſè alludens S. Auguſtinus tract. 19. in Joan: *Iſta vita*, inquit, *non eſt nominanda vita, quia non eſt vera vita: nam vera vita non eſt niſi quæ æterna.* Cùm itaque vita iſta non ſit vita, adeóque nihil, quid tanta ſtudio (verba D. Chryſoſtomi) quod nihil eſt quæris, quid labores pro nihilo ſuſtines? at ſplendidiſſima officia conſpicis, eorúmque te fallit aſpectus. in Cœlum protinus ſuſtolle oculos, animadverte formicarum iſta eſſe, & culicum opera. Heu! exclamat Lipſius, res mortalium vel maximorum parvæ, heu validiſſimorum inſtabiles, imò omnia

nia illa somnium, umbra, nihil. Repudietur ergò à nobis temporalium felicitas, quæ nihil stabile, neque firmum (Chrysost. in Gen. Serm. 22.) sed solùm est oculorum deceptio, & priusquam appareat, avolat. De omnibus ac singulis oculorum illecebris repeti potest illud Philonis: *priusquam prehendantur, possessore illuso, rursum avolant, atque etiam, cùm adsunt, maximè speculares quasdam repræsentant imagines, præstigias sensuum, ludibriaque instabilia.* Concludat Augustinus: *Detestandi eritis, si nihil ametis; amate, sed quid ametis, videte.* Surdi eritis, & plus nimio absurdi, nisi ex qualibet creatura resonare hanc vocem audiatis: *modicum & non videbitis me.*

Pro coronide inscribamus pyrobolo in aëre scintillanti: *Modicum & non videbitis me.* addamus eandem epigraphen fulguri ab oriente ad occasum pernicissimè transvolanti, quod oculos ferit dum illustrat: *Modicum & non videbitis me.* iridi in nube rorida colores suos explicanti subjungamus: *Modicum & non videbitis me.* Idem de Sole ad occasum vergente, idem de pavone Syrma suum ad conspectum pedum contrahente, idem de Navi remis velísque avolante, idem denique de me, de se, de omnibus nobis dicat unusquisque:

Modicum & non videbitis me.







PROBLEMA LII.

Cur Mundum arguet adveniens Spiritus Sanctus?

DOMINICA IV. POST PASCHA.

Arguet mundum. Joan. 16. v. 17.

§. I. Arguet Spiritus Mundum ut ex immundo faciat mundum.

PRidem merebatur mundus argui & increpari, nec increpari tantùm, sed suppliciis omnibus piari, atque confici, differtur tamen arguendi spatium & officium ad Spiritûs Sancti adventum: *cùm venerit ille, arguet mundum.* Cur Pater non arguit, cur Filius non increpat? *Sic DEUS dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret.* Si dilexit, cur non objurgavit, an non enim arguit quos amat? fortè Pater non arguit, quia neque judicat quenquam, teste Filio: *Pater non judicat quenquam.* Filius non arguit, qui argui maluit, quàm arguere, condemnari, quàm condemnare, supplicia ferre, quàm inferre. At nunquid in lege veteri Pater arguit Patriarchas Prophetásque, próque culpis minimis pœnas intulit maximas, ùt in Moyse diffidente, Davide populum numerante, Ezechia thesauros ostentante, aliísque sexcentis indubitatum est? nunquid Filius suos facillimè arguit Apostolos, nec ullum unquam nævulum incorreptum reliquit? nimirum Patriarchæ & justi ceteri veteris legis increpantur, quia electi erant, Apostoli arguuntur, quia de mundo non sunt, sed sunt mundi omnes; mundus verò non arguitur, quia immundus, & quàm indignus tam ineptus ad correptionem subeundam censetur; arguetur verò, cùm in lingvarum ignearũ multitudine aderit Spiritus Sanctus, ut plurimis increpet lingvis mundum (cui arguendo una non sufficit) quò mundum faciat de immundo. Ea ex causa memorabile illud deduco documentum, à DEO difficulter argui malos, argui verò facillimè & creberrimè bonos; sive: beneficum & liberalem esse DEUM in improbos, in probos vicissim severum & austerum; quæ erit Solutio hodierni problematis, & argumentum dictionis.

§. 2. DEus asper justis, lenis reprobis.

Stratagema hoc DEI est, ut cum charissimis agat, quasi cum alienis, cum alienis, quasi cum intimis, nè illi præsumant de benevolentia, hi non desperent de gratia. Joannis Chrysostomi hæc est Oratio homil. 5. de pœnit. *Peccatoris quidem miseretur, & ei blanditur, justum verò terret. Terribilis est super omnes, qui in circuitu ejus sunt. Ps. 88. v. 8. & quinam sunt hi nisi sancti? Si cadentem intuetur, clementiæ manum por-*

protendit; *sistantem, timore concutit* (exemplum habemus in Paulo cadente, Petro super fluctus stante) *& hoc est justitiæ justique judicii*; *nam hunc quidem timore confirmat*, *illum verò per clementiam excitat.* In montium recessu & vasta solitudine degebat sponsa, procul à paterna domo, procul à familia, procul à sponso, procul ab omni conversatione humana, cùm illius misertus sponsus revocat eam ad amplexus, ad tripudia, ad coronam: *Veni de libano Sponsa mea, veni de libano, veni, coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir & Hermon, de cubilibus leonum, de montibus Pardorum.* Cant. 4. v. 8. adumbrat hæc evocatio conversionem peccatricis animæ, quæ brutales affectus sequitur & cupiditates suas venatur in deserto hujus mundi, procul à DEo, procul à cœlo, procul ab Angelis, vagatur in Libano à nivium candore sic dicto per hypocrisin, cujus Symbolum nives sunt, in capite Amana per superbiam, in Sanir per invidiam, in Hermon, seu *destructione* per luxuriam, in cubilibus leonum per iracundiam, in montibus pardorum per gulam, sed veni à statu culpæ ad statum gratiæ, ex ferarum caula ad aulam Angelorum, ex ancillatu ad conditionem Reginæ. Venit illa, & in Sponsi tantisper commorata est regiâ, dum ad colendos hortos ablegaretur. *quæ habitas in hortis, amici auscultant te, fac me audire vocem tuam.* Cant. 8. v. 13. Ex Silvis traducta est ad aulam, ex aula ad hortum, ut hortulanam ageret, & in florido carcere leniret cantu labores suos, cujus cantûs dulcedine amici alliciebantur, ut aurem ad ostium adverterent. Expendit S. Anselmus istum DEI cum hominibus procedendi modum, in præfata sponsa, expressum. Solicitat peccatricem animam ad reditum, offert gratiam, promittit coronam. Certè feras ipsas allicere posset tam amœna solicitatio, tam dives promissio. Et verò, cùm ad mentem & gratiam rediit, laborioso occupata onere priores culpas eluere, & affectuum suorum constantiam periclitari jubetur. Tractat videlicet DEus alienos ùt Domesticos, hos verò tanquam alienos.

Figura 1. Sponsa in deserto.

§. 3. Figura 2. Arca Noe in qua meliùs accommodantur jumenta quàm homines.

Statutum erat immundi mundi maculas balneo eluere, in quo, nè spes omnis liquesceret, & periret, arcam fieri fecit, in quam se octoni homines, septena ex singulis animantibus reciperent. In ipsa verò dispositione arcæ homini assignavit locum incommodissimum, ita testante Gregorio M. hom. 38. *Inferiùs bestias, quadrupedia, atque reptilia, superiùs verò aves & homines habitâsse credendum est*; *ibi lata extitit, ubi bestias habuit, ibi angusta, ubi homines servavit.* Ecce DEus homines bestiis pejus habet, quis iste ordo? figuratur hîc curiæ cœlestis stylus, constringuntur enim amici, foventur inimici; peccatores recipit, & manducat cum illis; at verò sequaces suos famere, & spicas legere sinit; imò tam durè increpat, ut dicat: *nunquid & vos vultis abire?* Joan. 6. quæ omnia sunt stratagemata Divinæ pietatis.

§. 4. Noe Petrus Petronillam suam, nec Paulus Timotheum suum sanat. cur?

Similiter egerunt ex Divino instinctu Apostoli Petrus & Paulus. Petrus quidem umbrâ suâ sanare solitus quoscunque ægros Petronillam tamen filiam suam non sanavit, sed cùm ab alio sanata esset, rursum ægrescere fecit. Paulus Publium hominem barbarum à febribus & dysenteria sanavit. Actor. 28. Timotheum verò dilectum discipulum ad Galeni Scholam remisit: *Modico vino utere propter stomachum tuum, & frequentes infirmitates tuas.* 1. Tim. 5. Quid est Paule, inquit S. Gregorius, quòd ægrum

ægrum infidelem ad salutem revocas, & tamen more Medici Adjutorem Evangelii per alimenta curas? non curantur amici nè insolescant, curantur inimici, ut convertantur & vivant.

§. 5. Figura 3. Justo via ponitur, injustis viæ.

Psaltes regius de iis agens, quorum unicum est votum, & irremissum studium DEo placendi & obsequendi: *Beati*, inquit, *immaculati in via, qui ambulant in lege Domini.* Ps. 118. Paulò post mentionem improborum faciens. v. 3. *non enim, qui operantur iniquitatem in viis ejus ambulaverunt.* Mirus & extaticus loquendi modus, justi habent viam, injusti vias à DEO sibi positas. S. Hilarii observatio hæc est: *in primo versu singulariter via commemoratur, viæ in hoc tertio plures.* Sic agit cum suis DEus. Justo ponit viam unicam, arctam, molestissimam, in qua suspenso pede, perpetuóque cum metu incedendum est, nè corruat, & pereat. At verò peccatori devianti plures ostendit vias, per quas redire possit in viam salutis, aut si redire non placet, abire possit post concupiscentias suas. Omnia hæc sunt artificia amoris Divini, quibus id agit, ut observet justum, nè dilabatur, ac pereat, perditum reducat, ut convertatur & vivat. Certè si reprobi hoc solùm attenderent, quàm multa ipsis DEus indulgeat, non possent non ad paternam resipiscere indulgentiam. *O magnam in justo cautionem*, exclamat Chrysostomus hom. 5. de pœnit. *O magnam in peccatorem liberalitatem! Peccatorem si terruerit, efficiet, ut animum despondeat: justum si laudet, vim virtutis ejus debilitat. Propterea peccatoris miseretur & blanditur, justum verò terret*, hæc ex Chrysostomo.

§. 6. Figura 4. Lazarus & Epulo.

Ad fores splendidi palatii depingit Lucas c. 8. à v. 20. ulcerosum mendicabulum, cujus si non miserentur homines, accurrunt certè canes, & cùm verbo consolationis prodesse non possint, linguam in ulcera immittunt, & lambendo mederi conantur. Si licitum est secreta DEI omni cum reverentia indagare, quærere libet, cur ô Pater misericordiarum dejecisti afflictissimum homulum ad obstinati Epulonis vestibulum, quem scis canibus addictiorem, quàm hominibus, cor gerere non carneum, sed lapideum, sed ferreum, sed adamante durius? quid cum tanta crudelitate tantam componis miseriam, ut velut in æqua lance hinc hæreat divitis felicitas, inde pendeat Lazari calamitas? respondet serm. 121. Chrysologus: quia obturatis auribus unius oris nihil erat vox clamantis, ad aperiendum cor divitis, totum corpus pauperis vulneribus aperit, ut in admonendo divite tot essent pauperis ora, quot vulnera. Solvuntur viscera, ulcera producuntur, hiatus vulnerum dilatatur, fames effunditur, & tota pauperis caro componitur in scenam pietatis, ut quem vox esurientis non moverat, vel suspiria, vel dolores, gemitus, & tota ærumnarum congeries commoveret. Ideo projecit Lazarum Divina providentia ad fores Epulonis, ut expugnaret rebellis cordis contumaciam, moveret ad eleemosynam, per quam salvari posset dives & redimere peccata. Fleat Lazarus, ut ignes æternos evadat Epulo, ulcera producat pauper, ut tormenta inferni non incurrat dives. Nimirum severus in Lazaros DEus est, blandus in Epulones. tormenta sunt hæc misericordiæ, ut cruciet, quos amat, blandimenta verò justitiæ, ut foveat, quos odit.

§. 7. Figura 5. Petrus & Judas.

Mirabar sæpenumero cur Paterfamilias murmuronem illum refractarium, qui ob parem novissimis

mis in vinea operariis præstitam solutionem expostulare cum Patre familias præsumserat, amicum appellet: *amice non facio tibi injuriam.* Matth. 20. v. 13. ignavum itidem hospitem, qui in regis opprobrium nuptiali se veste induere dedignatus fuerat, Rex clementissimus amicum nominet: *amice, quomodò huc intrâsti, non habens vestem nuptialem?* Matth. 22. v. 12. sceleratissimum proditorem Judam benignissimus JEsus amicum vocet: *amice, ad quid venisti?* Matth. 26. v. 50. econtra verò discipuli Emmauntini stultitiæ probro afficiantur: *O stulti & tardi corde* Luc. 24. v. 25. Petrus appelletur Sathanas: *vade post me Sathana, Scandalum es mihi.* Matth. 16. v. 23. discipuli universi tanquam hebetes & ignavi increpentur: *adhuc & vos sinè intellectu estis.* Cur tanta verborum acrimoniâ accipiuntur electi, tantis foventur lenociniis reprobi? nimirum hic DEI nostri genius est, ut durum & asperum se exhibeat in eos, quos amat, lenem & affabilem illis quos ad æterna supplicia præscivit, nisi dicere malis cum doctissimo Sylveira, ideò murmuronem cæterósque vocari amicos, quia vera amicitia corripit, & arguit.

§. 8. Figura 6. Frater prodigi. Murmuroni mercenario filium murmurorem jungamo. Frater prodigi hic est, qui, ut longinquis è regionibus reducem dissipatâ hæreditate fratrem vidit, in murmur & seditionem erupit: *ecce, tot annis servio tibi.* ità ille protervus Patri suo, *& nunquam mandatum tuum præterivi, & nunquam dedisti mihi hædum, ut cum amicis meis epularer. Sed postquam filius tuus hic, qui devoravit substantiam suam cum meretricibus, venit, occidisti illi vitulum saginatum.* Luc. 15. v. 29. & 30. Videbatur non iniquam obmurmurandi causam habere primogenitus, quòd cùm ipse moriger & frugi fuisset semper, nullum tamen unquam specialis benevolentiæ à patre specimen acceperit, at verò degener filius, & decoctor paternæ substantiæ opiparè habeatur ad totius invidiam familiæ. At nescivit primogenitus genium Patris, qui minora amoris exhibet indicia, quos tenerius diligit, & divitiarum suarum hæredes scribit, obruit verò, saginátque muneribus, quos dignos verberibus novit. & ecce quàm blandè irato primogenito respondeat Pater: *fili tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt.* v. 3. sufficiat justo, quòd in gratia sit, etsi in gratia se nesciat esse, omniáque habeat cum patre communia, etsi videat saginatos vitulos offerri iis, qui nec panem merentur. Non desideret primogenitus hædum, quia hic reprobationis est Symbolum, agnum potius expectet, quem tempore opportuno apponet Pater, & in agno electorum suorum typum objiciet, quos videlicet agnorum instar tondere, & inter arctiora continere consvevit, cùm interim suos hædis villos libertatémque indulgeat, nec virgâ & baculo tam severè coërceat, sicut agni coërcentur.


§. 9. Figura 7. Jacob & Esau. Libet à fratribus his parabolicis ad gemellos Esau & Jacob, imo ad undenos Jacobi filios expatiari, quos disparibus nimiùm modis Pater habet cælestis. De gemellis ipse dixit: *Jacob dilexi, & Esau odio habui,* nihilominus nunquam tot malis exosum Esau exercuit, quot dilectum Jacobum: hic enim quatuor annorum lustris domo exulare paterna & duram servire compellitur servitutem, hic catenatâ calamitatum serie stringitur, hic post ipsam Angeli colluctatoris benedictionem claudo posthac pede incedere,

dile-

dilecto suo orbari Josepho, extra solum patrium agere animam cogitur; at verò Esau de pingvedine terræ ad omnem abundantiam, & ipsam pœne nauseam saginatus non nisi dies joviales & candidos numerat, nescius se in atro reprobarum numero conscriptum, & tetro theta signatum esse. *Esau odio habui.* Certum Divini odii signum perpetua mortalis vitæ felicitas. Quot ærumnis & à fratribus & præ fratribus omnibus exercitus fuit Joseph, in Ægyptum venundatus, diuturno carceri mancipatus, cùm interea bonarum in terra patria rerum essent fratres, non quòd hi meliores & DEO acceptiores essent, sed quòd in graviores reservarentur ærumnas.

§. 10. Figura 7. Job & Dæmon. Nec prætereundus Jobus est, quem dæmonis potestati DEUS permisit, & non à malo duntaxat genio, sed ab amicis intimis, ab uxore dæmonibus omnibus nequiore increpari, divexari, & acerbioribus morte contumeliis affici voluit, quia DEo dilectus, & Spiritu Sancto plenus erat. Quis non stupeat, & cruce se admirabundus consignet, cùm legit ex c. 1. Job. v. 9. calumnianti contra Job innocentiam dæmoni, quòd divitiis deliciísque omnibus afflueret: *nunquid Job frustra timet DEum? nonne tu vallâsti eum & domum ejus, universámque substantiam per circuitum* &c. facultatem mox à DEo in omnes fortunas justi injusto factam calumniatori: *ecce universa, quæ habet, in manu tua sunt.* Omnes Jobi fortunæ dæmoni assignatur, ut Job dilectus esse DEo demonstretur; nisi enim durus ac severus in hunc fidelem sese DEus exhibuisset, nunquam sibi dæmon persvaderi passus fuisset, in amoribus & deliciis DEo Jobum esse. Usque adeo verum est, severum esse DEum piis, blandum impiis. Vellem idem in Zacharia Patre, & Joanne filio dæmonstrare, sed vox me in Voce, mutóque Patre deficit, atque, nè prolixitatis molestæ arguar, silentium indicit.

§. 11. Emblema. Problema sit Aquila, quæ genuinos pullos ad volandum provocat, atque ad radios solis indolem arguit; Philomela itidem, quæ pullulos ad argutam canendi artem excitat, vellicat, increpat; infrà verò in hippodromo equum designo, quem multo verbere ad omnem exercet artem hippophilus; Simium item, qui chariorem pullum arctissimis stringit amplexibus; trochulum denique, quem Cupido flagello impellit, séque eo lusu oblectat, cum communi omnibus epigraphe: *Argumentum Amoris, Argui.* O arguat & nos Divinus Amor, ut filii dilecti, & amabile Divinarum deliciarum simus spectaculum, ínque dignum Spiritu Sancto habitaculum præparemur.






PROBLEMA LIII.

Majorémne DEus homini præſtet gratiam concedendo, quod petitur, an negando.

DOMINICA V. POST PASCHA.

Amen, Amen dico vobis: ſiquid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.
Joan. 16. v. 23.

§. 1. Non ſemper exaudit DEus.



Ot támque manifeſtæ ſunt promiſſiones Veritatis æternæ orantibus factæ, quòd certò exaudiendi omniáque impetraturi ſint, ut pro miraculo haberi poſſit, ſiquis non exaudiatur ſéque petitâ gratiâ donatum non eſſe meminerit. Non meminit Seraphica Thereſia, non Gertrudis, non ſexcentæ aliæ devotæ animulæ ſpebus ſe ſuis fruſtratas unquam fuiſſe. At meminere plures alii ſe petiiſſe ſanitatem & non impetrâſſe, divitias, felicitatem, recuperationem rerum perditarum, fœcunditatem in conjugio, ſucceſſum in negotio, & mille alias gratias, nec unam ex omnibus obtinuiſſe. quomodo ergo certa eſt Chriſti promiſſio? quomodo vera Patrum aſſertio, qui omnipotentiam quandam adſtruunt orationi, quæ ſcilicet tenet omnipotentem, flectit invincibilem, ligat immenſum? num fortè major nobis à benigno Numine præſtatur gratia, cùm votis noſtris abnuit, quàm cùm annuit? hanc ſcitu digniſsimam quæſtionem præſenti diſcutiamus dictione.

§. 2. Congruentiæ pro ſententia negativa.

Paradoxa videri hæc poteſt quæſtio: *utrùm major ſit gratia, ſi gratia negetur, quàm ſi concedatur,* quomodo enim gratia ſi gratia non ſit? quomodo imaginabor meam DEo placuiſſe orationem, ſi ſurdâ pertranſiit aure? quomodo credam me DEo cordi & curæ eſſe, ſi id quod toties & tanto cum fervore deſideravi, obtinere tamen non merui? quomodo ſperabo me audiendum in ſummis, ſi non exaudiar in minimis? quí præſtolabor nummum aureum, ſi nummulus æreus denegetur? at verò ſi exaudiar, inferam preces meas DEo placuiſſe, nec me diſplicere putabo. Juſſit diſcipulos Chriſtus petere indeterminatè quidquid liberet, & aſſecuravit eos, quòd accepturi eſſent, cauſam porro addidit: *ut gaudium veſtrum ſit plenum,* nimirum plenum gaudium eſt accipere quod petitur, plena triſtitia non aſſequi quod deſideratur. & unde plenum gau-

gaudium nisi à gratia, unde mœror nisi à disgratia? plenum gaudium Davidis, cùm in persecutione Saulis, speluncam Engaddi intrans (prout 1. Reg. 24. legere est) vidit araneam indefesso labore telam texere & speluncæ os contegere, nè suspicio suboriri Sauli posset Davidem intrò latere; quare in gratiarum actionem Psalmum quinquagesimum sextum composuit cecinitque: *Miserere mei DEUS miserere mei quoniam in te confidit anima mea* (en ut fiduciam augeat concessa gratia) *& in umbra alarum tuarum sperabo, donec transeat iniquitas.* transiit Saul nec latitantem deprehendit, quare in laudes DEi plenus gaudio David effusus exclamavit: *clamabo ad DEUM altissimum, DEUM qui benefecit mihi.* quæ verba ità elucidat Paraphrastes Chaldæus: orabo coram Deo altissimo & forti qui accersivit araneam, ut perficeret in ore speluncæ telam propter me: econtra plena tristitia fuerit Sedeciæ 4. Reg. ult. cùm in planitie Jericho captus à Chaldæis & exoculatus est. Plenum gaudium Ezechiæ cùm à morbo liberatus, plena tristitia Antiocho, cùm post vota plurima concepta non exauditus sed morti victimatus est 1. Machab. 6. v. 16. Magnum gaudium Jonæ à fluctibus feri maris erepto, magna tristitia Pharaoni in profundo rubri maris submerso. Inclamaverit non dubito Pharao Moysen, sicut in aliis pœnis solebat, ut eliberaretur à proximo vitæ discrimine sed frustra; duplici proinde illi nomine amara mors, quòd in mari periret & totus periret. Quid quòd multi post irritas preces in profundum desperationis lapsi ultro sese inferno addixere, non addicturi, si exauditi fuissent. quid putamus Chrysaorium cogitâsse cùm inducias non impetraret? quid Virgines fatuas cùm post clamores & pulsus repellerentur? quid Antiochum, cùm vota pro sanitate generosè facta proficerent nihil? non ergo major gratia vocari potest, cùm negat DEus quod petitur quàm cùm gratiosè indulget.

§. 3. Citiùs quandoque dæmon, quàm justi exaudiuntur.

Verùm priusquam ad difficultatem hanc respondeam, ad tergeminum raræ amplitudinis theatrum spectatores esse cupio, quotquot orationis meæ esse dignati sunt auditores. In supremo theatro videre est Samuelem pro Saule frustra orantem & Jeremiam, quem pro populo orare vetat DEus, tertióque inhibitionem repetit suam: *tu ergo noli orare pro populo hoc & non obsistas mihi, quia non exaudiam te.* (Jer. 7. v. 16. & c. 11. v. 14. & c. 14. v. 11.) è regione verò spiritus infernalis vix bene insinuat, ut evertendo Regi Achabo Spiritus mendax esse possit in ore omnium prophetarum, & mox assequitur quod optat: *egredere & fac ità* 3. Reg. 22. v. 22. in medio theatro ter orat Paulus ut à colaphizante Angelo Sathanæ liberetur, nec quidquam impetrat; inde orat dæmon, ut non colaphizare tantùm sed toto exulcerare corpore Jobum possit, & liberaliter obtinet, quod desiderat. in infimo theatro jacet triduanâ exhaustus inediâ in cinere & lacrymis David, ut parvulo ex Bethsabea nato vitam impetret, nec tamen impetrat; (2. Reg. 12. v. 16. Numer. 11. v. 4.) illinc in deserto carnes appetit populus: *quis dabit nobis ad vescendum carnes?* & ingenti mox numero coturnices obtinet; cur tam facilè auditur in deserto populus, non exauditur desolatissimus David? cur Paulus ab Angelo Sathanæ non liberatur, Sathanas voti sui compos evadit? cur Spiritus mendax per pseudoprophetarum ora ad decipiendum Achab hallucinari permittitur, orare pro populo Jeremias prohibetur? respondeat Magnus Augustinus & auream illam suam repetat sententiam,

tiam, quam in Psalmi 12. expositione consignavit: *non est exauditus Paulus; ad damnationem exauditus est diabolus. petiit Job ad tentandum & concessum est, dæmones petierunt ire in porcos, & exauditi sunt; dæmones exaudiuntur, Apostolus non exauditur, illi exaudiuntur ad damnationem, Apostolus non exauditur ad salutem.* idem de Davide dicendum est; non exauditur David pro parvulo, ut hujus morte illius peccatum sepeliretur, inquit Theodoretus & innocentis funere vulnus nocentis consanesceret; exauditur verò rebellis in deserto populus, ut beneficium in supplicium vertetur, & ira DEi seu ignis infernalis super eos ascenderet, cùm adhuc escæ in ore essent. nimirum satis assæ carnes nondum erant, ideóque hoc igne qui unà voratores devoraret, opus habebant. *fastidiebant quod habebant* inquit de refractario populo Augustinus, *& quod non habebant, impudenter petebunt. dedit itaque illis DEUS iratus, quod non dedisset propitius.* ex quo idem infert: *malè usurus eo quod vult accipere, DEO potiùs miserante non accipit.* Petiverunt hodiéque Turcæ victoriam contra Christianos, Christiani victoriam contra Turcas, illi impetrârunt non isti, petiverunt acatholici felicitatem temporalem & pacem eámque præ catholicis obtinuerunt; petiverunt improbi catholici votorum & desideriorum suorum successum, nec difficulter præ probis assequuti sunt; num ergo Turcæ, hæretici, reprobi acceptiores DEo quàm virtutum asseclæ? respondet D. Gregorius: *majoris iracundiæ est, cùm hoc tribuit quod malè desideratur, atque inde repentina ultio sequitur; nam quantò citiùs malum votum impleri permittitur, tantò celeriùs punitur.* non ergo beneficium sed supplicium, non gratia sed odium, non amor sed furor DEI est, cupitis mox gratiis potiri.

S. Augustin. tr. 73. in Joan.

S. Gregor. l. 18. moral. c. 12.

§. 4. Propter improbitatem sæpe nostrâ exaudimur

Lucæ 11. à v. 5. parabolam narrat Veritas de importuno amico, qui mediâ nocte tres panes commodari sibi petiit, quos tandem post iteratas preces obtinuit, non amicitiæ titulo sed importunitatis motivo: dico vobis etsi non dabit illi surgens, eò quòd amicus ejus sit, *propter improbitatem tamen ejus* surget & dabit illi quotquot habet necessarios v. 8. non ex amore benevolentiæ sed odio importunitatis conceduntur panes, nec augetur inde gratia sed amor pristinus in recens odium commutatur. De nocte panes exigimus cum sinistro quopiam affectu impliciti multiplicari nobis fortunas, talenta, favores, & quaslibet humanæ vitæ jucunditates improbè postulamus, quas si improbitati nostræ condescendens DEUS permittat & quidquid stultitiæ nostræ arridet indulgeat, non equidem hoc lenitatis & misericordiæ sed indignationis & justitiæ est argumentum.

Salomonem exquisititis precibus orabat Mater, ut Adoniæ adolescentulam Abisag in sponsam ducere liceret, nec tamen post tot benevolentiæ signa à Salomone priùs exhibita quidquam impetrat, sed cum indignatione repellitur: *postula ei & regnum, est enim frater meus* 3. Reg. 2. v. 22. *juravit itaque Rex Salomon quia hodie occidetur Adonias.* At idem Salomon Reginis suis fana innumera ad illecebrosas preces indulget: *atque in hunc modum fecit universis uxoribus suis alienigenis* 3. Reg. 11. v. 8. Non fuit hoc beneficium sed supplicium, non clementia sed crudelis quædam indulgentia in æternam animarum per-

perniciem idolomanicis mulieribus permissa. O quàm sæpe divinum putamus beneficium, & est grande irati Numinis supplicium.

§. 5. Favor divino nō ratò putatur esse, & furor est.

De iis qui cùm cognovissent DEUM, non sicut DEUM glorificaverunt, scribit Apostolus Rom. 1. v. 21. *tradidit illis DEUS in desideria cordis eorum.* indulsit eis prosperitatem, consolationem, superfluitatem, sed hoc in graviorem ruinam. nam qui suæ voluntati permittitur, à DEo pro deposito habetur. ubi propria voluntas dominatur, ibi salus esse non potest sed perditio inquit Rufinus in c. 8. Marc. *iis quorum desperata est salus, quidquid lubet concedi solet*, S. Gregorius 21. Moral. 4. Murmurârunt ingrati Judæi contra DEum: *nunquid poterit DEus parare mensam in deserto?* Ps. 77. v. 19. iratus exinde Dominus punivit hoc peccatum inaudito beneficio: *ira DEi ascendit in Israël* v. 21. *mandavit nubibus desuper & januas cœli aperuit* v. 23. ad quid portas aperit, an ut grandiora fulmina devolvat, an ut novum cataclismum inducat? nihil horum, pluit illis manna ad manducandum. non favor at furor est, quem ex eventu collige v. 30. *adhuc escæ eorum erant in ore ipsorum & furor DEi ascendit super eos.* Nota: *ascendit, descendit* favor, ascendit furor. non satis fuit DEO prosternere ingratos, sed more graviter iratorum calcavit & ascendit capita conculcatorum. O dives Epulo, tui ego hic memini, cùm cibum cœlestem induxi, infelicitas hæc tua fuit vestiri purpurâ, epulari splendidè, quotidie saginari. Saginamus & nos deputata victimis animalia; tua purpura mutabitur in flammas, fercula in carbones, vina in fel aspidum. *Ecce tota causa cruciatuum* inquit mellifluus, *quia recepisti bona in vita tua.* Contrà Judam Cyprianus Serm. de cœna Domini: melius erat molâ asinariâ collo alligatâ mergi in pelagus, quàm illotâ conscientiâ de manu Domini buccellam accipere. Nimirum quidquid recipitur per modum recipientis recipitur. quidquid diligenti DEum accidit honor aut ignominia, abundantia aut penuria, consolatio vel mœror, in bonum cooperatur: quidquid injusto accidit, in malum cedit. *Ad omne fortuitum bonum suspensi & pavidi subsistite, quia beneficium insidiæ fortunæ sunt*, Senec. ep. 4. ad Lucil. Non ergo semper favor & beneficium sed furor Numinis & supplicium est, cùm facilè assequimur quod cupimus ac postulamus.

§. 6. Similitudines.

Major gratia fit pauperi si petenti obolum, obolus negetur & aureus donetur post longiusculas preces, quàm si actutum obolus roganti erogetur. Major gratia facta fuit Perillo, cùm petenti decem talenta donaret Alexander Macedo quinquaginta, quàm si primò ejus precibus acquievisset. Magnifica tum insonuit Alexandri vox à Plutarcho in apophth. commendata: *tibi quidem satis est accipere, mihi autem satis non est, dare.* Rex noster magnificentissimus & augustissimus est, inquit Basilius c. 2. constit. Monast. & indignè fert quandocunque quis exiguum aliquid à se petit. Major gratia fit ægroto si Medicus neget noxia, quàm si consentiat; Major gratia phrænetico, si vinculis non exolvatur, quàm si liberè, quod lubet agere, permittatur; major gratia infanti, si mater subtrahat cultrum & substituat pomum, quàm si lacrimis infantilibus mota præstet infanti quidquid desiderat. Similiter dubitandum non est, majorem

à DEo

à DEo gratiam nobis fieri, cùm petita negat, quàm cùm donat. Stemus judicio trium sanctissimorum Oratorum, Augustini, Bernardi, Isidori: *bonus Dominus, qui non tribuit sæpe quod volumus, ut quod mallemus attribuat* S. Augustinus epist. 34. ad Paulinum. *Misericordiæ res est hac in parte subtrahere DEum misericordiam, quemadmodum iræ & indignationis misericordiam exhibere.* S. Bernardus Ser. contra ingratitud. *Multos DEUS non exaudit ad voluntatem, ut exaudiat ad salutem* S. Isidorus l. 3. de summo Bono c. 7.

§. 7. Elogia Orationis. Denique ut audacter pronuntiem majoris divinæ benevolentiæ opus esse, si preces nostræ quandoque non audiantur, quàm si pro voto exaudirentur, faciunt ingentia illa elogia, quæ orationi à Patribus & scripturarum Interpretibus data esse reperio.

Lucæ 6. v. 12. Christus erat pernoctans in oratione DEi. hæret S. Chrysologus & inquirit causam pernoctationis & ait: *ipse Dominus pernoctat in oratione DEi, ut antè nos oratione liberet, quàm redimeret passione.* tam potens est oratio Domini JEsu, ut non minoris sit efficaciæ quàm totius sangvinis profusio; & nos si orationem DEi maximè pernoctantes offerimus, aliquid passioni dominicæ assymbolum offerre videmur. Ratio est, quia divina oratio est quidam partus Spiritûs Sancti, ideo enim non in oculi, cordis, digitorúmve figura sed lingvæ igneæ figura illapsus est, ut orationis se exhiberet Magistrum, qui teste Apostolo Rom. 8. v. 26. *postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus.* Sed quomodo orare potest Spiritus Sanctus, cùm oratio definiatur à S. Thoma p. 2. *est actus religionis, quo quis inferior deprecatur superiorem.* Christus quidem orare propriè potuit, quia secundùm humanitatem minor Patre fuit, at verò Spiritus Sanctus, æqualis per omnia Patri quomodo postulat? ingeniosæ huic quæstioni breviter respondeo, consideranda esse duo corpora Christi alterum est naturale, quod de Virgine sumsit, alterum mysticum, quod est Ecclesia. nos omnes hujus corporis membra constituimus, Caput verò Christus est. quærit Bernardus, utrùm illi corpus carius? & resolvit pro mystico *l. de triplici concordia:* Si corpus mysticum non prætulisset corpori naturali, corpus naturale non obtulisset in cruce pro corpore mystico. nobilitas autem major corporis mystici præ naturali desumitur ex anima, naturale corpus habuit animam productam ex nihilo sicut nostra est, at verò corporis mystici anima est Spiritus Sanctus. qui ideo dicitur Dominus & vivificans in Symbolo Nycæno, quia anima hujus corporis est. animæ enim proprium est vivificare, (unde actiones vitales sunt ab anima juxta Philosophum) omnes ac singulæ operationes Ecclesiæ sunt à Spiritu Sancto, sinè quo nec nomen JEsu pronuntiare, nec boni quidquam cogitare atque spirare valemus. oratio omnis à Spiritu Sancto est, si bona, si vitalis, si oratio DEi est. At quæret curiosior alius, cùm opera omnia Trinitatis ad extra indivisa sint, cur oratio attribuitur Spiritui Sancto? Pater generat Verbum, & totum se uni sic impendit, ut alterum generare non possit, ex Verbo ac Patre procedit Spiritus Sanctus, qui est adæquatus terminus voluntatis seu amoris divini. Sed quid Spiritus Sanctus? nihilne aget? infinitum bonum est, nunquid non communicabit se? nunquid ego qui alios parere facio, sterilis ero? habet & Spiritus Sanctus partum suum, nimirum orationem, quæ cum sinè lingva non per-

S. Cyprianus apud Bonherba fer. 5. Dominic. 1. Quadrages. num. 9

perficiatur, lingvæ figuram detulit. hic conceptus S. Cypriani est *lingvæ figuram prætulit, ut sanctæ Ecclesiæ formaretur oratio, quam dilexit ut filiam.* Tam cara & propria est Spiritui Sancto oratio, ut inde nominari velit Zach. 1. v. 10. *effundam super domum David & super Jerusalem Spiritum gratiæ & precum.* non appellatur Spiritus mortificationis, eleemosynæ, compassionis, sed *Spiritus precum*, ceteræ enim omnes virtutes in oratione includuntur. Quare si in te gratia precum est, erit & gratia spiritûs si verò Spiritus in te & pro te orat, quid non impetrabit!

Nè dicas, orare non juvat, quia peccator sum, peccatores DEus non audit Joan. 9. v. 31. quis hoc oro dixit? cæcus dixit, & verum dixit, si, qui orat, peccator permaneat, tunc enim DEus non audit ad salutem æternam, licèt audiat ad felicitatem temporaneam. dæmones ipsi (verba sunt S. Antiochi to. 2. biblioth. PP. hom. 27.) nè in abyssum præcipitarentur, cùm Dominum obsecrârunt, suâ petitione fraudati non sunt. At verò qui se peccatores esse agnoscunt & orant, peccatores non sunt. *Si peccatores DEUS non exaudiret, frustra Publicanus dixisset: propitius esto mihi peccatori,* S. Augustinus in Lucæ 18. quia autem hoc publicanus dixit, justificatus in domum suam descendit.

Nec tantum justificatur homo per orationem sed ex mortali fit immortalis, ex fragili fœdóque homine pulcer Angelus. Primum Chrysostomus dixit, alterum Chrysologus affirmavit. ille l. 1. de ador. DEO: *per orationis exercitium hoc assequimnr, ut mortales & temporanei, esse desinamus,* hic Ser. 43. *per orationem Joannes fit Angelus in carne cœlestis in terra, & totam totus capit tenet & possidet Trinitatem. per orationem Moyses fit DEus & ad triumphos militares sibi omnia mandat elementa devinci.* Idem in elementa dominium vi orationis obtinuere alii, Josue in Jordanem, Jonas in cetum, ut sicut in fabulis, Arionis citharâ mansvefactus est Delphinus, ità extra fabulam mansvescat cetus & fluctus feri maris. Putat S. Augustinus l. 2. de mirabilib. S. Scripturæ c. 7. Jonam fuisse filium Sareptanæ illius viduæ, quem oratione suscitavit Elias. doctus itaque à Matre filius minus se debere materno utero quàm orationi, cujus esset filius, spem denuo in oratione collocavit omnem, sic secum ratiocinatus: potuit me Eliæ oratio liberare à morte, qui cetus est cetorum, quantò magis à minori hoc ceto: Tu Domine liberabis à corruptione vitam meam. Oratio Davidis contra Angelum prævaluit, ut ex tribus diebus fierent tantum 6. horæ, videlicet à manè ad tempus prandii. Theodoretum accipe: *quia oratio occurrit Angelo percutienti, ideo tenuit manum ejus, nè ultra progrederetur.* Mirum est illud effatum S. Ambrosii l. 3. de fide, quòd DEUS tantum orationi deferat, ut potiùs aliquid Majestati suæ detrahat. Mater filiorum Zebedæi rogat filios suos ad prima subsellia promoveri, quod cùm inconveniens esset, quid Christus? negat id in sua esse potestate? miror! nónne Pater omnia ei dedit in manus? dedit omnino sed eâ lege, ut distributiva servetur justitia, contra quam ageret, si ad sinistram, alterum collocaret. nè itaque exprobrari illi posset, quòd in exaudiendo fuisset difficilis, cessit hoc jure in ordine ad hunc actum. Audiamus melleum

Doctorem: *Maluit DEus videri se non posse quod poterat, quàm orationi mulieris aliquid denegare.* Denique tam excellens est oratio, ut ipsi angelicæ musicæ DEus eam videatur præferre. ad quid enim *silentium in cœlo quasi dimidiâ horâ?* ascendit fumus incensorum de orationibus Sanctorum Ap. 8. v. 4.

Si ergo talis tantáque est oratio, qualem dixi, fieri non potest, ut non exaudiamur, sin minus, in majoris emolumenti nostri gratiam certissimò id fieri persvasissimum habeamus. Hæreat denique animis nostris triplex illa Trismegistorum oratorum, Augustini, Bernardi & Chrysostomi sententia, quæ nos docet non ægrè ferre repulsam, si quam fusæ ad DEum preces nostræ ferunt: *non accipimus aliquando ut meliora quàm petimus accipiamus.* Augustinus Serm. 27. de Verbo Domin. *Unum è duobus indubitanter sperare possumus, aut dabit quod petimus, aut quod noverit nobis esse utilius.* S. Bernardus Ser. 5. in quadragesim. *Cum DEUS aliquid nobis negat, non minus est quàm si concessisset, negat enim aliquando, quia nescimus quid petamus* S. Chrysostomus homil. 5. in Genes. Sit in emblema Godefridus Bullionius, qui sagittam in turrim David ejaculatus, scopum quidem non attigit, tres autem ardeas eadem sagittâ confixit: *Non sunt tamen irrita vota.* Sagitta est oratio, cui illustris author in luce sua Evangelica epigraphen posuit: *assequitur quodcunque petit.* si non assequatur, si turrim David & metam desideriorum suorùm non contingat, *nunquam tamen irrita vota cadent.*

§. 8. Tres selectissimæ sententiæ & Emblema.





PRO-




PROBLEMA LIV.

Cur Mundo exosus CHRISTUS & Christiani.

DOMINICA VI. POST PASCHA.

Venit hora, ut omnis, qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare DEO. Joan. 16. v. 2.

§. I. Sententia S. Chrysostomi.



Ur DEUS permittat bonos affligi à malis, causas undecim reddidit Chrysostomus celeberrimâ illa concione, ob quam oratoris aurei titulum obtinuit & in cathedram Antiochenam meruit assumi; digna quæ attentissimis auribus excipiatur oratio: multos audivi talia quærentes: Quid tandem ille modestus & mansvetus „homo ab alio quodam impio & „improbo per singulos dies trahi„tur & innumeras patitur molesti„as: & DEus permittit? Quare „alter accusatus injustè mortuus „est? ille submersus est, alius præ„cipitatus &c. Itaque prima cau„sa quidem est, quod cùm facilè in „arrogantiam propter meritorum „magnitudinem & miraculorum „tolluntur, ipsos finit affligi. Secun„da nè cæteri majorem habeant de „ipsis opinionem, quàm humana „patitur natura: & ipsos DEOS „non autem homines esse arbitre„mur. Tertia, ut & DEi virtus ap„pareat per ægrotantes & compe„ditos exuperans & prædicatio„nem augens. Quarta, ut ipso„rum illorum patientia manifesta „fiat non propter mercedem DEO „; Servientium sed & tantam exhi„bentium gratitudinem, ut & post „tot mala syncera in ipsis benevo„lentia ostendatur. Quinta, ut de „resurrectione cogitemus, cùm e„nim verum, justum, & multâ ple„num virtute innumera passum „mala, & sic hinc digressum videris: „ oportet ex hoc omnino aliquid „de illo judicio cogitare. Si enim „ homines per se laborantes sinè „præmiis, & retributione migrare „ non permittit: multò magis eos „qui tantum laboraverunt nun„quam incoronatos remanere DE„US decerneret. Si autem ipsos „laborum suorum retributione pri„vare non eligit: omnino necesse „est quoddam aliud tempus esse „post præsentium finem, per quod „præsentis vitæ laborum retribu„tiones reciperent. Sexta, ut om„nes in gravia incidentes sufficien„tem consolationem & mitigatio„nem habeant in eos respicientes

„ & malorum quæ ipsis accidêre re-„cordantes. Septima, nè quando „exhortamur vos ad illorum vir-„tutem & cuique dicimus: imita-„re Petrum, imitare Paulum, pro-„pter gestorum excessum alterius „ipsos naturæ participes fuisse co-„gitantes ad imitationem torpeatis. „Octava ut quoniam beatos vel mi-„seros censere oportet, discamus „quos quidem beatos, quos autem „miseros & ærumnosos putare de-„beamus. Si verò oportet & no-„nam dicere causam: illud dicere „possemus, quod spectabiliores tri-„bulatio faciat tribulatos. Tribu-„latio enim patientiam operatur: „patientia verò probationem: probatio autem spem: spes verò „non confundit. Vides quod ex „tribulatione probatio futurorum „nobis spem adfert, & in tentatio-„nibus minere bonum de futuris „sperare facit? Itaque non teme-„rè dicebam, quod hæ tribulatio-„nes resurrectionis spem nobis de-„signant, & vexatos meliores effi-„ciunt. Quemadmodum enim, in „fornace aurum examinatur, sic & „homo acceptus in humiliationis „camino. Possumus & decimam „dicere causam. Qualem verò „hanc? quam & jam sæpius dixi „superiùs; quod si aliquas habeam9 „maculas, & eas deponimus. Et „bene Patriarcha declarans, ad di-„vitem dicebat: quoniam Laza-„rus post sua mala, jam consolatio-„nem accipit. Et ad hanc aliam „rursus inveniemus. Qualem ve-„rò hanc? ut corona & præmia „nobis augeant. Quantum enim „tribulationes ampliabuntur, tan-„tùm augetur & consolatio immo „verò & multò plus, non enim con-„dignæ sunt passiones præsentis „temporis ad futuram gloriam, „quæ revelabitur in nobis. Tot „igitur causas habentes de Sancto-„rum afflictione dicendas, nè in „tentationibus indignemur: neque angustiemur, neque tumultuemur, sed & ipsi nostros instruamus animos & alios hoc doceamus. Hæc ad verbum S. Chrysostomus. cujus inhærens sententiæ, quantum sit odium inter Christum & mundum præsenti dictione docebo & quæ præparare patientiæ virum fortem possint, brevissimè insinuabo.

§. 2. Antipathici Christus & Mundus.

Non ità ignis adversatur aquæ, non ità lupus ovem persequitur, cervus serpenti infestus est, quàm Christus mundo sit contrarius, quàm mali persequantur bonos. quæ causa? quia videlicet Christus *ignis consumens est* Hebr. 12. Apostoli & boni omnes sacro igne lucent & ardent: ignem enim venit JEsus mittere in terram, quo pii omnes accendantur & ardeant, mundus autem est *mare magnum ac spatiosum* Ps. 103. impii *bibunt iniquitatem sicut aquam* Job. 15. v. 16. *cor eorum quasi mare fervens* Is. 57. v. 20. *quasi fluctus feri maris despumantes suas confusiones* ex epist. Judæ. v. 13. quid miramur contrarietatem: Christus Agnus est: *quasi Agnus coram tondente se* Is. 53. v. 7. *quasi Agnus mansvetus* Jerem. 11. v. 19. *Ecce Agnus DEI* Joan. 1 v. 29. Apostoli & Christiani *sicut oves inter lupos* Matth. 10. homines mundani & maximè politici *in vestimentis ovium, intus sunt lupi rapaces* Matth. 7. v. 15. est enim homo homini lupus. & miramur bonos persecutionem pati à malis? mirum esset si non foret inimicitia? *si communicabit lupus Agno* Ecclesiastic. 13. Christus cervus est: *similis est dilectus meus Capreæ hinnuloque cervorum* Cant. 2. v. 9. & 17. Christiani omnes debent esse Cervi anheli ad fon-

fontes salutis, ad torrentes æternæ voluptatis, ad puteum aquarum viventium & cum psalte ingeminare: *quemadmodum desiderat Cervus* Ps. 41. v. 1. At verò malus mundus serpentis antiqui creatura est, omnes iniqui *serpentes* sunt & *genimina viperarum* Matth. 23. v. 33. necessaria proinde inimicitia. Doctissimè Origenes: *Cervus serpentium inimicus ac debellator est, ità ut spiritu narium eos extrahat de cavernis. Interficit Christus serpentes id est contrarias mundi fortitudines jugulat.* hinc illæ lacrymæ.

§. 3. Ex contraria doctrina.

Contraria quoque est doctrina Christi & mundi, Christus docet: Beatos esse pauperes spiritu. Aliam lectionem prælegit mundus: beatus populus cui hæc sunt. Monet Christus Matth. 7. intrate per angustam portam. Invitat mundus Sap. 2. venite fruamur bonis; nullum sit pratum, quod non pertranseat luxuria nostra. Jubet Christus: estote simplices sicut columbæ Matth. 10. Mundus definit: ubi deficit pellis leonina, assuatur vulpina: frangenti fidem fides frangatur eidem. Præcipit Christus: Sermo vester sit: est est non non Matth. 5. v. 37. Mundus: jura perjura secretum prodere noli. Videamus quomodo contra se loquantur: mundus vocat Christum: *malefactorem* Joan. 18. v. 30. *blasphemum: hic blasphemat* Matth. 9. v. 3. *Dæmoniacum* Matth. 11. Lucæ 7. Joan. 8. *Ambitiosum* ùt patet Matth. 27. Joan. 18. & 19. Marc. 15. Lucæ 23. *Potatorem* Matth. 11. v. 19. Quid vicissim Christus? *ego testimonium perbibeo de mundo, quòd opera ejus mala sunt* Joan. 7. tantum odium Christi in mundum est, ut nec dignetur orare pro eo: *non pro mundo rogo, sed pro iis, quos dedisti mihi & quos elegi de mundo* Joan. 17. Misericordissime JEsu, quî istud intelligam? tu orare nos jubes pro inimicis nostris, & ipse pro mundo non oras? tu pro crucifixoribus preces fundis & lacrymas, & pro mundo non? tu Salvator mundi es, quem ità dilexit Pater tuus, ut te unigenitum dederit, & non orabis? tantæne animis cælestibus iræ? *Non pro mundo oro, sed quos elegi de mundo* pro Apostolis, pro fidelibus, ut se verbo & opere opponant mundo maligno, ut fortiter ferant odium perversi & adversi mundi unúmque eâ ration fieri mereantur cum Christo & DEO.

Matth. v. 44. Luc. 6. v. 28

§. 4. Justi sunt in signum

Atque hæc ideo dicta volo, ut siqui ex nobis sunt, quos odit mundus, gaudeant se suæ habere tesseram salutis: *Nemo moveatur in tribulationibus istis, ipsi enim scitis, quòd in hoc positi sumus.* quasi in signum, quibus contradicatur, in scopum jaculorum. Ecclesia firmamentum est, fideles luminaria. Sed advertite quid Gen. 1. v. 14. de firmamento dicat DEus: *fiant luminaria in firmamento cœli & sint in signa.* quasi diceret: sint pro meta, in quam non unus Philippus Macedo tamdiu jaculetur donec exoculetur. *sint in signa.* eleganter Stephanus Carnotensis: *mysticè loquendo Ecclesia est firmamentum, luminaria Viri justi, hi sunt in signa & tempora, id est, in signa temporalis miseriæ odii & contradictionis.*

1. Thess. 3. v. 3.

Ne ergò vereamur, sed in hoc gaudeamus. Nam ùt bene S. Augustinus in Ps. 55. & in 127. *si putas te non habere tribulationes, nondum cœpisti esse Christianus* & Tertullianus in Scop. c. 8. *in nobis confidet nomen Jesu cum odii sui lege.* Christianè Seneca: *argumentum recti est, malis displicere.*

§. 5. Symbolũ Justi Campana.

Permittit proinde exerceri pios ab impiis DEus, ut piorum patientiâ divinas suas aures oculósque delectet. Ægyptii tribulationum effectum Symbolicè expresserunt in campana: *non percussa silet.* talem campanam in Job imaginatur sibi S. Augustinus: *quomodo sonuit, quàm suavem sonum dedit! adhuc tunditur datus in potestatem diaboli, ut & caro ejus percuteretur, percussit eum à capite usque ad pedes gravi vulnere, & putrescens vermibus sedebat in stercore. Audivimꝰ quemadmodum tunsus est, audiamus quomodo sonet. Si bona recepimus de manu DEi, malum cur non sustinebimus? O sonum fortem! O sonum dulcem! ò quem dormientem non excitet iste!* Nimirum malleus universæ terræ diabolus est Jerem. 50. v. 23. verùm malleus iste seipso non percutit, manus Domini adhibenda est: *Manus Domini tetigit me* Job. 19. v. 24. David percussus, *cùm tribularer* inquit, *clamavi.* & tu Christiane dum mors pulsat fores, rapítque quod charissimum erat, quomodo clamas? murmuras? obtusum melancholiæ edis sonum? non est hic sonus suavis sed Sanctorum vocibus dissonus, ingratus DEo, Angelis hominibúsque. Et cur DEus percutienti dixit: *verumtamen animam illius serva* Job. 2. v. 6. Respondet S. Augustinus: *etenim si de medio illum sustuleris, theatrum nobis non plaudet ampliùs.* Divinè dixit Seneca: Nullum spectaculum Jove dignius quàm virum fortem intueri cum adversa fortuna luctantem. Ecce par Deo dignum, vir fortis cum mala fortuna compositus: ecce Spectaculum Deo dignũ.

Ut fieret Patri spectaculum filius, descendit de cœlo: *ad hoc carne indutus est ut sinè flagello non esset,* inquit S. Augustinus. Angeli certè tam libenter adsunt, ut cœlo deserto famulentur afflictis. patuit in Tobia, qui in captivitate Ninive positus, cæcitate percussus, de socio itineris, cui filium committeret solicitus, Angelum habuit & quidem unum ex septem primariis, qui ultro se offerebat in servum c. 5. & hic interrogatus de nomine: *ego sum Azarias Ananiæ magni filius.* Sed ô Angele mi quomodo hoc verum? nunquid tu Hebræus? S. Augustinus Ser. 228. de temp. Pro Angelo respondet: *celavit Angelus nomen- si enim diceret: ego sum Angelus, non esset Tobiæ mercenarius.* Afflicto servire volebat, ideóque hominem induit. tam gloriosum ducunt Angeli servire afflicto. Gen. 28. Jacob fugiens à facie Esau videt scalam mysticam & angelos ascendentes & descendentes. Stare debuissent Angeli attenti, quid se movent? vos quidem qui ascendendo vertimini ad DEum, proceditis bene; at vos descendentes, Deo dorsum vertitis. audio responsum: tergum DEo vertimus, ut Jacobo serviamus, ut jucundemur eodem spectaculo quo Deus, atque ut DEum in Jacob videamus.

Quid de ipso Angelorum Rege dicam? charus illi est sinus Patris, charus ad dextram thronus, at longè charissimus est patiens in adversis. Psalmo. 109. ait David, *Dixit Dominus domino meo, sede à dextris meis.* sedet ùt Magister, ùt judex, ùt triumphator, ùt imperator. Aliter illum Joannes effigiat, jacentem in sinu: *Unigenitus DEi Filius, qui est in sinu Patris.* quomodo sedet à dextris, si jacet in sinu. Joan. 1. v. 18. Atheniensis quædam mulier nomine Cœnobia filium suum militariter educatura, lac quidem dedit, sed nunquam in sinu quiescere passa est infantem, pedisequarum una supponere debuit manus & auferre post lactationem, nè jacuisse unquam in sinu materno

terno videretur. Sic educatus crevit in militem generosum, patriæ amore discrimen quodvis ambiens capitis & vitæ. ex prælio aliquando reversus vulnera immania Matri ostendit, quæ arridens: Nunc quiescas ut filius, quia filius laboris fuisti. simili modo imaginor mihi Patrem gessisse se erga filium, hic ab æterno sedit tanquam æqualis Patri, post passionem verò suam, cùm plagas in manibus pedibúsque ostenderet, paternum acceptus est in sinum, ità docente S. Ambrosio: *post injurias acceptas Deus Pater suscipit Filium, & occursu pietatis insolito, gremio meliori complectitur*; quasi nunc charior & suavior esset, quia labor præcessit & dolor. tunc dulcius audit: *filius meus es tu.* postquam principes convenerunt in unum adversùs Dominum & adversùs Christum ejus. Sed si sedet imò jacet, cur illum S. Stephanus stantem videt? Ephestion virum se gesserat inter adversa infractum, qui templum ingressus ut Jovi sacrificium offerret videre sibi visus est, quòd Jupiter throno exurgeret dicens: *Nunc Ephestio similis Diis factus es, ideóque thronus Jovis tibi convenit.* fabula hæc est Ethnicorum, at veritas est Christianorum visum esse à Stephano JEsum stantem, quasi hic thronum suum ei cederet & dignum judicaret Patris sinu, qui inter adversa constat sibi. Sensus hic est Origenis sic scribentis de S. Stephano: *Obdormivit in Domino id est, in sinu Patris, in cujus dextra Christus stabat, qui videns eum tribulatum & percussum, ut condignum ei concedat locum, surrexit de sinu & ad dextram se locavit.* Quin potiùs dicam, ideo stare JEsum non sedere, ut spectaculo hoc se oblectet, sicut dum rarum aliquid in amphitheatro exhibetur, surgit spectator ut arrideat & applaudat.

§. 6. Motiva ad patiendū.

Quàm dulcis est illa tribulati cogitatio de pacto Christum inter & Catharinam Senensem inito: *cogita tu de me, & ego cogitabo de te.* pacisci similiter placet Christiane? manè dum surgis Christum cogita, cogitabit & ille dabítque bonum manè. in labore cogita illum, qui propter te in laboribus à juventute sua cogitabit & ille de te & benedicet labores tuos. in dolore cogita illum, qui nunquam fuit sinè dolore: *dolor meus in conspectu meo semper*, cogitabit vicissim de te & tecum erit in tribulatione. si in via quâ JEsum sequeris, famem sitímque necesse sit pati, cogita illum, cibabit & potabit te, ipse enim est *Panis vitæ*, ipse est fons aquæ salientis in vitam æternam. si desunt vestes, si æstus urit vel gelu, si lassitudo divexat, cogita Christum, qui induet te stolâ primâ, & scapulis suis obumbrabit tibi, suóque jumento imponet, ut suaviter equites, quem Dei gratia portat. si tristitia pectus stringit, si metus ingruit, si hostis premit, Christum cogita, cogitabit te vicissim & erit voluptas tua, scutum & turris.

Solicitum Isaacum de victima Gen. 22. *Pater mi, ecce ignis & ligna sed ubi victima holocausti?* solatus est Pater: *DEus providebit fili mi.* quasi diceret: pergamus mi fili, quò nos DEus vocat, eamus ut sanctissimæ ejus voluntati obsequamur, eamus ut mirabilia ejus videamus, de reliquis providebit paterna Dei clementia, in cujus manibus fortes nostræ, in cujus voluntate cuncta sunt posita, in cujus corde sunt nomina nostra. Sic dicendum, sic agendum est, quoties ad montem Moria per viam crucis nos vocat, Deus imò humeris nostris imponit ligna, accumulat cruces, jugum & onus multiplicat. quis in hoc itinere cibum dabit? perge tu fili, Deus providebit. Reflectat unusquisque se

se ad praeteritos vitæ annos & necessitates suas recogitet, an non misit ei bonus auxilium de Sancto & de Sion tuitus eum est? an non sublevavit sustulítque adversa commutans in prospera, & præveniens benedictionibus? Quod ex S. Bernardo Ser. 1. de S. Benedicto Guerricus dixit, semper fuit erítque verissimum: *poterit tribulatio sævire, sed hoc erit servire, poterit urere, tundere, dissecare, sed hoc erit coronas fabricare.*

§. 7. Causa nostræ impatientiæ.

Cognitionis seriæ defectus intolerabiles nobis reddit adversitates. plus apprehendimus plerumque mali quàm reipsâ sit. sicut peregrinantibus videtur cœlum incumbere montibus, & nocturno timore correptis umbræ ipsæ videntur spectra enormia. *Scuto circumdabit te Veritas ejus*, aiebat Ps. 90. David, *non timebis à timore nocturno.* Veritatis scuto muniendus dicitur justus, cur non potiùs scuto potentiæ, cujus proprium est repellere hostes & frangere inimica tela? nimirum timores, quibus angimur nocturni sunt, vanæ umbræ, puerilia terriculamenta. non est opùs potentiâ sed veritate. accede propiùs, tange, aude & experieris inania esse & nullius momenti. *Magnum malum est ferre non posse malum* dicebat Bion teste Laertio in vita l. 4. Serpentibus assimilari suos vult æterna Sapientia Matth. 10. v. 16. quid habet virulentum animal, & non tantùm suopte ingenio sed Dei etiam imperio inimicum humano generi, quod imitari debeant pii? Cœlius Rhodiginus l. 15. c. 25. ait si serpens calamo semel percutiatur, interit & emoritur, si repetitis ictibus verberetur, reviviscit & confirmatur. quò plura calamitatum verbera quò graviora, quò acerbiora nos feriunt, eò vires potiores suppeditant, vitam alacriorem tribuunt, confirmant solidius ad perennitatem. & sicut subita tonitrua serpentes frigore concretos revocant in vitam, ità calamitates fugientem caritatis calorem revocant, fovent, redanimant. Eleganter S. Basilius Ps. 33. *Qui dixerit, quòd virum planè justum tribulatio non deceat, nihil aliud dicit, quàm Athletæ non convenire adversarium. Athleta enim minimè certans, quas habebit occasiones sibi coronas comparandi?*

Corona supremi hujus problematis *Corona* sit, quam aurifaber conficit cum lemmate, quod cuilibet afflicto apprimè convenit: *me ferrum me perficit ignis*; aurifaber DEus, tribulatio ignis, malleus homo malus est, his DEUS nobis coronam conficit & nos suam perficit in coronam.

FINIS.





INDEX
DOMINICARUM, THEMATUM, Problematum, & Resolutionum.

dimus

 Pro-



